P. AERODII ANDEGA I. C. DECRETORVM, RERVMVE APVD DIVERSOS POPVLOS AB OMNI ANTIQVITATE IVDICATARVM, LIBRI DVO.

Qui ad formam Digeſtorum & Codicis Iuſtinianei redacti ſunt, Item vſui forenſi ac moribus Gallicis accommodati.

Accedit tractatus de origine & auctoritate Rerum Iudicatarum: cum omnium rerum, reorum, Iudicum atque Populorum locupletiſsimis indicibus.

AD V. C. CHRISTOPHORVM THVANVM, Equitem, in ſummo ampliſsimoq; Lutetiæ Senatu Prætorem Maximum, Conſilijq; Sacri Conſiliarium.



Francoforti apud Mœnum, Impenſis Feyerabendi.
Anno M. D. LXXX.

P. AERODII I. C. PROOEMIVM DE ORIGINE ET AVCTORITATE Rerum Iudicatarum, atque in Gallia præsertim:

AD V. C. CHRISTOPHORVM *Thuanum Prætorem Maximum.*

IVS sic à plerisque ac vulgò distribuitur (Christophore Thuane) vt semper ea pars sit postremo loco, quæ in Rebus Iudicatis, sententia ac definitione prudentium virorum atq; Magistratuum consistit. Et hæc partitio quidem, vt opinor, ex ea nunc ratione quam sequimur, & ex iis quæ contingunt ab antecedentibus, accommodata atq; traducta est: veluti cùm dicimus, Architecturam, Eloquentiam, Medicinam Arte & Vsu, ratiocinatione & fabrica contineri, aliáque id genus. Nam etsi vsum & exercitationem postponimus, quia iam Arte adinuenta atque perfecta, minore negotio atque interuallo & Orator & Medicus & Architectus id quod cupiunt assequuntur, si instituant prius discere quàm dicere, audire quàm erudire, in præceptis quàm in actione versari: attamen Vsus ille magister, ita naturali ac primo rerum omnium ordine Artem antecedit, vt Ars imò nihil aliud sit, quàm quod Vsus & crebra exercitatio pepererit, fouerit, Itaque alterum natura, alterũ po-

stione prius aut posterius est. Eadem de rebus Iudicatis fortasse opinio fuit. Posteaquam enim Iura constitui placuit, & quod vnum erat prius, id partium enumeratione diuidere: factũ est, vt Leges, Plebiscita, Senatuscõsulta, Edicta, veluti quid vniuersum, ita primo loco: Res Iudicatæ, vt quid de singulis duntaxat, posteriore locarentur. Sed quicquid est, cur apta Iuris illa definitio videri poßit: equidem siue primordia rerum & antecedentia, siue id quod in constitutione est, siue negotium metimur ex eo quod maiorem grauitatem, maiestatem, auctoritatem habet: profecto Res Iudicatæ, pars Iuris & prima, & sola & præcipua est. Quare in Iuris Ciuilis tractatione, vellem inprimis hoc obseruari, quod in totius Iuris, Personarum ac Rerum summa diuisione fit: qua dicimus, Ius aliud Naturale, aliud Humanum (vt Liuius appellat) aliud Ciuile esse: Personarum, aliquos liberos esse, aliquos seruos: Rerũ, quædam communia, quædam singulorum. Nam vt horũ vnumquodq́ tempore antecedit, ita ordine & tractatione collocatur. Cæterum ordinis ea prærogatiua hanc vtilitatem habet, quòd qui hoc vel sola serie percipit, omnia prius communia fuisse quàm singulorum, vniuersitatis quàm priuatorum: in contentione & comparatione eius quod melius, vtilius, æquiúsve est: vt si de agro cõpascuo & locis communibus agatur, manere in vsu publico, an singulis aßignari debeant: priora profecto posterioribus anteponet; hoc est, publica priuatis, & propriis ea quæ cõmunia sunt. Etenim in eo genere à Proceribus Galliæ non alia de caussa nunc iniquißimè aberratur, quàm quòd publica postponunt suis. Neque verò aliter de personis. nam hoc vel maximè prodest,

semper

ſemper ante oculos obuerſari, in diuiſione perſonarum, liberorum hominum primam rationem eſſe, quia primò omnes homines erãt liberi: vt in omni liberali cauſſa fauorabiliores ſimus ad libertatem, quàm ad ſeruitutẽ, & quatenus fieri poſſit, rem naturæ ſuæ, pulchræ & optimæ conſtitutioni veluti quadam Reſtitutoria actione, ſed magis naturali quàm honoraria, collocemus. vt in eo contrà, Franci maiores noſtri, haud ſecus atque Indi, de quibus Diodorus Siculus, ſibi ſapientes ac viri boni æſtimari poſſunt, à quibus vt nec à Natura, ita nulla vnquam ſeruitus introducta eſt. Porrò & qui ita informabitur, vt prima & immutabilia iura exiſtimet ea quæ naturalia ſunt, ciuilia iura, dubia, varia & incerta, in infinitis negotiis quæ lege compræhendi nõ poſſunt, & quorũ mutuo concurſu lex legi colliditur: nunquam non ad id ſe referet, quod ſit naturali atque perpetuo iuri conueniens. Omnino ille ordo placet, qui videtur à Natura conſtitutus. Atqui Res Iudicatas in ea conditione eſſe, vix eſt (ampliſſime Thuane) vt magna demonſtratione opus ſit. Nam idipſum quod adhuc quæritur, quis primus Leges hominibus dederit, Iſisne an Ceres, vtrúmve Rhadamãthus, & quod primũ Politiæ genus inter homines fuit, eáne quæ μοναρχία dicitur (cui opinioni cum Trogo Pompeio conſentio) an ea quæ Populi, vel quæ optimatiũ eſt: ſane demonſtrat aliis antea modis regi conſueuiſſe hominũ mentes, quàm legibus, quàm Edictis, quàm Senatuſconſultis. Qui ij vero alij eſſe poſſunt, quàm qui ſeniorum & prudentium virorum ſententiis & opinionibus continentur? itaque Iudiciis rebusq; Iudicatis Liberi, parentum: fœminæ, maritorum: iuuenes, ſeniorum: humiles, fortiorum:

 inex-

inexperti, ſapientum iudicio & arbitrio vtebantur: & vt quiſque alter altero natura, ætate, ſexu, ingenio, viribus inferior eſſet, hoc ei dicto audiens erat. Quale de Scythis adeo narratur (qui Ægyptijs vel antiquiores iudicati ſunt) eos non legibus, ſed ingeniis & iudiciis prudentiū virorum moderatos ab initio fuiſſe, præterea & Athenienſes, qui ſibi indigenæ videri volunt, ante ſuum Draconem vixiſſe ſine vllis legibus. Quid Iudæi ante Moſem? ſed & diuino illius oraculo, qui primi gubernacula ſuſcepere, non aliam appellationem quàm Iudicum ſibi arrogarũt. Et lex Terentilla, non CCC. annis ab Vrbe condita, lata ac promulgata eſt? Porro & Germani veteres, & Galli anteceſſores noſtri, an non prout quid inciderat, maiorum ac ſeniorum ſola definitione pro legibus vtebantur? neque enim aliter Iulius Cæſar memoriæ prodidit. Denique (vt de origine vrbis Romæ Fabius Pictor ſapientiſsimè colligit) nō alia ratione Dij quidam primùm inter homines appellati ſunt, quam quòd in aureo ſeculo primarij viri quibus nondum hæſerat vlla regnandi cupiditas, ita res arbitrio ſuo atque iudicio componebant, vt ij quidem abs æquo & bono: Populi à iure innato non diſcederent. Nulla controuerſia conſtabat ſiue ex ambiguo, ſiue ex contrariis legibus, ſiue ex ſcripto & voluntate, ſiue ex ratiocinatione. Ius omne id dicebatur, quod viro ſapienti iudicando placuiſſet: & ſi quod argumentum vnquam afferebatur, erat id duntaxat à rebus antea Iudicatis. Sed poſtea quidem prima Politiæ genera, tum denuo Leges introductæ ſunt. Nam vt omnia naturaliter bona, attamen naturaliter peſſum eunt, cùm ſenſim multitudo premeretur ab iis qui maiores opes habebant,

bant: alij ad vnum aliquem primum confugerũt, virtute præstantem & bene moratum, quem Regem appellarunt: alij, plures iustos atque optimos viros sibi collocarunt, à quibus æquabile ius impetrarent. Hæc itaq; cœpit omnium, quæ dicuntur, Rerumpublicarum administratio. Sed & cùm id minus contingeret, quia, vt Aristoteles ait, semper imbecilliores iuris atque æquabilitatis præsidium postulant: potentiores id recusant ac negligunt: tum demum profectò Leges, aut quid aliud veluti perpetuũ imponi placuit, quod quasi cum omnibus semper vna atq; eadem voce loqueretur: quo Plebs, denunciatione facta, veluti auctore vteretur ad vim & iniuriam defendendam. Itaque & Zaleucus hoc primus tum cauere cœpit, ne pœnæ essent in arbitrio iudicantium: neq; vt ex animi sui sententia, sed præscripta Legum formula iudicarent.

Igitur neq; per se, neque ab initio, neq; tam personarum (vt cum Platone loquar) fuisse leges manifestum est, quàm fortunæ, fatalisve casus & euentus. Ergo posteaquam de origine dictum est, nunc quid sit in ipsis legibus, & quid plus nihilominus valeat, Lex, an arbitrium Iudicantium, videamus. Lex inprimis quid aliud est, quid Edicta, Senatuscõsulta, Regum, Imperatorũ constitutiones, quàm λόγματα τῶν φρονίμων ἀνθρώπων, *quàm quod vnicuiq; aut Legislatori, aut Prætori, aut Imperatori bis sæpiúsve iudicando, videtur optimè placuisse? quàm vt præceptorum in Artem, ita rerum iudicatarum in Legem veluti quædam recollectio? nempe vt hanc quasi normam ac regulã iudicandi ij propositam habeant (nam & νόμος inde appellatur) qui plus interdum boni, quàm periti sunt iudices.*

 Et-

Etenim quæ lex vsquã gentium lata est, quæ non prius ex singulari aliquo negotio, atque è re nata & transacta, originem & occasionem ducat? leges de nexis, de connubiis plebeiorum, de ambitu, Senatusconsultum de non admittendis in Senatum pueris prætextatis: & nuper apud nos, de secundis nuptiis, de consensu patrumfamilias, & aliæ infinitæ. quod ipsum Imperator Iustinianus constitutione CVIII. de Restitutionibus, disertissime profitetur, dum ait, hoc se in more habuisse, vt ex cognitionibus singularũm controuersiarum quibus iudicandis operam dabat, occasionem legum ferendarũ arriperet, imò solas esse optimas quæ sic latæ essẽt. Sed illud etiã verborũ ipsa notatio demonstrat. Lex enim, quæ à Latinis à delectu dicitur, selectio est eorum quæ ritè antea visa, acta, iudicata sunt. Prædicit atque edicit Prætor, quorum maiorum suorum formulis in cognitione aut iure dando, sequi velit. Iam non Senatusconsulta à consulendo dicta sunt: quod ipsum, vt Quintilianus ait, olim fuit iudicare, vnde (inquit) adhuc, boni consulas, hoc est, bonum iudices? Et Constitutio quid aliud est, quàm quod ex multis iudiciis & opinionibus, item variis aliorum exemplis, definiri atque constitui placuit? Nempe hac ratione vsu venit, vt vnũ idem à seipso diuideretur: & ea pars quæ veluti futuris casibus formam aliquam afferret, Legis generale nomen: quæ aliquid dirimeret prout illud incidit, speciale Rerum iudicatarum vindicaret: ideoq́ res Iudicatæ Legibus postponerentur, vt Vsus disciplinæ. Attamen nihil magis conueniens fuit, quàm suum iuris ordinem vel parium positione conseruari. Etenim Ius illud vniuersum nihilo plus legibus constat, quàm rebus iudicatis:

nec

nec non pars Iuris ciuilis vtrunque esse dicitur. Nam nõ ideo quia leges componi diximus pluribus rebus iudicatis: idcirco lex, vniuersi: res iudicatæ, speciei vicem obtinent. quemadmodum Socrates vnus est de pluribus, non plurium species aut particula. Ergo in eo contentio est, quia Iuris sunt varia genera, quæ primo loco figi oportuit. Nam multum referre veteres arbitrati sunt, quid quolibet loco & ordine veluti caussã perpetuæ moræ finiumq; regundorum collocetur, & vnde initiũ fiat. vt si leges quis ferre velit, vtrúmne prius à nuptiis, an à rebus sacris, aut à magistratibus exordium sumere cum oporteat. Nam ipsa rerum series, ipsa compositio atq; διάταξις eam vim atque persuasionem habet, vt non alia re magis veteres Hetrusci ciuibus suis persuasum iri existimarẽt arma inuenta esse, vt iis aduersus hostes, non ad ciuilem discordiã vterentur, quam si ædem Martis ad campum & extra vrbem, non aliorum Deorum, intra mœnia dedicarent. Ita Res iudicatas primo loco posuisse, non solùm id per se demonstraret, quo iure, quibus præceptis hæc prima hominum societas moderata & conseruata est: verùm id quod nunc etiam aggredimur, etsi à multis multæ leges latæ sunt, perpetuo tamen & Iudicum & rerum Iudicatarum maiorem auctoritatem esse: neque Leges aliquid valere, nisi sit qui veluti Censor eas sartas tectas habere volet. Quid enim quod nunc etiam apud Aristotelem libro III. πολιτικῶν diligentissimè quæritur, vtiliúsne sit virum optimum quàm optimam legem imperare? an non id est, quod (vt C. Plinius ait) maiores nostri recte iudicarunt, nullas potius leges esse, quàm vt irritæ habeantur? Atqui ne in hoc vitium incidat, nulla cau-

la cautione vel si ipse Lycurgus adsit, præcaueri potest. Nam cùm omnia lege comprehendere non sit humanæ mentis, nec quicquam ita diligenter ac cum tanta prouidentia scribi possit, vt omnes casus qui quandoque incident, cõtinere videatur: necesse est inprimis, vt imperita multitudo, ad quam maximè leges adaptantur (nam sapientes animum suum in potestate habent, inquit Seneca, & legem quam sibi volunt, dicunt: quam dixerunt, seruant) dum eodem fortassè vel postero die quo lex primùm lata est, emersum aliquid sentiet, quod non sit lege definitũ: id ipsum legislatoris imprudentiæ atque ignorantiæ tribuat. Porrò nihil periculosius in omni Republica euenire potest, quàm si Populus suum Magistratum minus sapere existimet, neque adeo cautum vt omnibus negotiis idoneè cauere possit. Attamen neque omnia quæ comprehendi possunt, sapiens Legislator comprehendet: vt Solon Atheniensis, qui idcirco in parricidiis nihil adscripserat nominatim, ne pœnâ propositâ ciues admonere videretur, esse possè in rerum natura huiusmodi monstrum. Sunt etiam multa quæ legibus amplecti superuacuum est, vt sunt quæ naturalia sunt; amare parentes, indulgere liberis. & tamen vel initè prætermissa, vel imò quæ cõtraria sunt permissa plerisque videbuntur. Quid, vt iam cum multitudine non loquamur: num multa per se turpia sunt, quæ tamen nullo edicto prohiberi possunt? quale est, amicorum secreta non eloqui: Fidem etiã inimico non fallere: Pacta seruare (nam fere ex pollicitatione atq; nudo pacto actionem non damus) & quod genus est, Non ingratum esse. hoc enim nomine formulam dare, sapientius Romani, quos imitamur, quàm aut Persæ, aut Græci: noluerunt.

runt, Quapropter etsi tot vbique gentium leges scriptæ, latæ, fixæ atque refixæ sunt, adhuc quamplurima quæ omnino decidi non possunt, arbitrio Iudicantium relinquũtur: vt nulla lege definiri potest, quãta fides habenda sit tormentis: quanta habenda sit testibus, & an minus testibus quã argumentis: & cuiusmodi est quicquid in deliberationẽ cadit. Iam si de minimis rebus aliquid in albo proponitur, & en ridicula fiunt reliqua: vt apud nos cibariæ ac vestiariæ leges, quæ & si Luculli, Craßi, Antonij temporibus latæ ac perlatæ essent, autorem suum non laudassent. Est enim dum quid in exemplo, non in legibus poni debet. Præterea cùm lex nulla tam præstans esse poßit, quin semper alia sit ratio scripti iuris, alia boni & æqui: videlicet, vt quod iure fecisse dicimur, non solum hunc intellectum habeat, si lege, sed illum quoque, vt iuste fecisse videamur. & contrà, sit aliud æquum, sed prohibitũ iure, vt libertas testamentorũ: ideóque sit ibi sæpius iniuria, vnde iura postulantur. nec denique alia de caussa noster Iabolenus omnem in iure definitionem periculosam esse dicat, rarumq; esse vt non subuerti poßit: quam quòd hypothesim, caussam atque negotium, ad perpetuam rationem & vniuersalia præcepta, quæ Legem appellamus, aut etiam contrà, thesim ad hypothesim in iure traducere, sit hoc quasi oleum perdere, aut profecto Philosophum, non Oratorem aut Iurisconsultum agere. Nam quid in omni arte definiri poßit, nisi vt duntaxat ad exercitationem valeat, quæ non certis demonstrationibus, sed varijs, dubijs & incertis personarum, locorum, temporum, rerum circumstantijs tota cõsistit? Hoc ipsum, Depositum reddere, Vim vi repellere, quas cautiones, quas

præſcriptiones habet? atqui Regula ſimul cùm in aliquo vitiata eſt, perdit officium ſuum. Merito igitur quia leges mutari & abrogari ſæpe neceſſe eſt: ideóque eam auctoritatẽ amittere, quæ diuturnitate, ſtabilitate & conſtantia potiſsimum acquiritur: neque verò id ſæpius euenire poſsit abſque ſummo Reipublicæ periculo: videri poteſt eos præclarè cenſuiſſe, id optimũ eſſe politiæ genus, quod vel in ſolo arbitrio Iudicantiũ verſatur, vel in quo nihilominus (vt in Gallia) rerum Iudicatarum, quàm conſtitutionum maior eſt fides, grauitas, auctoritas. Nam omnia quæ antea dicta ſunt, minimo digitulo euitari poſſe prudentium virorum arbitrio, quibus nihil vnquam facile occurrit, quin huic ſtatim negotio, pro vtili, honeſto, bono & æquo ſeparatam ac veluti innumerato definitionem habeant: qui ſi aliquid in melius emendare velint, hoc quaſi latenter agant, atque per alluuionem, ne nimium aperta mutatio atque inundatio, iactum, ſeditionem & calamitatẽ afferat. Iudex ſalua rerum Iudicatarum auctoritate, nunc illud, nũc aliud iudicat. Legibus vix vnum, mox alterum caueri poteſt, ſalua omnium legum ſubſtantia. itaque vim maiorem eſſe in veterum exemplis, & rebus antea iudicatis. Quare & ipſe Octauius Auguſtus leges optimè laturus, vetera tantũ dicta & ſcripta proponebat:

-ſic me

Formabat puerum dictis: & ſiue iubebat

Vt facerem quid: habes auctorem quo facias hoc.

Vnum ex iudicibus ſelectis obiiciebat &c. Itaque & Perſarum adoleſcentes cùm ad ſcholam ducebantur, eò ſe proficiſci reſpondebant, vt Ius Iuſtitiamq́ diſcerent. Neque Legiſlator Lacedæmoniorũ alia ratione motus,

leges à se latas, in tabulas redigi vetuit, quàm, dum esse aliquas oportebat, superior tamen Iudicum Magistratuumq́ maneret auctoritas, cùm potius ex animis Iudicum, quàm de tabula pendêre viderentur. Quid de Solone? quanquam hoc sit illius inuentum, ψηφιοῦμαι κατὰ τοὺς νόμους, & is scripto quidem iure maluit: tamen de industria leges obscurius scripsiße dicitur, vt ex earum interpretatione quam Iudices haberent in potestate, cresceret eorum admiratio atque auctoritas. Lex enim quæ nominatim aliquid iubet, sententiā Iudici non relinquit: nec censendæ sūnt illius partes, quem includit formula à Prætore data: Et tantundem, mercator inquit, ego iudicassem. Lex enim ita scripta est. itaque suos iudices postulat. Plebs de æquitate & iniquitate iudiciorum disputat. Quæ omnia primo aspectu speciosa fortasse apparebunt: sed primo quoque die confusionem pariunt, & ad totius Reipublicæ, Legum atque iudiciorum redundant infamiā. An non id præsentiebant Patres cōscripti, cùm sibi CCC.*annis ab vrbe condita, cum Populo Romano tanta contentio fuit, legibus certis, an iudicio Magistratuum Respublica regeretur? Itaque & eodem posteà reciderunt, dum edicta sua perpetua Prætores non sequerentur. qua in re cùm etiam postremò auaritia & ambitione aberrarent, lex Cornelia lata est. Verùm vt semper ex animi sui sententia, non ex præscripto legum iudicare dicerentur,* VIDERI OPORTERE, *non etiam* ITA ESSE *pronunciabant. Denique cùm multæ leges introductæ sunt, quorsum eæ quæ Annales appellantur, nisi vt lecti quiq́ maiores natis atque prudentiores, non vti nunc adolescentuli, proposita controuersia, de hac non tam*

adeo

adeo certè, quàm de lege ipsa ac iure legum, huic an illi negotio conueniant, iudicare ac pronunciare videantur? & eam potißimùm legem amplecti, quam, etsi nulla scripta esset, optimo iudicio sequerentur? Omnino si legum, edictorum, an iudicum iudiciorumq́ maior esse debeat auctoritas, ex vsu nostro, Regia ac perpetua Francorum lege cognoscimus. Nam vt consuetudo esse non dicitur, quæ vno alteróve iudicio firmata non sit: ita omnes fere Constitutiones apud nos in ea conditione sunt, vt legis vicem non habeant prius, quàm supremo Senatu approbãte, promulgatæ, receptæ sint: imò & deinde positæ in vsu atque more iudiciorum. Neque alia re profectò magis, & beatior & diuturnior fuit hæc florentißima nostra monarchia, quàm quòd in ea semper veluti æquo iure Lex atque optimi Principes amantißimus ac fidelißimus suis subditis imperarũt: quàm quòd hoc quasi perpetuum fœdus inere Imperatores nostri, siue sacri sui patrimonij alienatio, siue constitutionum promulgatio ad Populũ agatur: ita horum vnumquodque in posterum valeat, si Patres auctores facti sint. Quæ vlla enim beatior ista Republica esse potest, in qua non pro iure habetur quicquid Principi placuit: sed quod optimè ac legitimè placuit? & si ea semper diuturnior fuit, quæ non pura, aut nimis incitata & aspera, sed permistũ ex aliis politiæ generibus aliquid perpetuo præ se tulit. quid non de hoc Regno opulentißimo adhuc in futurũ bene sperare possumus, quod humanißimi Principes ita sua sponte quadam Aristocratia temperarunt, vt imò sit hoc eorum præclarißimum ac perpetuum edictum, Ne Senatus eam constitutionem approbet, quàm sibi antea non probarit? Ergo, vt de illis

lis

iis quidem reuera dictum est, sit hoc Romanorum Imperatorum, quotquot inter eos optimi fuêre, hoc vno annulo facilè sculpi posse: nostri, nec amplissimo theatro contineri possunt. Nam si hoc edoctus viro sapientissimo Mæcenate Octauius Augustus obseruauit aliquando, vt cùm alia multa, tum non leges quidem, sed legum auctoritatem Senatus potestati permitteret, ob eam certe rationem, vt Dion Nicæus ait, quòd homines iis naturaliter gaudeant, quæ veluti communicato imperio à maioribus accipiunt, & ea quæ suo quoque consilio acta, transacta sunt, pro suis laudant, ideóque vltrò atque libentissimè suscipiunt: sed & si aliquid simile de Tyberio narratur à Nicephoro libro primo, id eum præcipuè Senatui mandauisse, ne Principalibus rescriptis, edictis prius obtemperaret, quā si æqua, iusta & vtilia sibi esse viderentur: atque etiam Probum, leges à se latas noluisse pro legibus haberi, quàm si amplissimus ordo eas suis senatuscōsultis antè consecrasset: præterea cùm alij quidam edicta sua, non Constitutiones, sed Orationes appellari maluerunt, tum quia in Senatu haberentur, tum quia non cogere, sed persuadere vellent: denique vel si hoc de Iustiniano legimus, vt nisi primæ ac secundæ iussioni interdum pareatur; præclara illa & diuina constitutio, solennis apud nos atque anniuersaria est: non huius alteriúsve Principis, sed Pharmondiorum, Pipinnorum, Hugonum, Valesiorum: quid? Francorum Regum iure ac merito propria dici debet. Nam cùm nostri sapientissimi Reges omnes suos subditos habeant tripartitò, vnum genus eorum qui sacra mysteria tractant, alterum Equitum, reliquos postremo loco: ad Iudicum ordinem patet his omnibus aditus, vt ex tribus hoc con-

fatum

statum quoddam Iustitiæ corpus, vnus sit aliorum omnium, atque ipsius adeò Principis quasi domesticus ac familiaris arbiter. Faciant alij (Christophore Thuane) vt lubet, maximos suos Principes. id quàm ad perpetuū statum Reipublicæ pertinet, quòd ij apud nos pro minoribus habentur? vt quemadmodū minori vigintiquinque annis rerum suarum alienatione, non quidem legibus interdicitur, sed eum restitui placet, si læsus, si circunscriptus est: ita optimi Principes edicunt sane quicquid placet, sed si aulicorum ambitione, studio & auaritia decepti, circunscripti sunt, edicto suo perpetuo iubent, se à Senatu suo restitui velle: videat ne quid à se temerè ac properè factum, vt illud de Theodosio, pœnitere poßit: denique maiestatem suam & æquabilitatem comiter obseruet. Itaq. tum interdum maximè sibi obtemperari putant, cùm non statim obtemperat Senatus: quia, vt actor plerumque erga patremfamilias, id prouidentiâ & in rem suam, non contumaciâ fieri sibi persuadet. Nulli apud nos Xerxes, qui conciliū quidem euocent, sed vti homines pareant, non vt ex animo cōsulant. imò potius Galbæ, qui (si ita loqui fas est) παιδαγώγους habere videri malint, quàm mācipia togata. neque in legibus nostris hæc clausula legitur hactenus, VT SINE EXCEPTIONE PAREATVR. Ita certe accidit, vt quanquam sub monarchia viuimus (quæ omnium fœlicißima est administratio) attamen Ius aliquod certum atque definitum habeamus, hoc est, Res de tuo loco iudicatas, quibus quotquot leges sanciuntur, is præest, imperat duntaxat, quæ vel nominatim, vel tacito cōsensu, optima & vtilißima approbata est. Nam quod alij fortasse incōstātiæ tribuunt, tot leges

ges in Gallia ferri, ac negligi: ea re potißimum (quæ summa dos regni est) clementia atq. humanitas Principum nostrorum deprehenditur, quòd eas suas leges minus suspici patienter ferunt, quas Populus vtendo non approbauit: contrà, & maxima libertas atque securitas naturalium subditorum, qui sic veluti suo iure ac sine fraude his abutuntur. Itaque Municipales omnes ac pedanei magistratus, sed & populus vniuersus, hanc cautionem habent. si recens aliqua Constitutio proponitur, inprimis quid sit in ima cera diligenter aspiciunt. Si legitimo ordine, consentiente ac postulante Ægidio Burdino Procuratore fisci (quem summæ virtutis atque eximiæ doctrinæ caussa nomino) sua die, suo more, sine præscriptione, lecta, recepta sit: omnino hac lites iudiciáque dirimunt. Si quid insolitum offendant, vt quia speciali iussu atque imperio Principis admissa, & promulgata sit: nō eam æquè amplectuntur, aut certe cautius agunt. expectant dum quid postea Senatus de ea re iudicet: primo quoque die sentiant. Neque est vt aliquis existimet, illud esse nō iura ferre, sed decipere, quia in eo lex Regni est, quam quisque scire debet: ac præstat vnum aut alterum iuris specie decipi quàm præclarum illud politiæ genus conturbari ac prætermitti. Hoc adeo Romæ in Senatu præstantißimè vsurpatum esse ait Diō Caßius lib. 55. Maiestatis suæ conseruandæ causa, & ad publicam vtilitatem, habuisse quæ Senatusconsulta, & quæ Senatus auctoritates appellarent. Senatusconsulta, quæ omnibus optimo iure, rite atque ordine placuissent: Senatus Auctoritates quibus sententia sua cōtineretur, si quid alieniore tempore, illegitima ratione, atque vi quadam Tribunitia censuissent. Profecto, vt

B à Cicero-

à Cicerone dicitur, Romæ ne Reges quidem sine Senatu esse potuerunt. & contemptibiliora quidem fuerint illa Politiæ genera, in quibus etiam aliqua Sacerdotum: Chaldæorum, Magorum, Ephororum, Cosmorũ, Druydarum fuit auctoritas: modo, vt Theopompus ac Seuerus Imperatores dicere solebãt, augustiora, beatiora, diuturniora sint. Nam vt hæc nostra manus in digitos à natura distributa, non ideo imbecillior redditur, imò vero ad omnem actionẽ & exercitationem propter hoc aptior est: sic ea certe vel œconomia, vel publica administratio commodior atque præstantior est, in qua & subditorum ciuiumque optimorum sunt etiam aliquæ functiones, ac distributa munera. & mihi semper melior erit Cato qui antiquum statum Reipublicæ quantũ potest, commutari non patitur: & laudatior Metellus, qui vrbe, nedum magistratu mauult dimoueri, quàm in eam legem iurare, quam non iure rogatam esse existimat: quàm aut Lysander, aut Pericles, aut Ephialtes, qui & Ephoros & Areopagitas in ordinem redegerunt. nam hæc interitum sequi Reipublicæ necesse est. Ergo & ipsis Legislatoribus, & præcipuè Francis maioribus nostris placuisse patet, vt Legum quàm Iudiciorum minor esset auctoritas. ideo etiam fortasse, quòd quæ pro legibus habentur, sæpe vnius fiunt arbitrio, ne dicam, aliquando libidine. itaque sunt in eorum potestate, qui eas sancierunt, rogare & abrogare possunt. At res Iudicata, quia iudicatæ sunt disquisitis omnium sententijs, & caussa amplissimè cognita, circunstãtijs omnibus rerum, personarum, temporum adhibitis: hanc auctoritatem adeptæ sunt, vt retractari, infirmari, rescindi facile non possint absque breui periculo & conuersione totius

tius Reipublicæ. Perditæ ciuitates (inquit Cicero) desperatis omnibus rebus hos solent exitus exitiales habere, damnati in integrum restituuntur, vincti soluuntur, exules reducuntur, res iudicatæ rescinduntur. Itaque præclarè Alexander Magnus: qui pro Athenodoro multam soluere, quàm ei condonare maluit: & sapientissimè Populus Atheniensis, cùm ad Demetrij postulationẽ, Cleomeni pœnã pecuniarium, ægrè tamen, remisisset: cauit ne quis amplius literas à Demetrio in concionem afferret. admirabilior Senatus: qui cùm vellet Populus Romanus Coriolani damnationem inducere, noluit, ne quicquam Iudicatorum solueretur. Tantum in eo momenti est: vt etiam quod iniquè decernitur, pro iure habeatur: & post rem iudicatam transigere non liceat. Nec alia ratione motus Constantinus Magnus Imperator in Synodo Tyri congregata iniquo iudicio & factionibus Arrianorum destitutum Episcopatu: & ad nos relegatum pijssimum virum Athanasium Episcopũ Alexandriæ, nunquam nisi moriens adduci potuit, vt caussam illius denuo retractaret, quàm quòd in eo iudicium Ecclesiæ, & Conciliorum quodammodo versaretur auctoritas. Non enim tam illius interest, qui vicit, sententiam non rescindi: quàm hoc publicè interest, aliquem esse litiũ finem, & semper æquo iure videri Magistratum iudicasse. Sed proculdubio (Thuane) multum auctoritati rerum Iudicatarum ex Iudicantium auctoritate, maiestate & amplitudine, vel contrà, turpitudine, leuitate, humilitate, aut adijcitur aut detrahitur. Quid enim & quòd Lacedæmonij optimam sententiã nisi ab optimo ciue pronunciari noluerunt, ne aliqua turpissimi autoris contagione, scitum atque decretum

Populi, vilius ac sordidius haberetur? Itaque Ennius.

Hæc tametsi peruerse dices, facile Achiuos flexeris.
Nam cùm opulenti loquuntur pariter & ignobiles,
Eadem dicta, eademq́ oratio æqua, non æquè valet.

Sic inprimis rerum Iudicatarum auctoritas crescit ex Iudicum auctoritate. & ideo Lycurgus non alios in Senatum legi voluit, quàm optimos quosque & sexagenarios. Marcus Antoninus Philosophus ea re potissimum Prætorijs Consularibusq́ viris decidenda negotia committebat, quo magis Iuris auctoritas ex eorum grauitate & dignitate augeretur: vt Dij ipsi, non homines, iudicare, & rei ad Aram potius Legum, quàm ad tribunal aliquod stare viderentur. Cedo, quid expectatur ex eo iudicio, in quo alter Cato, vel Cassius, vel Aristides præesse, interesse conspicitur? quid verò amplius, si Rex aut Imperator ipse in iudicio sedeat? Id de te adeo (Thuane) facile cognoscimus. nam te iudicia tenente, quàm maiore cum attentione, admiratione, grauitate, eruditione, methodo controuersiæ tractãtur, tùm posteà dirimuntur? Sed & rerum Iudicatarum auctoritas ex diligentia quæ in cognoscendo adhibetur, magnum incrementum accipit. vt qualis fuisse dicitur in ipso Antonino Imperatore, qui in caussis cognoscendis certè longior fuit, & ita vndecunque ius inuestigabat, vt de vna atque eadem caussa dies vndecim, sæpe duodecim, sæpe etiam noctu cognosceret. quæ & summa cura in Iuliano Imperatore fuisse narratur ab Ammiano Marcellino. Non enim tũ præclarè in Iudicijs agitur, cũ plura negotia finem accipiunt: sed cùm pauciora, modò seuerissime atque religiosissime. neque alia re magis fama & opinio rectè & optimè iudicandi colligitur, quàm

cùm

cùm id Magistratus diligentißimè obseruat, ne quid præiudicij e domo attulisse, sed & ab omni suspicione ita vacare videtur, vt (quemadmodum olim ab Octauio, & à Principibus nostris sæpe rescriptum est) ne domum quidem eius ingredi velit, qui coram eo litiget. Postremò, si meminerint se à Iure Iudices appellari, ἀπὸ δίκης δικασταί: ergo Iuris Iustitiæq́ esse, vt Demosthenes ait, gentiles atque ὁμωνύμους. HIC ORDO VITIO VACATO: CAETERIS SPECIMEN ESTO. Quid? quod etiam ex loco vbi ius dicitur, augustior sit rerum Iudicatarum auctoritas? cùm de loco maiorũ, cum de cathedra aurea (vt de Cyro antiquitas prodidit) cũ de sellis Curulibus, cũ de camera illa aurata, in qua te purpuratum sedere conspicimus? Itaq; & locus in quo ius dicitur, ius appellatur. nec iã amplius, Forum: sed Templum pacis, propter quod leges valent, vt noster Quintilianus ait. Iam ex ijs quæ profecto contraria sunt, etiam rerum Iudicatarum maximè deprimitur auctoritas. nam neq; ipsa Religio satis per se valet ad commendationem, si nõ bonum ac pium Antistitem, Sacerdotẽ, Pontificem nacta est. Sed vna re potißimùm Iudicia diffamantur, cùm solent reddi ab ijs, quos non tam lectos, quàm relegatos in Senatum populus animaduertit: qui hac famosa voce percuti possunt, qua Repentinus sub Antonino Pio, quòd per concubinam Principis ad Præfecturam peruenisset. Et cùm eò res venit quemadmodũ à Stratocle & Dromoclide dicebatur, vt Curia nõ sit amplius quàm meßis aureæ loco: tum Iudicia negligi, rescindi, imò nulla esse necesse est. Necesse est repeti Tribunitiam potestatem, adimi Senatui iudicia, Equitibus tribui, rursus communicari, postremò in ἀναρχίαν

 incide-

incidere. Hæc igitur pars aut prima, aut sola, aut potissima Iuris Ciuilis, quæ (vt diximus) in rebus Iudicatis consistit, cùm ab omnibus anteà mihi prætermissa videretur, operæpretium me facturum existimaui, si aliquid in ea laboris atque industriæ collocarem. Neque enim si Iulium Paulum tres libros Decretorū, siue Imperialium sententiarum in cognitionibus prolatarum, scripsisse ex libris Pandectarū cognoscimus: & Atteium Capitonem, cuius nihil quidem exstat, aliquot libros de iudicijs publicis cōposuisse, quibus (vt F. Balduinus ex A. Gellio animaduertit) non id tractaret, quod Aemylius Macer, AElius Marcianus, Iulius Paulus, Venuleius Saturninus, Volusius Mætianus, quæ publica essent iudicia, & de ordine publicorum iudiciorū: sed ea collegerat, quæ olim Populus Romanus Tributim aut Centuriatim per suffragia iudicasset. attamen vterque se ijs finibus incluserat, vt ea tractaret duntaxat, quæ ille Populus, aut ille Imperator suo tempore, se assessore, cognoscendo iudicasset. Ego vero (vtinam perfecissem) aliquid maius aggrediendum esse putaui oportere: ideo maximè, quòd Ius etiā in Iudicijs colloco: & quia in ea opinione sum, vt existimem iudicia apud omnes gentes eodem modo exerceri: æquè bona, æquè legitima, æquè naturæ conuenientia: haud aliter atque Cicero lib. III. de Republica, Legem esse definiebat, rectam rationem, diffusam in omnes, constantem, sempiternam: quæ non alia Romæ, non alia Athenis, alia nunc, alia posthac: sed omnes gentes omni tempore, vna & immutabilis tenet ac continet. Nam sicut omnium pictorum imagines ideo variæ quidem videri possunt, quòd alia Socrates, alia Pythagoras, alia Plato effingitur: attamen vnus eo-

rum

rum est labor, quemadmodum Eupompus interrogatus respondit, vt natura non artificem imitentur: ita quicquid Romæ, Athenis, Syracusis, Populus, Senatus, Iudex, Imperator, arbiter, in hac illáve caussâ pronunciauerit, dißimile quidem fortasse videbitur, quia sit vnũ Catilinæ, aliud Epaminondæ, aliud Arati iudiciũ: sed quòd ijsdem mentis rationibus, & ad singula quæque iure, vtili, honesto, æquo & bono pro temporum, locorum, rerum, personarum circumstantiis accommodato, terminatum decisumq́ est: planè pro certo ac perpetuo iure habetur, & in omnibus causis similibus legis vicem obtinet. Nam si quid iniquè, malo more, vi, sordibus, & aduersus illam sempiternam Legem atque immutabilem, in Gallia aut Hispania iudicatum, actum, pronunciatum est, non placet hoc Iudicatum appellare: quia si Iudicatum à iudicio dicitur, vt Ius à Iustitia: profectò quod impetu, vi, iracundia, libidine transactũ est (qualia sunt pleraque Populi, & omnia ferè tyrannorum iudicia) neq; Iudicium, neque Iudicatum nuncupari potest, sed Exemplum: in quo non veritatis, iustitiæ aut æqui & boni, sed solius anteà facti versatur aliqua narratio. & tum proculdubio, vt Iustinianus ait, non exemplis, verùm legibus iudicandum est. Igitur cùm hoc Ius Rerum Iudicatarum non libris nostris, neq; vllis antea propriis, contineri animaduerterem, sed totum esse positum & absconditum in veteribus omniũ Populorum moribus, legibus, institutis: imò verò si de stillicidiis, de suggrundis, de interdicto VTI POSSIDETIS, de formulis, an cum hoc, an apud hunc iudicem agatur: denique si aliqua litigandi arte (quod genus fuisse, qui scriptis aliquam populo traderent, Isocrates

tes contra Sophistas grauissimè conqueritur) si literarum ac syllabarum tendiculis, item forensibus cauillationibus Ius, fas, lex, æquum bonúmque transferri, inclinari oportet: aptissima ad hanc rem profectò & accōmodata iuris nostri vulgarium interpretū, & eorum qui nūc ferè apud nos scribunt, præcepta & monimenta habeamus: cōtrà (quæ summa & prima Iurisprudentia atq; sapientia est) si de eo cōstituendo negotio lis iudiciūq; versabitur, in quo sit tota sæpissime Reip. ratio: Qui in summo gradu collocatus est, hunc, etsi reus postulari possit, expediátne potius innocentem pronunciari, imò neq; nomen illius recipi, quàm aduersus eū legibus agere: Si de iure Populorū, An & qua ratione publica iniuria siue coniuratio, siue seditio periculosa cōponi aut vindicari posit: Si de Religione, de maiorū institutis, de iure vectigalium, de iure Sociorum, Prouincialium, de finibus Imperij, de Principalibus ac Regijs controuersijs: deniq; si de eo Iure agatur, quod per se iniuria, sed aliorum comparatione, summa ratio, summa iustitia est (vt quandoq; præstat innocentē opprimi, quàm plures facinorosos: & quædam iniudicata prætermitti, quàm iudicio dirimi. quorum omnium exempla his, vt opinor, libris quos ad te mittimus, celeberrima legi possunt) cū certè eorum omnium definitio, ijs etiam Iurisconsultorum libris quos in manibus habemus, vix certa contineatur, adeóque te (Illustrißime Thuane) in omni illo genere admirabilem, præstantem, eximium, non Palatij διατριβὴν sed ea præstiterit, quæ quantus fuit Themistocles, tantum eum reddidit Mnesiphili Phrearæi schola, qui (vt Plutarchus ait) iam versantem in Rep. Themistoclem ijs artibus instruxit Philosophiæ, quæ non in ver-

in verborum compositione, aut rerum naturalium contemplatione, aut versutia litigandi, sed in vera sapientia & philosophia versarentur, hoc est, scientia & vsu ex aliorum dictis & factis benè & beatè Reipublicæ administrandæ: à qua Sapientes non Sophistæ appellamur. Itaque censui hoc ius quod quærimus, aliunde peti oportere, nempe vnde Cato Vticensis, qui cum primum ad Remp. voluisset accedere, vsus est hospitum, clientum, libertorum, amicorum suorum opera & industria, vt ex qualibet Imperij Romani prouincia, summorum virorum, & qui in ijs potestatem habuissent, præcipua omnia iudicia, decreta, edicta sibi colligeret. Sed & quid de Lucullo? is laudem atque disciplinam militarem, legendis aliorum Imperatorum strenuè ac præclarè gestis, adeptus esse dicitur. Qui mei itaque hospites? qui mei Iurisconsulti? Xenophon, Thucydides, Demosthenes, Polybius, Cicero, Salustius, Cæsar, Halicarnasseus, Liuius, Plutarchus, Dion Cassius, Cornelius Tacitus, & alij innumeri, qui singuli in sua quique Rep. præstantissimi ac potentissimi, aut peritissimi fuere.

Ex eorum itaque fontibus hoc latens sed præcipuum neque adeo vulgare Politiæ genus, non tibi (ô Thuane amplissime) quem nihil profectò latet: sed auspicio tuo posteritati deduximus, aut aperuimus certè. Dixi non vulgare, quia (vt contra Demosthenem Dinarchus sapienter ait) qui aliquid ad posteros memoriæ reliquerũt, vt esset præteritorum recordatio, præsentiũ rerum disciplina, non id tradiderunt, quod scire vel parum interesset, vel minimè desideratur: qualis est humilium reorum damnatio, animaduersio: sed potentiũ virorũ atque illustrium, quos interdum si iudicatos esse audiũt,

laudant posteri, & Iudicum seueritatem atque religionem cum plausu & admiratione suscipiunt, qui Ius Iustitiamq́ reorum potentiæ & opibus non prodiderunt. Habes hîc itaque sententias non Duumuirorum Municipalium, non Pedaneorum Iudicum: sed illius Senatus, cuius veram speciem is cepisse dicitur, qui respondit, eum Regibus constitisse: Amphictyonum, qui disciplina totius Græciæ dicebantur: Areopagitarum, quorum æquitate etiam Deorum iurgia transacta esse dicũtur: Populi Romani, Atheniensium, Carthaginensiũ, Principum, Regum, Imperatorum ipsa iudicia, qui non amicos & comites solùm, sed & Iurisconsultos in cognitionibus admittebant. Hîc deprehendi poterit, quod scriptũ est à Cornelio Tacito, aliter iudices priuatos, aliter Principes iudicare consueuisse. illos solius æquitatis, hos etiam famæ atque opinionis suæ rationem ponere. Hoc, quantulumcunque sit, non tàm perfectum opus, quàm prima aliqua operis forma, cùm de F. AERODIO *patruo meo quondam ideo postularem cui probandum potißimum locari vellet, vt sua voluntate alteri soluendo, id mihi aliqua parte ad dimittendam eam obligationem proficeret; qua quicquid sit quod in me eruditionis est, illius æs, nomen pecuniaq́ fuit: Ecquid (dicebat) si decorum in beneficijs quoque obseruandum est, & si aliter imago ab artifice, aliter ab imperito conspicitur: à docto, quàm ab indocto Musica excipitur: im vero, vt de te aliquando audijsse memini (nam studiorum meorum sic quandam rationem postulabat) cũ Anacharsis Scytha mirari se diceret, quî fieret vt apud Græcos Athletæ decertarent: contrà, sederent & iudicarent imperiti: cui tu sapientißimorum iudicum, clarißimo-*

rißimorum magistratuum, virorũ prudentißimorum quotquot anteà fuerunt, Decreta, Iudicia cõuenientius voueas, quàm religiosißimo Iudici, eminentißimo magistratui, atque sua sponte viro prudentißimo, consultißimo? quem non tam adeò Magistratus ipse demonstrat, quàm is summum Magistratum in Gallia iubet esse augustiorem, ampliorem, honoratiorem? in quo possint omnes partes animaduerti, quibus ex Iudicis auctoritate maior efficitur rerum Iudicatarum auctoritas: gẽs, fortuna, eruditio, ætas, integritas, humanitas? Quãobrem (Thuane) illo mihi auctore; te auctorem laudo. Quòd si conditionem accipis, id inprimis tibi denuncio, vt si quis mihi fortasse litem moueat, ideoq́ me caussa cadere oportere apud te ipsum auctorem meũ ac Iudicem audeat dicere, quia plus hac præfatione tanquam formula comprehendo, quàm his duobus libris forte cõtinetur: nam dixi, vt opinor, me omnia iudicia totius antiquitatis in formã Iuris perpetui collegisse: attamen & multa addi possint, & alia quoq́ me habere fateor, quæ in aliud otium contuli: Interim igitur hoc verbum O M N I A *sic accipito, quemadmodum Centumuirale iudicium appellatur, etsi plerunque centum iudices non sedeant: & vt Centuria dicitur, in qua modus etiã aliquis iugeri deficit. Dic me fecisse quod vel boni venatoris est, in magna sylua quamplurimas feras indaganter ferire, capere: non etiam culpæ annumerari, si omnes omnino non ceperit. Dic Papyriũ, Flauium, Sextum Ælium, Iulianũ, Theodosium, ac ipsum denique Iustinianum, quòd leges Regias, legis actiones, edicta Prætorum, Imperatorum constitutiones sine ordine latas in vnum composuerunt nullo addito de suo, & quanquam eligerent*

rent

rent leges de legibus duntaxat: meruisse vt ex eorum nomine Ius ciuile Papyrianum, Flauianum, Ælianum, edictum perpetuum Iuliani, Codex Theodosianus, Iustinianeus diceretur. Me quidem non postulare, vt hoc Ius Ærodianum appelletur (nam Thuanum ego malim) sed hoc solummodo: Quia, vt lex erat Achiuorum, ne Prætor cùm de bello consuleret, ipse sententiam diceret, ita aliorum huius operis iudicium, non meum esse necesse est: vt si quis alius à te in hæc inciderit, si legat, perlegat: si audiat, sententiam differat in extremum. Nam si hoc persuaseris, imo verò si cognoscens tute pronunciaueris: vt vereor quidē ne pars aliqua secundum suam cuiusque rationem, aliquibus non probetur: ita etiam spero fore, vt omnibus vniuersitatem varietas ipsa commendet: quemadmodum in ratione conuiuiorū, quamuis à plerisque cibis singuli temperēt, totius tamen cœnæ apparatum laudare solent: nec ea quæ fastidiunt stomacho, ys quibus delectatur, gratiam atque suauitatem auferunt.

IOANNIS

IOANNIS MOSAC IN SENATV PAtroni, ad Petrum AErodium I.C. Ode.

Qui decus quærit celebris Patroni,
Sit bonus primùm, ac studijs peritus:
Oret & dicat: iuuet in Senatu
Vota Clientum.
Hoc decus quondam Cicero ac Pericles,
Et tuus nuper retulit THVANVS,
Qui diu magna officium Patroni
Laude peregit:
Nunc sedens primi in solio Senatus,
Litium nodos, strepitus Forenses,
Et graues caussas dubiásque mira
Diluit arte.
Huic tuos sacras merito labores:
Iudicem talem meritò requiris,
Quem ducem nactus poteris per ora
Ire virorum.
Da tui pensa ingenij quotannis,
Arduas causas age quotdiebus:
Sic tuis annis referes THVANI
Præmia laudis.

Ad P. Ærodium Magdalenus Iarrius.

Assyrij, Persæ, Græcíq., Remíq. nepotes,
Et quæcunque polo Gens sub vtroque iacet:
Sparsa per auctores varios sua scita legebant,
Vt legitur varijs Indicia gemma vadis.
Tot disiecta locis aspectum cogis in vnum,
Inque suum corpus membra redire iubes.

Quæ

Quæ prior ingenijs debebat pluribus ætas,
Vni accepta tibi secula nostra ferunt.

DE LIBRIS P. AERODII IN SVPREMO Parisiorum Senatu Patroni, Ludouici Galopæi Carmen.

Viuere qui rectè, qui nullum lædere, qui ius
Optat & absque dolo reddere cuique suum:
Hoc euoluat opus. Nam quæ Cretensibus olim
Iura dedit Minos, Mercuriusq́; suis:
Quæ Draco, quæue Solon Graiis, Spartæq́; Lycurgus,
Vel quæ Romulidis Romulus Iliades:
Quod Natura iubet, quod Gens, quod ciuica scripta,
AERODII vigilans continet iste labor.

IOANNIS AERODII DE IVDICIIS P. AErodij fratris sui amantissimi.

Iudicium, Lector, cur vis de hoc ferre libello?
Non opus est iterum iudice iudicijs.

P. AERODII ANDEG. I. C. DECRETORVM, RERVMVE APVD DIVERSOS populos ab omni antiquitate iudicatarum, liber primus.

DE IVSTITIA ET IVRE. TIT. I.

Et in rebus iudicatis, Ius Iuſtitiamque conſiſtere.

I. Ex M. Tullio Cicerone, in Topicis.

IVS ciuile eſt quod in legibus, Senatuſconſultis, rebus Iudicatis, Iuriſperitorum auctoritate, edictis magiſtratuum, more, æquitate conſiſtit.

II. Ex Fabio Quintiliano, lib. 7. cap. 5.

IVS omne continetur natura, vel conſtitutione. Natura, quod ſit ſecundum cuiuſque rei dignitatem. hæc ſunt, pietas, fides, continentia, aliaque huiuſmodi. Conſtitutio eſt in lege, more, iudicato, pacto.

III. Ex Calliſtrato, lib. 1. Quæſtionum.

QVARE & Seuerus Imperator ita reſcripſit, in ambiguitatibus quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudiné aut rerum perpetuo ſimiliter iudicatarum auctoritatem, vim legum obtinere.

Iudicatum quid sit.

IIII. Ex auctore ad Herennium, lib. 2.

IVDICATVM est id, de quo sententia lata est, aut decretum interpositum.

V. Ex Cicerone, lib. 1. de Inuentione.

IVDICATVM est res assensione, aut auctoritate, aut iudicio alicuius, aut aliquorũ comprobata. Id tribus in generibus spectatur, religioso, communi, approbato. Religiosum est, quod iurati legibus iudicarũt. Commune est, quod omnes vulgo probarũt, & secuti sunt, huiusmodi: vt maioribus natu assurgatur, vt supplicum misereatur. Approbatum est, quod homines cùm dubiũ esset, quale haberi oporteret, sua constituerunt auctoritate: velut Gracchi patris factum, quem Populus Romanus ob id factum, quod insciente collega in censura nihil gessit, post censurã Consulem fecit.

Inter leges, edicta, Senatusconsulta, & res iudicatas quid intersit.

VI. Ex Aristotele, πολιτικῶν lib. 4.

DE rebus vniuersis, lex est: de singulis, Magistratuum iudicium.

VII. Ex Cicerone, in Partitionibus.

IVDEX statuit de præteritis: de futuris, Senatus. sed quæ sæpius similiter iudicata sunt, etiam in futuris pro legibus habentur. Itaque a præiudiciis va-

dicijs va-

diciis valet argumentum.

Eadem de re cùm iudicia diuersa reperiuntur, quid potius sequendum.

VIII. Ex auctore ad Herennium, lib. 2.

IVDICATA sæpe diuersa sunt, vt aliud alij Iudici, aut Prætori, aut Consuli, aut Tribuno plebis placitum sit: & fit, vt de eadem re sæpe alius aliud decreuerit, aut iudicauerit. Quod genus, Marcus Drusus Prætor Vrbanus, quòd cum hærede mandati ageretur, iudicium reddidit: Sextus Iulius non reddidit. Item Caius Cælius iudex absoluit iniuriarum eum, qui Lucilium Poëtam in scena nominatim læserat. Publius Mutius eum, qui Lucium Accium poëtam nominauerat, condemnauit. Ergo quia possunt res simili de causa dissimiliter iudicatæ proferri, cùm id vsuvenerit, iudicem cum iudice, tempus cum tempore, numerum cum numero iudiciorum proferemus. denique, vt in legibus, quod postremò iudicatum est, inspici oportebit.

IX. Ex Cicerone, lib. 1. de Inuentione.

OPORTET animaduertere, ne, cũ aliter multa sint iudicata, solitarium aliquod aut rarum iudicatum afferatur. nam his rebus auctoritas iudicati maximè potest infirmari.

Quî fit, vt aliquando Iudex iniquè decernat.

X. Ex AEschine in Timarchum.

QVID est, quòd, cùm leges bonæ ſint in Republica, nihilominus decreta veſtra, ſententiaſque iudicum ſæpe (ô Athenienſes) reprehẽdi manifeſtum eſt? Ego rationem aſſeram: Ideo quia leges à vobis ſanciuntur, omnis æquitatis habita ratione, non iniuſti lucri cauſa, neque odio priuato, ſiue ex inimicitijs: ſed ipſius iuſtitiæ publicęque vtilitatis contemplatione duntaxat. & cùm ingenij dexteritate alijs omnibus antecellatis, non mirum eſt vos pulcherrimas ſancire leges. In concionibus autem & in iudicijs, ſæpe neglectis ipſorum negotiorum cauſsis, animus veſter ab improbis oratoribus aliò traducitur: Iudicum oculis præſtigię afferuntur. conſuetudinem etiã omnium iniquiſsimam inducitis. ſinitis enim vt ij, qui cauſam dicunt, eoş, a quibus accuſantur, itidem ſimul accuſent.

XI. Ex F. Quintiliano, declam. 266.

NON ſemper Iudicum culpa eſt, cùm innocens damnatus erit. aliquando teſtis corrumpitur, aliquando parum diligenter cauſa defenditur, aliquando reo nocet & ipſa fiducia.

At quoquò modo iudicatum eſt, ius eſt.

XII. Ex Paulo, lib. 14. ad Sabinum.

PRAETOR quoqe ius reddere dicitur, etiam cùm iniquè decernit: relatione ſcilicet facta, non ad id quod Prætor ita fecit, ſed ad illud quod Prætorem facere conuenit. & hanc rerum iudicata-

dicatarum auctoritatem esse, publicè interest, vt aliquis sit litium finis.

His itaque rebus iudicatis stari placuit.

XIII. Ex Tito Liuio, Decade 1. lib. 3. & 4.

CVM Populus Romanus inter Aricinos & Ardeates de ambiguo agro iudicasset (qua de re tit. de iudicijs) apud Senatum quærentibus Ardeatibus de iudicij iniquitate: censuit, quod semel a Populo Romano scitum iudicatum esset, eius salua maiestate rescindi non posse.

Non quicquid licet accusatori, licet reo.

XIIII. Ex C. Plinio nepote, lib. 5. 6. & 7. epistolarum.

BITHYNI Rufum Varenũ Proconsulem lege Repetundarũ detulerunt, quem nuper aduersus Iulium Bassum, Aduocatum postularant & impetrauerant. inducti in Senatũ, inquisitionem petierunt. Rufus non impediebat: sed sibi quoque postulabat, vt defensionis causa liceret testes euocare. Id Bithyni recusabant: etenim rem nec lege comprehensam, nec visitatam esse: quinimo & iniquam. Nam reos, sola se ferè inficiatione defendere: neque ad probandum quicquam eis admitti, præter testium refutationes. alioqui neminem vnquam damnari posse noxium, si tantundem liceat reis in publicis, quantum in ciuilibus actionibus. alioqui & admitti oportere, vt qui legib⁹ publicorum iudiciorum accusantur,

per procuratorem se defendant, causas appellationum per alios tractent. Naturale esse, vt non prius tela reijciantur, quàm emissa sint ab aduersario. statim verò & accusatorem & reum simul inquirere, antequam constituta sit accusatio, ineptissimũ & absurdissimum esse. Denique, vt id Vareno liceat, ordine legis Repetundarum non compræhendi. Nam quod lege Ambitus nominatim continetur, vti reo quoque inuicem testes euocare liceat: ideo admissum esse, quòd ea lege absoluitur, qui alium, vel accusatorem ipsum, Ambitus arcesserit, damnauerit. Attamen quod Varenus postulauerat, Caio Plinio dicente, & tùm maiore parte Senatus approbante, impetrauerat: aut quia res minus contentiosè & acriter pro Bithynis acta esset, vt, hoc an illo modo decerneret Senatus, parum eis referre videretur: aut quia prima facie odiosa esse appareret Bithynorum causa, eum accusantium, quem ad simile crimen aduersus Iuliũ Bassum persequẽdum, Aduocatum elegerant: ideoque non multum interesse, qua in parte accusationis, Varenus seu laudationibus, seu contrarijs testibus crimen à capite suo repelleret. At res ita iudicata, nedum Bithynis, verùm & ijs Senatoribus qui tùm contrà senserant, adeo noua & iniqua esse visa est, vt sequente Senatu Licinius Nepos, cùm de alijs rebus referretur, finitam causam retractare ausus sit, ac de proximo Senatusconsulto iterum differere, his verbis, Vt, si illud Senatusconsultũ corrigi non placeret, petendum sit a Consulibus, refer-

referrent ſub exemplo legis Ambitus de lege Repetundarum, an placeret in futurum ad eam legem adijci, vt ſicut accuſatoribus inquirendi poteſtas teſtibúſq; denuntiandi ex ea lege eſſet, ita reis quoq; fieret. Bithyni etiam, cùm auſi eſſent Senatuſconſultum apud Traianum criminari, atque de iniquitate poſtulare, remiſsis ijs ab Imperatore ad Senatum, vt denuo cognoſceret: Claudius Capito ita egit pro Bithynis, vt ipſum Senatuſconſultũ apud Senatum accuſaret. Fronto Catius contrà, totus fuit in rerum iudicatarũ auctoritate, propter quam etiam quod iniquè decretum eſt, ius eſt. Itaque Senatus mirificus fuit. nam illi quoque qui prius negarant Vareno quæ petebat, eadem danda eſſe, poſtquam data erant, cenſuerunt. Singulos enim fas eſſe re integra diſſentire: cęterum peracta & tranſacta, quod pluribus placuiſſet, cunctis tuendum. Nam & Lacedęmoniorum id fuiſſe laudabile inſtitutum, apud eos interim dum aliquid decerni tur, omnes pro animi ſui ſententia conſulerent: vbi vero quid decretum fuerit, idem laudarent omnes, atque adiutores eſſent ij etiam qui refragati erant. Placuit etiam Licinium increpari, quod intempeſtiua & præpoſtera locutus eſſet.

DE FIDE ET RELIGIONE, VT NEMO PVBLICE DE EA CONtendere audeat. Tit. II.

In cauſa religionis, nullum non delictum graue eſt.

I. Ex Mose, Numerorum cap. 15.

QVIDAM Israëlita in deserto ad Mosen & Aaron adductus est, qui quòd in Sabbatho ligna collegisset, violasse legem diuinam arguebatur. Conuictũ iussêre duci in carcerem, dum cõsuleretur, qua in eum pœna animaduerti oporteret. Etenim certum erat, qd esset lege prohibitum: sed qui aduersus eã deliquissent, nulla pœna lex nominatim coërcebat. itaque videbatur, quemadmodum lex ea certè potentior est, quæ vetat, quàm ea quæ permittit: sic quoque leuius esse vetare, quàm punire. nõ ergo pœnam legis quæ puniat, in hac quæ vetet duntaxat, exercendam esse. Verùm vbi præclarius censuêre, turpe atque indignũ esse, si humanæ leges morte, vinculis, exilio, pecunia vindicentur: diuinas, fas sit, impunè contemnere, quas tamen nemo vnquam leuiter offendit: placuit, eductum è castris, lapidibus obrui.

Qui antiqua, legitima, atque ordinaria sacra audet in controuersiam adducere, non audiendum, nisi periculo sui capitis, si non persuadeat veriorem suam esse sententiam.

VIII. Ex Flauio Iosepho, lib. 13. antiquitatum, cap. 6.

INTER Iudęos & Samaritanos cùm esset ad seditionem vsque orta summa contentio apud Alexandriam, quòd Iudæi dicerent habere se Hierosolymis antiquissimum & augustissimũ templum totius Iudaicæ religionis: illud primas partes

tes occupare, & in eo ritè & ordine, quæ à Mose traditæ sint, ceremonias celebrari: esse id igitur oportere templorum aliorum omnium exemplum, si quidem vlla possint esse legitima, quæ non antea Moses vel omnino prorsus, vel nisi certo loco ædificari mandauerit, Samaritani cõtrà, quod in Alexandria Alexandri Magni beneficio quondam olim ædificassent, id Hierosolymitanum omni optimo iure antecedere: itaque illud præ suo fastidirent, contemnerent: Re ad Ptolemæum regem AEgypti (qui Philometor cognomento fuit) delata atque reiecta, non censuit eam negligendam esse, quia de religione ageretur. Itaque cùm aliquid in ea mouere perpetuo sit periculosum, maximéque perniciosi exempli, cùm disputationibus & altercationibus, summota venerandæ antiquitatis opinione, religionis auellitur auctoritas: Ptolemæo placuit ea conditione rem, quæ satis iudicata videbatur, in iudicium deduci, vt partium vtrinque Aduocati, non nisi cum capitis periculo de controuersia dicerent: neque vllis aliјs vterentur, quàm ex lege Mosaica sumtis argumentis. qui caussa cecidissent, eorum Patroni capite suo litem æstimarent. Itaque pro Samaritanis dixere Sabbeus & Theodosius: pro Iudæis, Andronicus. Summa attentio, summa expectatio fuit. nam templi Hierosolymitani antiquitatem, maiestatem & auctoritatem mirum erat in dubium trahi posse. Ergo cùm superior in caussa fuisset Andronicus, eò quòd adiutoribus libris Mosaicis,

de templi Iudæorum antiquitate fidem Ptolemęo fecisset, quomodo à Mose primò descriptũ, postea a Dauide institutum, postremò à Solomone constructum: ibi summus Pontificatus per successionem vsque ad sua tempora collocatus, destinatus esset: Asiæq; Reges id donis & oblationibus decorassent: Garinzitanum templum, minime: Rex pronuntiauit templum Hierosolymitanum verè esse Mosaicum. itaque Sabbeum & Theodosium mori oportere. Certe nonnullæ sunt causæ, quæ omni Aduocato ita destitui debent, vt si quis audiri velit, hoc sine sua fraude
" non liceat. Lex erat, Cum damnato proditionis
" & patronus exulet, vt Quintilianus scribit declamatione 334. Denique & apud Locros lege a Zaleuco lata, qui aduersus instituta maiorum, atque leges communi vsu approbatas, nouarum rerum auctor esse vellet, ei laqueus oranti proponebatur, ni persuaderet. quibus omnino rationibus atque conditionibus, si nos præsertim hoc tempore vteremur, quo is demum nihil scire & illiberalis esse dicitur, cui non placent absurdissima quæque, modo recentissima: non ita planè res incertæ essent ac turbulentæ, neque tam multi multarum partium, factionum, opinionũ autores euaderent, cum suo saltem periculo ea discerent amare, colere, pacem, patriamque, leges, ac magistratus: quæ odio sane prosequuntur.

Libros de religione, iudicio vulgi committere, procliue esse atque periculosum.

II. Ex

II. Ex Dionysio Halicarnasseo, lib. 4. & Valerio Maximo, lib. 1. cap. 1.

M. ATTILIVS Duumvir sacrorum custodiendorum, sub rege Tarquinio fuit, is pecunia corruptus, describendos libros Sibyllinos homini priuato & plebeio Petronio Sabino concesserat. Hanc ob rem, parricidarũ vetere supplicio damnatus est. etenim censuisse Tarquinium, pari vindicta, parẽtum ac Deorum violationem expiandam esse. Deos cæteroquin tum maximè violari, cùm eorum in vulgus rude atque imperitum, emittuntur libri atque ceremoniæ: quas omnes, veræ sint aut falsæ, perpetuò sanè contemserit, quandiu liberum de ijs habuerit iudicium: easque legere, tractare, aspicere pasim ac vnicuique aut docto aut indocto, plebeio aut patricio, viro aut mulieri dabitur.

Occultiora quæque, eò magis suspicimus, colimus.

III. Ex Tito Liuio, Deca. 1. lib. 6.

A GALLIS vrbe capta, postquam eam restaurari placuit, non etiam ad Veios transmigrare: Tribuni militum Consulari potestate, cùm primùm magistratum inijssent, nulla de re priùs, quàm de religionibus Senatum consuluerunt. Inprimis fœdera ac leges (erant autem hæ, duodecim tabulæ, & quædam Regiæ leges) requiri quæ comparerent, placuit. alia ex eis, edita etiam in

in vulgus: : sed quæ ad sacra pertinebant, ea decreto Senatus & à Pontificibus, maximè vt religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressa sunt.

Falsarum ac nouarum opinionum auctores nũquam ab initio vi aperta, ac bona fide agere: sed quò virus suum euomant, captare tempora impacata, & inquieta. In hac re si quid agendum sit, id maioribus Magistratibus committendum. Item libros improbatæ religionis comburi oportere.

IIII. Ex eodem, Dec. 3. lib. 5.

CVM diutius bellum Punicum secundum traheretur, & variarent secundæ aduersæque res non fortunam magis, quàm animos hominum: tanta religio, & ea potissimũ externa, ciuitatem incesserat, vt homines aut Dij alij repente facti viderentur: nec iam in secreto modò, atque intra parietes ac postes contemnebantur Romani ritus: sed in publico etiam ac foro Capitolioque mulierum turba erat nec sacrificantium nec precantium Deos patrio more. Sacrificuli ac vates ceperant hominum mentes. Horum etiam numerum auxerat rustica plebs, ex incultis diutino bello infestisque agris egestate, & metu in vrbem compulsa. Re ad Patres & ad publicam querimoniam delata, incusati sunt inprimis grauiter à Senatu AEdiles Triumvirique Capitales, quòd non prohiberent. Itaque cùm emouere hanc multitudinem e foro, ac disijcere apparatus

ratus ſacrorum conati eſſent, haud procul abfuit quin violarentur. Quamobrem vbi potentius iam eſſe id malum apparuit, quàm vt per minores magiſtratus ſedaretur: M. AEmilio Prętori vrbis negotium ab Senatu datum eſt, vt his religionibus populum liberaret. Is & in concione Senatuſconſultum recitauit, & edixit, vt quicunque libros vaticinos precationeſque, aut artem ſacrificandi conſcriptam haberet, eos libros omnes, literaſque ad ſe ante illum diem deferret: neue quis in publico ſacroue loco, nouo aut externo ritu ſacrificaret.

Diſſolui religionē nimia tractatione religionis. Cauſſam de religione ad Senatum pertinere. Rem à domino, pretio ſoluto, propter vtilitatem publicam auferri poſſe.

IIII. Ex eodem, Decade 4. lib. 10.

P. CORNELIO Lentulo, M. Bebio Pamphilo Coſſ. in agro L. Petilij ſcribæ, dum cultores agri altius terram molirentur, libri Numæ de iure Pontificio ac diſciplina ſapientię, reperti ſunt. Primò ab amicis, qui in re præſenti fuerant, lecti libri: mox pluribus legentibus cùm vulgarentur, Q. Petilius Prætor Vrbanus ſtudioſus legendi, eos libros a L. Petilio ſumſit. Lectis rerum ſummis, cum animaduertiſſet pleraque ad diſſoluendam religionem eſſe, L. Petilio dixit, ſeſe eos libros in ignem coniecturum eſſe. priuſquam id faceret, ſe ei permittere, vti, ſi quod ius

ſiue

ſiue auxilium habere ſe ad eos libros repetendos exiſtimaret, experiretur. Scriba Tribb. pl. adijt. res a Tribunis ad Senatum reiecta eſt. Prætor ibi cum ſe iusiurandum dare paratum eſſe diceret, libros eos legi ſeruarique non oportere: Senatus cenſuit ſatis habendum, quòd Prætor iusiurandum pollicetur, libros primo quoque tempore in comitio cremandos eſſe: pretium pro libris, quantum Q. Petilio Prætori, maiorique parti Tribunorum plebis videretur, domino eſſe ſoluendum. id ſcriba non accepit. Libri in comitio igne à victimarijs in conſpectu populi cremati ſunt.

Libros dijudicandi ius, ſi probatæ an improbatæ ſint lectionis, ad Pontifices pertinere: atque in re tam ſeria nullos admittendos, qui ſine auctore ad ſecurè decipiendum circumferuntur.

V. Ex Suetonio in Auguſto, cap. 31.

POSTQVAM Auguſtus Imperator Pontificatum maximum adeptus eſt: quicquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis vel parum idoneis auctoribus vulgò ferebatur: ſupra duo millia contracta vndique, combuſsit: ac ſolos retinuit Sibyllinos, hos quoq; delectu habito: & ne paterent omnibus, condidit duobus forulis auratis ſub baſi Palatini Apollinis.

Cauſas de religione, ſatius eſſe non aperto foro cognoſcere.

VI. Ex eodem, ibidem cap. 93.

IDEM

IDEM cùm Romæ pro tribunali de priuilegio ſacerdotum Atticæ Cereris cognoſceret,& quædam ſecretiora proponerẽtur : dimiſſo concilio, & corona circumſtantium, ſolus diſceptantes audire voluit.

Antequam libris de religione auctoritas tribuatur, quid obſeruandum : & ſacerdotum huius rei primam curationem eſſe, poſtremam Senatus, aut ipſius adeò Principis. Porro quæ in ea re minùs legitimè,ac contra morem maiorum decreta ſunt, retractare vtilius eſſe.

VII. Ex Cornelio Tacito, lib. 5.

CVM à Quintiliano Tribuno plebis ad Patres relatum eſſet de libro Sibyllæ, quem Caninius Gallus Quindecimvir recipi inter cæteros eiuſdem vatis, & ea de re Senatuſconſultum fieri poſtulauerat : idque illo referente per diſceſsionem factum eſſet : Tiberius literas miſit ad Senatum, quibus Tribunum plebis modicè increpabat ob iuuentutem ignarum antiqui moris atque inſtituti : Gallo verò exprobrabat, quòd in ſcientia ceremonijſque verſatus, de carmine, cuius auctor incert⁹ erat, quod, citra quam fieri conſueuit, magiſtri nec legerant prius nec æſtimauerant, item ante ſententiam collegij & apud infrequentem Senatum, ſiue per ſe, ſiue per alium egiſſet. Denique & Patres ipſos admonebat, non meminiſſe ſe, cùm multa vana ſub nomine celebri vulgarentur, ſanxiſſe Auguſtum, intra quem diem ad Prætorem Vrbanum deferrentur,

rentur, neque habere priuatim liceret. quinimò & à maioribus quoque decretum esse, post exustum Sociali bello Capitolium, quæsitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam & Italicas colonias carminibus Sibyllæ (vna seu plures fuerint) datoque Sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernerent: ideoque nunc etiam notioni Quindecimvirûm hunc librum subijci. Quare vt denuo rem ac maturius agerent, monebat Senatum.

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS, *ET DE REBVS AC PRIVILEGIJS* earum. Titulus III.

Templorum materiam ipsam diuini iuris esse, quàm neque ad aliorum ædificationē transportare fas sit.

I. Ex Tito Liuio, Deca. 5. lib. 2. & Valerio Maximo, lib. 1. cap. 2.

Q. FVLVIVS Flaccus Censor, vt equestris Fortunæ templum, quod ædificabat (cùm id antea bello Celtiberico vouisset) augustius & magnificentius redderet: detecta æde Iunonis Laciniæ, profect⁹ in Brutios, tegulas marmoreas eò transtulerat. Ruinis templorum tēpla ædificari, piaculū esse visum est ac grande sacrilegium, quod nulla magistratus auctoritate excusari posit. Igitur relatione facta, censuêre Patres, vt hæ tegulæ reportandę locarentur: istiusque rei nomine Iunoni piacularia fierent.

II. Ex Suetonio in Domitiano, cap. 8.

QVIDAM

QVIDAM Domitiani libertus, ex lapidibus Iouis Capitolini templo destinatis, filio suo monimentum parauerat. Diales re ad Principem delata, lapides eximi postulabant, eòque transferri, quò semel voti ac dedicati essent. Libertus malle se dicebat ex lege 12. tabularum duplum soluere, quàm pati se inuito lapides eximi. nam & eos nunc auferri non posse vti sunt, quin violati sepulchri actio competeret: minúsque imponendo, quàm eximendo violata religio diceretur. Motus tamen Imperator, ne qua religio Deorum impunè contaminaretur, monimẽtum dirui iussit, ossaque ac reliquias in mare proijci: hoc ipso duntaxat paulò inhumanior.

Episcopus an & quatenus post mortem de beneficij fructibus disponat: & nihilne Ecclesia remunerandi animo donare possit.

III. Ex Paulo Castrensi, ad l. Iubemus. C. hoc titulo.

QVIDAM Episcopus, cùm beneficio, gratia atque summo studio propinqui sui ad dignitatem illam peruenisset: remunerandi caussa ac pro vicissitudine beneficij, ita cauerat, vt ei quandiu viueret, certam partem, puta bessem fructuum ac commodorum Episcopatus percipere liceret. Successor Episcopi hanc liberalitatem reuocabat, vt Leoninæ constitutioni contrariam. At sua possessor in Ecclesiam, nedum in Episcopum, alia innumera beneficia recitabat. posse tuto-

rem pupilli sui nomine beneficentiam ac pietatem exercere: cur non & Episcopum? cæterum hac liberalitate nihil in perpetuum alienari: semper ad Ecclesiam proprietatem pertinere. Si inter alios ingrati nomen turpissimum sit, atque merito semper inter homines odiosum: cur committatur vt Ecclesia, de qua est adeo benemeritus, nunquam, si reuocabitur hæc donatio, istud crimē elabi possit? atqui hoc neque accidere posse, vt omnes huiusmodi donationes irritæ fiant, nisi cum Ecclesiæ damno. vtrum enim beneficētiam non adimit, qui capienti gratia & mutuo officio interdicit? Attamen quia visa est immensa esse donatio, & contemplatione cognationis magis quàm beneficiorum erga Ecclesiam facta, videri defecisse cum donatore pronūtiatum est.

DE PONTIFICIBVS, AVGVRIBVS; *EPISCOPIS ALIISQVE SAcerdotibus*, ac priuilegijs eorum. Tit. IIII.

Sacerdotes nunquam à sacris recedere oportet: si fecerint, multandi sunt. denique & Populum a Pontificibus appellari.

I. Ex Cicerone, Philippica II.

L. VALERIO Flacco, P. Licinio Crasso Coss. bellū gerendū erat cum Aristonico. regatus Populus quem id bellū gerere placeret, Flaccum nominauerat. At Crassus Consul, qui & Pontifex

Pontifex maximus, Flacco collegæ Flamini Martiali multam dixit, ſi a ſacris diſceſsiſſet. Flamen Populum appellauit. Is multam remiſit: Pontifici tamen Flaminem parêre iuſsit.

Vbi religionis cauſa vertitur, omnis laica poteſtas, eccleſiaſtica minor eſt. idemq; vnus diuerſorũ munerũ occaſione aut patitur aut non patitur imperiũ.

II. Ex Valerio Maximo, lib. 1. cap. 1.

METELLVS quoque Pont. Max. Poſthumiũ Conſulem, eundemque Flaminem Martialem, ad bellum gerendum Africam petentem, multa indicta Vrbem egredi prohibuit: ſummumque in ciuitate imperium religioni ceſsit.

Veteres ritus pro legibus habentur: etſi eorum ratio reddi non poßit.

III. Ex Cornelio Tacito, lib. 3.

TIBERIO imperante, Seruius Maluginenſis Flamen Dialis poſtulauit vt Aſiam ſorte obtineret, ſuique ſemper in poſterum ratio haberetur. Fruſtrà vulgatum eſſe dicebat, non licere Dialibus egredi Italia: nec aliud ius ſuum eſſe oportere, quàm Martialium Quirinaliumque Flaminum. Porro ſi duxiſſent Prouincias, cur Dialibus non liceret? Nulla de eo Populi ſcita, nulla in contrarium præcepta in libris cæremoniarum reperiri. Sæpe Pontifices Dialia ſacra perfeciſse, vbi Flamen valetudine aut munere publico impediretur. Duobus & ſeptuaginta an-

nis post Cornelij Merulæ cædem, neminem suffectum, ideoque tamen religiones non cassauisse. Quòd si per tot annos poßit non creari nullo sacrorum damno, quanto facilius abesse poßit ad vnius anni Consulare imperium? Priuatis olim simultatibus effectum, vt Diales Flamines alijve huiusmodi à Pontificibus Maximis ire in Prouincias prohiberētur. nunc imperatorem summum inter Pontifices, non æmulatione, non odio, non priuatis affectionibus esse obnoxium. At cùm Lentulus Augur multa ex aduerso disseruisset pro antiquo more & vetusta sacrorum consuetudine, in quibus præcipuè regnat Antiquitas, quæ proximè ad Deos accedit: Lucijque Metelli Pontificis Maximi de Aulo Posthumio simile iudicium attulisset: postremò Cæsar etiam ipse Tiberius Pont. Max. decretum Pontificum recitasset, quo continebatur ne Flamen Dialis plus quam binoctium abesset, dum ne diebus publici sacrificij, nec sæpius quàm bis in annum: iudicatū est annuam absentiam, Prouinciarūque administrationem Dialibus non concedi: itaque de Asia pro Seruio non placere. Quid nunc dicemus de Episcopis ac Curionibus nostris? proculdubio non poßunt vel biduum à sacris recedere, quia ad ea semel acceßisse nemo est qui accuset.

DE EPISCOPALI AVDIENTIA, *ET DIVERSIS CAPITVLIS* quæ ad curam pertinent episcopalem. Tit. 5.

Posse

Posse Pontificem maximum minores Pontifices, ob negligentiã, à munere ſacerdotióq; ſuo repellere.

I. Ex Valerio Maximo, lib. 1. cap. 1.

ADEO religionis ceremoniarũq; obſeruantiſsima fuit antiquitas, vt P. Cęlius, M. Cornelius, M. Cethegus & C. Claudius, propter exta parum curioſè admota aris Deorũ immortalium; tumq; potiſsimum, cùm eſſent varia tempora belliſq; multis occupata: flaminio abire iuſsi & coacti ſint. viſum eſt enim propter contemtum religionis, in hæc incommoda veniſſe Rempublicam.

In Veſtales habuiſſe Pontificem ius omne animaduerſionis.

II. Ex eodem, ibidem: & ex Iulio Obſequenti, de prodigijs.

P. LICINIO, M. AEmilio Pontificibus Maximis, virgo Veſtalis, quia aliqua nocte parum diligens cuſtos ignis æterni fuiſſet, digna viſa eſt quæ flagro admoneretur.

Inceſti crimen ad notionem Pontificum pertinuiſſe.

III. Ex Tito Liuio, dec. 1. lib. 2. 4. & 8. Dec. 3. lib. 2. & Dionyſio Halicarnaſſeo, lib. 8. & 9. Plinio nepote, lib. 4. Epiſt. Iulio Obſequenti, de prodigijs, Paulo Oroſio lib. 2. 3. & 4.

POSTHVMIA virgo Veſtalis de inceſtu cauſam dixit, crimine quidem innoxia, ſed ob ſuſpicionem, propter cultũ amœniorem, ingeniúmque

que liberius quàm virginem deceat, parùm de communi fama hominúmque opinione sollicita. Ampliatam, deinde absolutam, pro collegij sententia Pontifex maximus abstinere iocis, colique sanctè potius quàm scire, iussit. Eandem ob causam Minutia suspecta primò propter cultum iusto mundiorem, insimulata deinde apud Pontifices ab indice seruo, cùm decreto eorum iussa esset à sacris abstinere, familiámque in potestate habere, facto iudicio sub terram ad portam Collatinam viua defossa est: & ante Minutiam Popilia, in campo quem ideo Sceleratum appellarunt. Vrbinia quoque hoc eodem supplicio multata est, atque ipsi corruptores, iudicium exercente Pontifice Maximo, in foro virgis cæsi, necati sunt. Olim etiam Oppia virgo Vestalis damnata, incesti pœnas luit. Opimia atque Floronia stupri compertæ, altera sub terram, vt mos erat, ad portam Collatinam necata est: altera sibimet ipsa mortem consciuit. Lucius vero Cantilius scriba Pontificum (quos postea minores Pontifices appellarunt) qui cum Floronia stuprum fecerat, a Pontifice Maximo eousque virgis in Comitio cæsus est, vt inter verbera expiraret. Capparonia suspendio perijt: & corruptor eius consciíque serui supplicio affecti sunt. Hæc supplicia diu neglecta, Domitianus Imperator variè tandem ac seuerè coërcuit, vt vel antiquũ morem repeteret. Sed in caussa Corneliæ Maximillæ crudelior sanè, quam magis ambitione, dum illustrari sua tempora illo exemplo arbitraba-

trabatur, quàm iure ac merito, cum Celere Equite Romano, & Valerio Liciniano Senatore in Comitio cæsos interfecit. Cur viuas defoderent, scriptum est a Plutarcho in problematibus. idque iure Pontificio decretum est, cum antea (vt de Rhea Siluia suo loco) quæ corpus suum polluisset, hanc, ad mortem vsque, virgis cæderent: & quod ex ea natum esset, fluminibus exponerent, vt Halicarnasseus ait lib.1.

Si quid sit in religione grauius admissum, huius rei vindictam ad Populum, Principem Magistratúmve pertinere. denique in sacris nihil atrocius esse perfidia.

IIII. Ex Aulo Gellio, lib.4.cap.5.

STATVA Romæ in Comitio posita Horatij Coclitis fortissimi viri, de cœlo tacta est. ob id fulgur piaculis luendum, Aruspices ex Hetruria acciti, inimico atque hostili animo in Populum Romanum cùm instituissent eam rem contrarijs religionibus procurare: suaserunt statuam in inferiorem locum perperam transponi, quem sol oppositu circùm vndique aliarum ædium nunquam illustraret. Id cùm ita fieri persuasissent, delati & proditi ad Populum, cùm de perfidia confessi essent, necati sunt. ideoque vulgo iactari cœpit, Malum consilium consultori pessimum.

DE HAERETICIS ET PERVERSARVM OPINIONVM AVctoribus. Tit. 6.

De Deo dubitare, aut Deum negare perinde esse.

I. Ex Valerio Maximo, lib. 1. cap. 1.

DIAGORAS Philosophus scribere ausus erat, primùm ignorasse se an Dij essent: deinde si sint, quales sint. Quid perniciosius ad dissoluendam hominum societatem? nam ad eam continendam, vel sola opinio religionis potior est omnibus legibus. Itaque hunc Athenienses exilio damnarunt.

Aliqua etiam ignorantia communiter prodest.

II. Ex Plutarcho, in Pericle & in Nicia, & ex Diogene Laertio, lib. 2. & 9.

CVM Protagoras & Anaxagoras de rebus cœlestibus, vt de reliquis naturalibus, ita disserere viderentur, quasi omnia certis caussis, nihil Deorum arbitrio atque prouidentiæ concederent: Protagoras in carcerem coniectus est, Anaxagoras, quòd eo amplius dixisse argueretur, Solem nihil aliud esse, quàm candentem laminam, quinque talentis atque exilio multatus est. Sed & de Protagora narratur, cùm in principio cu-
» iusdam operis ita scripsisset, De Dijs quidem stat-
» tuere nequeo, neque an sint, necne. sunt enim
» plurima quæ id scire prohibeant: nempe & sum-
» ma rei incertitudo, & breuis vita hominum. ob

hoc

hoc merito ab Athenienſibus in exilium pulſus eſt, librique illius in foro cremati ſunt; ſub præconis voce à ſingulis qui illos habebant, edicto prius inueſtigati.

De Dijs ſemper conſideratè loquendum.

III. Ex Diogene Laertio, lib. 2.

MALA & impia conſuetudo eſt de Dijs temere loquendi, ſiue ex animo id fiat, ſiue ſimulatè. Quare Stilpo Megarenſis Philoſophus, cùm de Minerua, quæ in templo erat, οὐ θεὸν εἶναι pronunciaſſet, quia hæc Phidiæ ſit, non Iouis opus: ad Ariopagum arceſsitus eſt. Et quanquam rectè ſe locutum eſſe affirmaret, quia reuera Minerua non Deus, ſed Dea ſit: non placuit iſta cauillatio. Itaque primo quoque die is vrbe abire iuſſus eſt.

Tutius eſſe de religione ſeuerius inquirere, quàm ne quid temere fiat, interdum remiſsius agere.

IIII. Ex Iſocrate, in Buſiride. Xenophonte, lib. 1. de factis & dictis Socratis. Cicerone lib. 1. de Orato. Plutarcho, in Nicia. Quintilia. lib. 4. inſtitutio. Diogene Laertio, in Socrate.

IIDEM Athenienſes cùm capitis hominem innocentiſsimum Socratem, iudicante Polyeucto, condemnarent, quod nouos Deos introducere, atque auiculas, canes, eiuſque generis alia coli iuberet, eoque pacto ſtudioſos adoleſcentes cor-

rumpere; falso atqueper calumniam ab accusatoribus Anyto, Lycone ac Melito diceretur. Rem per se, si vera fuisset accusatio, durissima & grauissima animaduersione dignam esse iudicarũt, nihilque magis in Republica curari obseruarique oportere, quàm religionem. Sed postquam de calumnia accusatorum apparuit, Melitum interfecerunt: alij, prius quàm damnarentur, in exilium profecti sunt. Cæterum populus Athenienses adeo indignè tulit tam eximium virum apud se iniquè iudicatum esse, vt inprimis palæstras atque gymnasia clauderet: postea doloris vitandi causa ediceret, ne quis in posterũ Socratis publicè meminisset. Hoc certe Atheniensibus familiare fuit, vt seueritate, postremò pœnitentia aduersus illustrißimos vterentur; nam & Homerum ipsum veluti si insaniret, quinquaginta drachmis olim multauerunt.

V. Ex Isocrate, in oratione de iugo, Thucydide, lib. 5. Xenophonte, lib. 1. rerum Græcarum, AEmilio Probo, Plutarcho, in Alcibiade & in Nicia, Porcio Latrone, in L. Catalinam, & Iustino lib. 5.

ALCIBIADIS similis ferè caussa est. Is statuas Mercurij violasse, deiecisse, mysteriáque Cereris & Proserpinæ nulla re magis quam silentio solemnia, indignè priuatim in Politionis ædibus atque ridiculè tractasse, e Sicilia reuocatus vt caussam diceret, inprimis absolutus, denuo aduersariorum potentia, cùm abesset, accusatus

cusatus est. Citatus non respondit, siue conscientiam, siue indignitatem rei non ferens. Quare à Populo Atheniensi cum bonis omnibus proscriptus est: & sacerdotibus omnibus imperatum, vt ei dira imprecarentur, Dirisque ipsum deuouerent. sed idem postea restitutus est.

VI. Ex Plutarcho, in vitis decem oratorum.

ANDOCIDES Orator, impietatis quoque accusatus est, quod sacrarum imaginum ornamenta lasciuiens conscidisset, itemque initiorum sacra polluisset. Is cùm seruum suum quæstioni dare postulanti accusatori recusasset, pro conuicto habebatur: & pœnas luisset, ni sceleris se auctores indicaturum promisisset. Quapropter & alios plures, ac patrem etiam Leogaram indicauit. de cæteris sumtum est supplicium. Leogoræ venia concessa est, spe meritorum erga Rempublicam: atque etiam (vt opinor) ne pater filio accusante damnatus videretur.

Quæ ratio seruanda est in cohibendis nouarum Religionum opinionibus.

IIII. Ex Plinio Nepote, lib. 10. epistolarum, & Eusebio, lib. 3. cap. 33. & Paulo Orosio lib. 7. cap. 12. & 13.

QVOD de Christianis a C. Plinio Nepote ex rescripto Traiani Imperatoris iudicatum est: ad alios quos iam nobis constiterit, prauæ, falsæ, ac nouę religionis esse, traduci potest. Nam quod ad ciuilem administrationem attinet (cuiusmodi sunt

di sunt ea, quæ hîc à nobis omnia digeruntur) negari non potest, lege tum in Christianos animaduersum. Sed quando magnus iam erat Christianorum numerus, hanc Plinius seruauit rationẽ, vt eorum qui deferrentur, confitentes se Christianos esse & perseuerantes, si Prouinciales essent, duci iuberet; si ciues Romani, in vrbem remitteret. qui negarent fuisse se Christianos, aut desijsse se dicerent, veniam dando ex pœnitentia, dimitteret, nisi certo auctore deferrentur, conquiri non permitteret. Postea Diuus Hadrianus epistola ad Minutium Fundanum Proconsulem Asiæ cauit, vt nemini liceret Christianos sine obiectu criminis aut probatione damnare.

DE IIS QVI AD ECCLESIAS CONFVGIVNT, VEL IBI EXCLAmant, & ne quis ab Ecclesia asylóve alio extrahatur. Tit. 7.

Violati asyli crimen, etiam in posteros punierunt veteres: & quorum familia impura & execrabilis iudicata est, nullo tempore restitui potest.

I. Ex Thucydide, lib. 1. & ex Plutarcho, in Solone.

NVLLVM Athenis vnquã, aut adeo ferè tota Græcia, siue erga Deos, siue erga patriam irreligiose admissum, seuerius pertinaciúsq; vindicatũ est, quàm id quod à Cylone, crimen Cylonium appellarunt. Is cùm Theagenis soceri sui potentia & opibus, ciuiũq; nonnullorum

lorum consilio, ad tyrannidem aspiraret, arcem
munitissimam Atheniensium occupauerat. Sed
diuturna ciuium obsidione & cibariorum ino-
pia coactus, cùm fuga sibi noctu consuluisset: ar-
ce potiti Athenienses, inuenere conscios, qui ad
aram prostrati supplices veniam postularent.
nam quòd ipsi Patriam violarint, non ideo com-
mitti oportere, vt in sua caussa Atheniensium
exercitus, Deos ipsos Patriæ custodes violasse vi-
deatur. Attamen is militum furor atque indi-
gnatio fuit, vt supplicum alios in ipso veluti
Deorum conspectu, alios ab aris vi extractos in-
terfecerint, quosdam certè in iudicium adduxe-
rint. Populus Atheniensis vtrumque iniquissi-
mo animo tulit: fuisse & qui de tyrannide cogi-
tarent, & quibus etiam Patria quàm ipsa Reli-
gio esset antiquior. Hos itaque pro sacrilegis
habuit, & eos tamen quos in iudicium adduxe-
rant, quia semel violata religio, satis illis iudi-
candis expiata videretur, capite condemnauit.
De ijs qui adhuc ad aras consisterent, quia Me-
gaclis consilium secuti, filum ad statuam Miner-
uæ alligatum manibus tenentes, quasi non ab
Asylo recessisse viderentur, in iudicium venire
ausi sunt: & accidisset vt filum sua sponte solue-
retur, placuit ex verisimili Deorum voluntate,
in eos sine fraude posse animaduerti. Cæterum
id omnibus commune fuit, vt Cylonis memo-
ria atque vniuersa posteritas, item eorum qui
cum eo conspirauerant, & Deorum iura violas-
sent, damnaretur, neve ijs vnquam esset in Atti-

ca vt

ca, vt impijs, impuris & abominandis vlla commorandi facultas. Hi cùm se ad Lacedæmones contulissent, admisi non sunt. Postremò Solonis temporibus, cùm longo interuallo plurimi ex polluta & contagiosa illa Cylonis familia se Athenas recepissent, & iam eorum antea multi ibi sepulti, alij tum etiam in summa auctoritate essent: ex indignatione & odio tandem graui seditione orta, factum est à Solone, vt accusante Myrone Phlyasio, res, trecentorum hominum quos sortiti essent ex omnibus optimis, iudicio committeretur. Apud tam graues iudices nihil valuit diuturnissimum spatium, nihil penè infinitæ multitudinis commiseratio, nihil iura defunctorum, nihil inter puros & impuros inita consortia. Itaque pronuntiarunt, videri omnem Cyloniam gentem migrare oportere: & qui in Attica sepulti essent, horum ossa eruta, extra patriam eijci, proijci. Omnino certe ius Asylorum apud Græcos augustissimum fuit, adeò vt Agesilaus victis Thebanis, id etiam hostibus inuiolabile conseruarit, vt à Xenophonte libro 4. rerum Græcarum scriptum est.

Supplex quo modo salua religione multari possit.

II. Ex Thucydide, lib. 1. AEmilio Probo in Themistocle, & in Pausania, Diodoro Siculo, lib. 11. & Plutarcho, in vita Themistoclis, Iustino, lib. 2.

PAVSANIAS dux Lacedemoniorum strenuissimus, sed nimio plus auidus ad rem, Xerxi Persarum

ſarum regi, magna pecunia accepta, filiæque Regis deſpondendæ opinione, Græciam vniuerſam prodere inſtituerat. Tabellarius quidam Argilius proditionem indicauit. Is enim cùm literas à Pauſania ad Xerxem aut Artabazum perferendas accepiſſet: eique in ſuſpicionem veniſſet, aliquid in eis de ſe eſſe ſcriptum, quòd nemo eorum rediiſſet, qui eodem antea miſsi erant: ſigno detracto cognouiſſe dicitur, ſi pertuliſſet, ſibi eſſe pereundum. Erant in hac epiſtola quæ ad ea pertinebant, quæ inter Regem Pauſaniámque conuenerant. Ephoris itaque tradidiſſe. At eos non temere fidem adhibuiſſe, ideo quia tabellarius literas reſignatas attuliſſet: item quia tantum facinus de tam eximio viro, niſi ſi certiori indicio probaretur, vix ac ne vix quidem credi poſſet. Nam & caueri legibus, ne de libero homine ex ſolo indicio ſerui, & niſi euidentiſsimis probationibus, ſupplicium ſumeretur. Qui ad Platæas Mardonium deuicerit, eundem victores victis dedere voluiſſe? Itaque rem non ſuſpicionibus iudicandam: ſed expectandum dum ſe ipſa res aperiret, imò vt ſe ipſe Pauſanias indicaret. Quare poſtquam tabellarius, vt rem ore ipſius Pauſaniæ & confeſsione, audientibus Ephoris argueret, ſimulauit ſe in Neptuni templum aufugere, mortis eius vitandæ cauſſa, quæ literis ei Pauſaniæ parabatur: eóque, ibi de induſtria occultis Ephoris aliiſque, Pauſanias aduenions, ei peperciſſe ſe dixiſſet: cæterum magna pollicitus, ſi quæ legiſſet, fideliter contineret:

tota

tota coniuratio cognita ac patefacta est. Igitur dum accusatio pararetur, Pausanias sui conscius in templum æneum Palladis confugerat. Dubitabant Lacedæmonij, fásne esset supplicem è templo abducere, trahere ad supplicium. nam etsi grande erat facinus, periculosius tamen esse videbatur, Religionem ac numen contemnere. Itaque placuit omnes templi aditus muro præcludere, & valuas obstruere, vt ita salua religione inedia moreretur. cadauer ijs quorum intererat sepelire permissum est. Cæterum Lacedæmonij adeò indignè tulerunt, fuisse in sua ciuitate qui proditionis damnaretur, vt communicandæ huius ignominię caussa, primò per legatos Themistoclem præsentem apud Athenienses eiusdem criminis per calumniam accusarint: & eo absoluto, iterum, cùm lege Ostracismi ab vrbe abesset. Certe veritus eorum potentiam, meritoque etiam offensus erga ciues ingratos, ad Xerxem siue ad Artaxerxem Longimanum, (vt Thucydides & AEmilius aiunt) profectus est.

Etiam reo maiestatis fidem ac religionem esse conseruandam.

III. Ex Diodoro, ibidem.

DVCETIVS dux Siculorum, magnam ob res à se præclare gestas, potentiam atque auctoritatem nactus, ijs opibus regnandi cupiditate aduersus patriam vti atque abuti cœpit. Sed diu profligatis rebus Syracusanorum, cùm esset eò tandem redactus, vt à suis desereretur, ideoque

de sua salute desperaret, constituit omnium Syracusanorum consilia præuertere. noctu clam omnibus qui cum eo adhuc remanserant, quàm velocissime potuit, Syracusas aduehitur. luce nondum clara in forum venit. postquam stans ibi ad aras supplex, se suaq; tradens in manus ac fidem Syracusanorum, prҿter expectationem à Populo conspectus est, Magistratus omnes in concionem vocati sunt, de Ducetio quid agendum esset. Censuere alij, Ducetium pro hoste habendum esse: & quia cum hostibus nulla sit diuini iuris, sacrorum, religionum societas, inter eos omnia sint profana, trahi reũ ad supplicium pro impijssimis sceleribus oportere. At contra, e Senatu principes ac sapientissimi quique dicebant, nihil tam fœdum admittendum esse aduersus id quod ius fásque est. In hac re Deorum rationem versari potissimum. Itaque magnoperè cauendum, ne numinis ira per impietatem irritetur. non enim tam inspiciendum quid Ducetius sua culpa meruisset, quàm quid Senatus populíque Syracusani poscerent iura, mores, instituta maiorum. In eum sæuire qui deiectus à fortuna iaceat, nulla dignum esse laude. verùm id inprimis ad Populi Syracusani maiestatem pertinere, Deorum inuiolatam religionem obseruari: supplici salutem: priuato, fidem publicam custodiri. Fortunæ vim considerandam esse: qua prospera sic vtendum, ac si proximè aduersa futura sit. Hac præualente sententia, à Populo vniuerso voce vna acclamatum est, suppli-

cem saluum esse velle. Itaque Ducetium supplicio liberatum, Corinthum relegarunt: ibique omnia ad vitam ei necessaria, satis abundè ac liberaliter suppeditarunt.

DE LEGIBVS ET SENATVS-CONSVLTIS ET LONGA CONsuetudine, Tit. 8.

Æquè puniendum esse, qui quid apertè contra legem, aut in fraudem legis facit.

I. Ex Valerio Maximo, lib. 8. cap. 6. & ex Plinio, lib. 18. cap. 3.

CVM Stolo Licinius legem tulisset, ne quis plus quàm quingenta iugera agri possideret: & substituta filij sui persona, amplius, imò alterũ totum possidere deprehensus esset: ipse primus sua lege á M. Popilio Lenate accusatus & damnatus est. Nihil enim referre an quid directò contra legem fiat, aut in fraudem saluis verbis legis fiat. Porro nihil interesse, tu ipse quid tuo nomine possideas, an is qui nequidquam nisi vt tibi acquirat, habere, tenere aut possidere potest. eo enim tum iure Romani vtebantur. Sed etsi emancipatio præcessisset, fraudulento animo, neq; bona fide adhibita esse diceretur.

Quæ acta, gesta, consulta sunt in Senatu, enuntiari non oportere.

II. Ex Valerio Maximo, lib. 2. cap. 1.

CVM actum esset in Curia de tertio Punico bello

bello indicendo, id Q. Fabius Maximus Senator rus proficiscẽs, per imprudẽtiam Publico Crasso domum reuertẽti, in itinere narrauerat: memor eum triennio antè Quæstorem esse factum, sed ignarus an nondum à Censoribus lectus esset in ordinem Senatorum. nam hoc vno modo etiam ijs qui honores gesserant, aditus in Curiam dabatur. Igitur quanquam honestus error Fabij esset, atq; imprudentiã satis abundè excusare videretur: vehemẽter tamen hunc à Cõsulibus obiurgari placuit. In hanc rem historia nota est, atq; adeo Senatusconsultum de Papirio Prætextato, quo vetitum fuit, pueros prætextatos (quod antea fieri solebat) in Curiam cum patrib⁹ introire, videlicet ne Senatusconsulta antequam decreta sint, enuntiarentur. Nunc verò non pueri quidem apud nos, nec Censuales, nec scribæ, nec serui publici remouendi sunt, vt vlla fiant vel tacita Senatusconsulta, vel quid omnino tacitè ac secreto in Curia referatur: sed ipsa ferè bona pars Senatorum procul arcenda ablegandáque esset. Ecquid ergo tu ô Rulle, qui ideò Maximus cognominatus es, quòd Senatum repurgasses, hìc si nunc viueres, quid ageres? et si antiqui illi Patres ac Coss. reuiuiscerent, de istóque audirent prouerbio, quod de forensi & Curiali Mure peruulgatum est: neq; nunc multos Senatores tandiu morari posse, dum missus fuerit Senatus: sed identidem medijs rebus assurgere, huc illuc volitare, de Curia excedere, vt prodant aliorum sententias: qua dicerent opus animaduersione

 esse,

esse, qui se erga Q. Fabium Maximum tam seueros iudices ac Senatores ostenderint? Id omnino cum max. legum, iudiciorum, magistratuũ contemtu ac ludibrio accidit: quod ij sane viderint, ad quos ex tanta ignominia postremo conflatam indignationem redire ac redundare necesse est.

Non esse quem puniendum ob liberè dictam in Senatu sententiam.

III. Ex Dionysio Halicarnasseo, lib. 7. Liuio, Dec. 1. lib. 2. Plinio, de viris illustribus.

DE frumento ex Sicilia Romam aduecto, cùm in Senatu ageretur, an gratis, vili aut immenso pretio Plebi divideretur: inter alios Martius Coriolanus extitit, qui aduersus Plebem grauem sententiam diceret. Nihil per largitionem Populo tribuendum, his artibus lasciuiorem ac petulantiorem effici. satius esse hanc vel cariore annona domari ac reprimi; quò fiat ex necessitate modestior, & ad ciuilia munera obeunda paratior: agros hac iniuria, non seditiones colat. desidia, otio & luxuria maximè, quę ex copia & inertia abundantia nascitur, iura, leges, instituta negligi. Patricia & aristocratica sententia, sed parum popularis. Ideoque Tribuni plebis qui in Senatu hanc sententiam audierant, ad Populum referunt, dies Coriolano dicitur. Sed quantum ad hoc crimen attinet, licet Populo infenso vteretur, id facilimè diluit. Vbi enim vlla loquendi licentia, si non in deliberando ac dando consilio? Itaque neminem antea consilij sententiæq;

vti

vti causam ac ratione͂ redderet, obnoxium fuisse. nam aliorum opinionibus posse, qui in vna fuerit sententia, in aliam trahi. etsi aliud sit alio co͂silium melius, tamen omnium Senatorum & sente͂tias dicentiu͂ eandem mentem & rationem esse, vt pro salute & vtilitate Reipub. (in quibus sæpissimè fallimur) orationem habea͂t, aut certè habere videri velint: que͂admodum in naui dum hi velificatione, illi remigatione vtendum esse putant, ab vtrisque tamen ad salutem omnia dicuntur. Itaq; non fuit in hoc Coriolani damnatio (quod tamen postremis his nostris temporibus capitale fuit: si iure an iniuria, ex sequenti iudicato fortassis apparebit) sed quia à Tribunis ad Populum vocatus non paruit: ministros eorum, cùm iussi eum præhenderent, ducerent, ceciderat, pulsauerat. qua de re suo loco.

Nisi si aduersus Rempublicam, & manifestissimo crimini coniuncta sententia videatur.

IIII. Ex Demosthene pro corona, & Cicerone, lib. 3. officiorum.

XERXES vniuersam Græciam, vt sibi videbatur, tanto suo exercitu inuasurus, legatos Athenas miserat terram & aquam postulaturos: & an suum imperium subire mallent, quàm vt hostes, se suaq; euerti & opprimi. Themistocles auctor erat, cùm Athenienses Persarum impetum nullo certe modo sustinere possent, id statuerent prius, vrbe relicta, coniugibus & liberis Trœzene depositis, naues conscendere, Græciæque li-

bertatem classe defendere, quàm vt imperata facere cogerentur. Contrà Cirsylus extitit qui suaderet vt in vrbe manerent, Xerxémque reciperent. non durius esse seruitutem pati, quàm vrbem, penates, sepulchra deserere, prodere: satiúsque esse in extrema necessitate fœliciter seruire, quàm liberos miserè languere, aut fame interfici. Adeo displicuit hoc consilium, visúmq; est allatum esse aduersus Rempublicam, Senatus Populiq; maiestatem atque auctoritatem, vt tanquam proditorem & hostem Reipublicæ Cirsylum lapidari placuerit. pro consilio haberi non posse, imò pro maleficio, in quo fas, ius, omnísque religio violatur. Sed & miræ virtutis hæc plena indignatio ad mulieres peruenit. Nam post quàm audierunt quid Cirsylo damnationem ac mortem attulisset, eunt, rapiũt Cirsyli vxorem, & hanc lapidibus obruunt. Idem & de Apollonide narratur apud Xenophontem, de Cyri minoris expeditione lib. 3.

DE CONSTITVTIONIBVS PRINCIPVM, TIT. IX.

Beneficia Principum latè esse interpretanda: sed non adeo vt alijs quoque noceant. neque in generali beneficio vni facto comprehendi, quod alteri specialiter antea concessum est.

I. Ex Fabio Quintiliano, lib. 5. cap. 10.

CVM Thebas euertisset Alexander, inuenit tabulas quibus centũ talenta mutuò Thessalis

ſalis dediſſe Thebanos continebatur. Has, quia erat vſus commilitio Theſſalorum, donauit his vltrò. Poſtea reſtituti à Caſſandro, repoſcebant Thebani Theſſalos: ſe crediſſe conſtare, & non recepiſſe. igitur res ad Amphyctionas deducta eſt. Pro Theſſalis hoc inprimis dicebatur, ea centũ talenta mutua, ijs ab Alexandro remiſſa ac condonata eſſe. ita enim videri, qui debitori chirographum reddidit, hunc liberare, atque ius etiam pignoris remittere voluiſſe. cæterum quod in hac cauſſa fecerit Alexander, id iure belli potuiſſe, quo regna, populi, fines gentium atque vrbium continentur. Pro Thebanis contrà, id eos repetere quod vi ſit ablatum. nam de iure belli quod attinet, nihil id valere in eo quod in iudicium deductum eſt. Præterea quæ armis erepta ſunt, niſi armis retineri non poſſe. itáque vbi illa valeant, ibi non eſſe Iudicem: vbi iudex ſit, illa nihil valere. ſic captiuos, ſi in patriam ſuam redierint, liberos & ingenuos eſſe: quia bello parta, non niſi eadem vi poſsideantur. Iam (vt fortius agebatur) quod ab Alexandro donatum eſt, id eiuſmodi fuiſſe, quod à victore donari nõ potuiſſe: quia id demum ſit eius, quod ipſe teneat. at ius in tabulis fuiſſe, quod incorporale eſt, nec poſsit manu apprehendi. aliam hæredis, aliam victoris conditionem eſſe: quia ad illum, ius: ad hunc, res tranſeat. Rurſus aſſerebatur, id creditum quo de agitur, publicum fuiſſe, non priuatorum hominum: quamobrem ius publici crediti tranſire ad victorem non potuiſſe. quia quod

 popu-

populus crediderit, omnibus debeatur: & quandiu quilibet vnus superfuerit, esse eum totius summæ creditorem. Thebanos autem non omnes in manu Alexandri fuisse. Quid vero amplius? si tabulæ concessæ fuerint, an quod in ijs contineatur, perpetuo ac protinus concessum esse dici necesse est? nam neq; ius in tabulis versari, sed hinc, mutui peti probationem. Has potuisse Alexandrum vel decipiendi vel deponendi animo Thessalis credidisse. Denique (in quo potissima ratio consistit) si quid Thebani amiserunt, id nunc restitutione recepisse: & Cassandri beneficium latissimè interpretari oportere. Postremò rem agi apud Amphyctionas, qui nihil æquitate libentius audiunt. Sed quia dici non potest, quin omnia quæ propria essent Thebanorum, in dominium venerint Alexandri: adeò vt à Thessalis quoq; pecuniam hanc rectè suo nomine exigere potuerit: & quia certissimũ est non vi, aut postliminij iure, sed indulgentia ac Principali rescripto Thebanos res suas recuperasse: idque ita à Cassandro factum esse videri, vt eius clementia ac liberalitas (quæ in alijs rebus stabat amplissima) beneficium Alexandri non impediret (si tamen beneficium dici debet, quod veluti ob caussam datum est) nam cui ius antea quæsitum est, nunquam alij facta restitutio nocet, nisi sit nominatim expressum. deniq; quia falsum est, quod ciuitati debetur, singulis deberi: placuit Thessalos petitione liberari. ita enim Amphyctionas iudicasse arbitror, post-

quam

quam id à Quintiliano prætermissum est.

Longo interuallo restitutione facta, possessoribus tutis præscriptione, quid de bonis quondam eorum qui restituti sunt, obseruari debeat.

II. Ex Cicerone, lib. 2. Officio. & ex Plutarcho, in Arato.

ARATVS Sicyonius cùm sua ciuitas quinquaginta annos à tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem, clandestino introitu vrbe est potitus: cúmque tyrannum Nicoclem improuisò oppresisset, sexcentos exules qui fuerant eius ciuitatis locupletissimi, restituit, rémque publicam aduentu suo liberauit. Sed cùm magnã animaduerteret in bonis & possessionibus difficultatẽ, quòd & eós quos ipse restituerat, quorum bona alij possederant, egêre iniquissimum arbitrabatur: & quinquaginta annorum possessiones mouere, non nimis æquum putabat, propterea quòd tam longo spatio multa hæreditatibus, multa emtionibus, multa dotibus detinebantur: sine iniuria iudicauit, neque illis adimi, neque his non satisfieri, quorum illa fuerant, oportere. Cùm igitur statuisset opus esse ad eam rem constituendam pecunia, Alexandriam se proficisci velle dixit, rem'q; integram ad reditum suum iussit esse. ísque celeriter ad Ptolemeum suum hospitem venit, qui tum regnabat alter post Alexandriam conditam. cui cùm exposuisset patriam se liberare velle, causámque docuisset: à Rege opulento vir summus facilè impetrauit,

vt grandi pecunia adiuuaretur. quam cùm in Sicyonem atulisset, adhibuit sibi in consiliũ quindecim Principes, cum quibus causas cognouit, & eorum qui aliena detinebant, & eorum qui sua amiserant: præfecitque æstimandis possesionibus, & vt persuaderent alijs vt pecuniam accipere mallent, & possesionibus cederent: alijs, vt commodius putarent numerari sibi quod tanti esset, quàm suum recuperare. Ita perfectum est, vt omnes constituta concordia sine querela discederent.

DE STATV HOMINVM.
TITVLVS X.

Vt quis pro spurio habeatur, cummuni famæ consentiens parentum testimonium, plurimum adferre adiumenti, postremo rem confici, si post decimum mensem natus appareat.

I. Ex Xenophonte, lib. 3. rerum Græc. & ex AEmilio Paulo, & Plutarcho in Agesilao.

AGIS Rex Lacedæmoniorum fuit. is Agesilaum fratrem habuit. inter hunc & Leotychidem, qui se filium Agidis ex Timœa esse affirmabat, de regni succesione versata est magna contentio. Dicebat Leotychides omnes præsumtiones in suam caussam concurrere. filium esse, quem nuptiæ demonstrant: & vxorem ex marito credi concepisse. denique se à patre, cum moreretur, præsentibus testibus pro filio agnitum. Contrà Agesilaus fateri natum quidem

Leoty-

Leotychidem Timœa matre vxore Agidis, ſed ex Alcibiade: quorum vnicuique perſpecta nimia familiaritas, ipſi tandem etiam Agidi eouſque ſuſpecta fuiſſet, vt quandiu vixerit, Leotychidem pro filio non haberet. Præterea & matrē quoties cum amicioribus eſſet, ſolitam eum Alcibiadē non Leotychidem appellare. Poſtremò, poſt decimum menſem quàm cum marito fuiſſet, natum eum eſſe ac editum. At denuo referebat Leotychides, etiam poſt decimum menſem naſci legitimum partum. porro nudas & falſas parentum enuntiationes, aut ementitas profeſſiones, licet vtrique conſentiant, liberis non nocere: imò nedum iuſiurandum vel trāſactionem interpoſitam. ſemper enim veritati locum ſuper eſſe. At contrà, habere ſe verum & vltimum elogium patris. ſi quid aliter antea ſenſerit aut dixerit, dixiſſe iratum. etenim vxorem neq; repudiaſſe, aut retinuiſſe alieniore animo: & cùm teſtamento ſe vt filium agnouerit, eò ſatis hæredem reliquiſſe. Denique quia claudus ſit Ageſilaus, regni incapacem eſſe ex antiquiſsimo oraculo, quod à Diopythe ſacerdote afferebatur. Sed vbi oſtendit Ageſilaus, aut eius nomine Lyſander, qui partibus Ageſilai fauebat plurimum, eum potius claudum eſſe, qui nothus eſſet: túmque reuera Lacedæmoniorum imperium claudicaturum, cùm ſpurius, falſa Herculis proles, id occupaſſet: atque poſtremò conſtitit illud vltimum elogium patris, non ex certo animi iudicio profectum, ſed expreſſum lacrymis, ſupplicatione

catione & obteſtatione Leotychidis: Ephori pronuntiârunt, videri Leotychidem non eſſe filium Agidis, itaque regnum ad Ageſilaum pertinere.

Octauo, vndecimo, decimotertio menſe partum naſci poſſe legitimum.

II. Ex Plinio, lib. 8. cap. 5. & A. Gellio, lib. 3. cap. 16.

MVLIER quædam in vndecimo menſe poſt mariti mortem pepererat. accuſabatur, illegitimum peperiſſe. nam Decemviros ſcripſiſſe, in decem menſibus gigni hominem, non in vndecimo. Sed cùm ea fœmina bonis ac probatis moribus, neq; dubiæ pudicitiæ eſſe diceretur, Diuus Hadrianus cauſſa cognita, requiſitíſque veterum philoſophorum ac medicorum opinionibus (inter quos ſum̃us fuit Ariſtoteles) decreuit in vndecimo quoque menſe partum edi poſſe.

III. Ex ijſdem.

SED & alibi refertur, Lucium Papyrium Prætorem, ſecundo hærede lege agente, bonorum poſſeſsionem contra eum dediſſe, cùm mater partum ſe 13. menſibus tuliſſe affirmaret: quoniam nullum certum tempus pariendi ſtatutum ei videretur. Verùm hæc non facilè ad exemplum trahi debent, & nota aut ſuſpecta mulieris pudicitia, iuncta communi opinione, & adhibito iureiurando, multum adfert in his naturalibus rebus adiumenti.

IIII. Ex

IIII. Ex Gellio ibidem.

INFANS octauo mense natus & mortuus est. Accuratè atque sollicite quæsitum est, num ius trium liberorum suppleuisset. Nam abortio quibusdam, non etiam partus videbatur esse mensis octaui intempestiuitas. Atqui audeo affirmare, & hic vicisse Aristotelis sententiam.

Hermaphroditos in communi hominum vita tolerari non oportere: & hanc Episcoporum curam esse.

V. Ex Liuio, Dec. 4. lib. 11. Plinio, lib. 7. cap. 2. 3. & 4. Gellio, lib. 9. cap. 4. Iulio Obsequenti, de prodigijs, & Eusebio, lib. 4. de vita Constantini.

HERMAPHRODITOS, qui olim Androgyni vocabantur, in prodigijs, postea in delicijs habitos esse manifestum est. hoc postremum ideo fortasse, quòd nihil tam in eo videatur esse contra naturá, cùm inter Scythas Caius Plinius scripserit, populum fuisse qui omnes Androgyni essent, vicibus inter se coëuntes: ideóque seruari cœpisse, & ex eo dijudicatos, quod in eis præualeret. Atqui sæpissime legimus, L. Licinio Crasso, C. Cassio Longino Coss. Cassini puerum factum ex virgine sub parentibus, iussu Aruspicum deportatum in insulam desertam. S. P. Posthumio Albino, Q. Martio Philippo Coss. cùm ex Vmbria nuntiatum esset, semimarem inuentum duodecim ferme annos natũ: id prodigium abominantes Romanos Pontifices, iussisse hunc arceri Romano agro, atque primo quoque die inter-

interfici. L. Metello, Q. Fabio Maximo Coss. Lunæ androgynum natum, præcepto Aruspicum in mare proiectum fuisse. Idem P. Africano, C. Fuluio Coss. cùm in agro Ferentino: Cn. Domitio, C. Fannio Coss. cùm in foro Vessano: L. Aurelio, & L. Cæcilio Coss. cùm in agro Romano annorum octo: L. Cæcilio, L. Aurelio Coss. cùm Saturnę decem annorum natua: Quinto Metello, Tullio Didio Coss. inuentus esset: prætereáque decreuisse Cneo Cornelio, Lentulo, P. Licinio Crasso Coss. vt totá vrbe supplicationes fierent. Tandem etiam Constantinus Imperator lege lata, hoc tertium genus e vita tolli & auferri constituit.

De prodigioso & monstruoso partu.

VI. Ex Dionysio Halicarnasseo, lib. 1. & Iulio Obsequenti de prodigijs.

IN prodigioso partu videtur ab initio Romulus, parentum omnium & amicorum consilium desiderasse: atque ex eorum sententia omnem monstruosum & prodigiosum partum necari & abijci consueuisse. Certe L. Furio, Attilio Sarrano Coss. cùm Puteolis puer ex ancilla quatuor pedibus, manibus, oculis, auribus, atque duplici obscœno natus esset, Auspicum iussu crematus, cinisque eius in mare deiectus est. Et L. Scipione, C. Norbano Coss. in Hetruria Clusij, cùm materfamilias viuum serpētem peperisset, iussu Aruspicum in profluētem deiectus, auersa atqua natauisse dicitur. At contra P. Africano, C. Fuluio

uio Coss. cùm bos loquutus esset, publicè nutritus est. sed inter miracula & monstruosa multum interest.

DE DIVISIONE RERVM ET QVALITATE, Tit. 11.

Muros violare, quia sancti sunt, capitale esse.

I. Ex Cicerone, lib. 3. officio. Plinio de viris illustribus. Pomponio, lib. 2. ex varijs lectionibus.

ROMVLVS, vt vrbem cuius imperium ei Augurio aduenerat, prius legibus quàm mœnibus stabiliret, edixerat, ne quis vallũ transiliret, aut murum transcenderet: si fecerit, quia hostile & abominandum est, id ei capitale esset. Remus ipse Romuli frater cùm transiliuisset, murúmque transcendere maluisset, quàm per portas egredi: iussu Regis à Fabio Celere centurione, rastro interfectus est. nam & edicto non paruisse, & muros qui sancti sunt violasse. Seuerissime iudicatum, vt ad cohibendam in vrbe noua vndíque collectam multitudiné necesse fuit: iniquè, si, cùm Romulo videretur esse vtilius, solum se quàm cum altero regnare, fratrem interemit: nec ista muri causa opposita, satis probabilis atque idonea est.

DE

DE SENATORIBVS, TIT. XIII.

Senatores nisi in Senatum veniant, puniendos.

I. Ex Dione, lib. 54. & 60. Plinio Nepote, lib. 4. epistolarum.

IAM olim pignoribus capitis Senatores in Curiam venire cogebantur. Octauius item Augustus, ac Caius Caligula, ijs qui tardius absque verisimili caussa venissent, maiorem quàm antea multam proposuerunt. Denique sub Traiano cùm quidam Senator cessauisset in Senatum venire, Prætor Licinius Nepos ei multam indixit: quæ tamen innumeris postea deprecationibus à Prætore remissa est.

DE OFFICIO TRIBVNI PLEBIS, TIT. XIIII.

Violari posse magistrum, qui auctoritate sua atque religione ad seditionem abutitur.

Ex Dione, lib. 40.

ETSI Tribunus plebis sacrosanct' erat, plúsque in impediendo & intercedendo, quàm aliquid aliud in vrbe posset: tamen cùm Q. Pompeius Rufus ne comitia Consulum fierent, magis seditioso animo, & studio Cæsarianarum partiũ, quàm quòd è Republica & vtilitate Populi Romani id esse persuaderet, impedire videretur: decreto Senatus in carcerem coniectus est.

DE

DE OFFICIO PRAEFECTI VIGILVM. TIT. XV.

Negligentiam in iis quæ ad summam Reipublicæ pertinent, capitalem esse.

I. Ex Valerio Maximo, lib. 8. cap. 1.

M. MILITIVS, Cneus Lolius, L. Sextilius Triumviri nocturni, cùm incēdij arcendi caussa, quod Romæ in Sacra via exortum esset, cum hamis & dolabris, omnique familia publica euocati, tardius aduenissent: à Tribuno plebis die dicta ad Populum, damnati sunt. Idem ferè apud nos Senatus Parisiensis iudicio (cui nunc tu præes Thuane amplissime) nuper Gabastoni Præfecto vigilum accidit: cùm vocatus ad sedandam scholarium de suo prato seditionem, non venisset. Nam indignum esse, qui ab omnibus aliis muneribus excusatur, vt incumbat & excubet vni saluti Reipublicæ: in tanta necessitate, vbi minima mora summi momenti est, segnem, tardum ac negligentem se præstare, aut (quod minus etiam ferendum est) contumacem.

II. Ex eodem loco.

PVBLIVS Bilius quoque Triumvir nocturnus, à P. Aquilio Tribuno plebis (nam hæc cura ad AEdiles Tribunósque plebis etiam pertinebat) accusatus, Populi iudicio concidit, ob id quod vigilias negligentius circūierat. Nam quod leue fit in aliis rebus, hoc in istis, vt in re militari, capitale esse. quia puncto sæpe temporis, ma-

ximarum rerum occasiones amittuntur: neque in huiusmodi bis errare fas est, aut dicere, Non putabam.

DE OFFICIO PRAESIDIS, TIT. XVI.

Esse cuique magistratui suos honores, quos ambitiose excedere crimen est.

I. Ex Dione Nicæo, lib. 43.

ABSENS Iulius Cæsar Dictator, curã Vrbis Lepido Magistro Equitum, Præfectisque Vrbis mãdauerat. Præfecti, lictores, vestem ac sedem Curulem vsurpauerant. quo nomine accusati, ideo absoluti sunt, quòd horum insignium vsus ijs magistratibus permitteretur, qui à Dictatore creati atque ordinati essent. Sed & quod in ea re admiserint, non tam id fecisse viderentur quasi Præfectorum loco, quàm pro Magistris Equitum: ideo quia Cæsar eos in Vrbe, pari potestate, itaque & honore, esse cum Lepido voluisset.

Hunc Præsidem tolerari non conuenire, qui ea sibi arrogat quæ solo Principi debentur: & istud esse affectati regni argumentum.

II. Ex eodem, lib. 53.

CORNELIVS Gallus, in his honoribus qui ei ab Augusto deferebantur, secus ac faceret Agrippa, insolentius se gerebat. Hoc nomine multa

ta ſceleratè atque flagitioſè perpetrabat: ſtatuas in AEgypti Prouincia ſibi collocari: pyramides, quibus acta ſua continerentur, erigi patiebatur. His de cauſis accuſatus à Valerio Largo, cùm Auguſtus ipſe cognoſceret, ignominia notatus eſt, prohibuítque Cæſar ne denuo Prouinciam obtinerte.

Vetari Præſides à Prouincialibus munera accipere: & quatenus quis in officio locupletior factus ſit, hoc videri ſordibus acquiſiſſe.

II. Ex eodem, lib. 60.

QVIDAM Præfectus Prouinciæ, contrà quàm mandatis continetur, ne donum vel munus ipſe aliúſve qui in officio erit, accipiat emátve quid niſi victus quotidiani cauſſa: à Prouincialibus munera acceperat. Is eo nomine apud Claudium Imperatorem accuſatus, exilio multatus eſt. amplius etiam bona omnia quæ is Præfecturæ tempore acquiſiuiſſet, in publicum redacta ſunt. Et quod antea conſtitutum erat, ne vlli ſtatim vnũ poſt alterum imperium mandaretur, Claudius edicto renouauit: ideo certè, ne delicta poteſtatibus imperiíſque aut profectionibus continuis impunita remanerent.

Qui ſibi delinquendi viam præcludi non vult, hunc iam videri deliquiſſe: & ab officio remouendum.

III. Ex Xiphilino in Commodo.

VICTORINVS cùm Germaniæ præeſſet, co-

natus est domi, semotis arbitris, Legato suo persuadere, ne se pecunia corrumpi sineret. cúmque ille non impetraret, ad Tribunal venit, iurat se nunquam vlla munera accepisse, neque quandiu viueret, accepturum. mox idem pręcipit Legato, vt simili sacramento se obstringeret. Conditionem recusauit. cum itaque officio iussit abdicari.

DE OFFICIO PROCVRATORIS *CAESARIS VEL RATIOnalis*, Titulus 17.

Minores magistratus, maiorum insignia vsurpare non debere: cùm id maxime sine Populi vexatione accidere non possit.

I. Ex Cornelio Tacito, lib. 4. & Dione, lib. 57.

CVRATORVM Cæsaris hoc munus fuit maximum, vt res, pecunias, colonos, seruitia, reditúsque Principis locarent, curarent, exigerent. si controuersia nasceretur, hanc legibus atque citra imperij formam dirimerent. Itaque cùm Lucilius Capito Procurator Asiæ sub Tyberio, Principe, apud Senatum à Prouincialibus accusatus esset, vim eum Prætoris vsurpasse, ac militum manu ad comitatum vsum esse: conuictus in exilium actus est. Visum est enim aliquid in eo affectati imperij, aut grauioris insolentiæ fuisse: qui nec quidem vetante lege, cupiditatem suam ac studium immoderatum cohibere potuerit.

DE

DE IN IVS VOCANDO, TIT. XVIII.

Quod dicitur, Tribunum plebis maiorémue Magistratum in ius vocari non posse: locum non habere, si sua maiestate ad calumniam manifesto vti videantur. Præterea non certe parem, sed plures pares in vnum parem, habere potestatem.

I. Ex Valerio Maximo, lib. 6. cap. 5.

CVM L. Cotta Tribunus plebis fiducia sacrosanctæ potestatis, creditoribus suis nollet satisfacere: decreuit collegium Tribunorum, vt si neque solueret pecuniam, neque daret cum quo sponsio fieret, appellantibus se creditoribus auxilio futurum. Quia profecto sit iniquissimum, maiestatem publicam priuatę perfidię obtentui esse, indéque iniuriam nasci, vnde ius maximè reddi oporteret. Itaque Lucium Cottam in Tribunatu quasi in aliquo sacrario latentem, extraxit hinc Tribunitia iustitia.

Quæstorem, minorem Magistratum esse, ideóque in ius sine fraude vocari posse. Et qui maiores, qui minores sint Magistratus.

II. Ex A. Gellio, lib. 13. cap. 13.

CVM quærebatur, an aliquis, qui Quæstor esset, in ius à priuato vocari posset: ac multis videretur, non posse: neque ius vocationis in eum

Prætori esse, quoniam Magistratus Populi Romani sit: ideóque nec vocari, nec si venire nolit, capi aut præhendi, salua ipsius Magistratus Populíque Romani maiestate, posse. Gellio contrà, non quoslibet Magistratus sine fraude vocare non licere: sed eos duntaxat, qui imperium habent, & qui coërcere aliquem possunt, & iubere in carcerem duci. Aliter de minoribus Magistratibus qui sine imperio aut sine potestate sunt: qui neque vocationem neque præhensionem habent: qui non in sellis curulibus nec tribunalibus, sed in subselliis duntaxat iudicia exercent. Huiusmodi Quæstorem esse, quia nec lictorẽ nec viatorem habeat. Idem ergo Gellius cùm auctoritatem M. Varronis attulisset, Marcíque Leuinij AEdilis Curulis exemplum, qui a priuato in ius ad Quæstorem deductus esset: fecit vt pronuntiaretur, Quæstorem videri sine fraude in ius ad Prætorem vocari posse.

DE POSTVLANDO, TIT. XIX.

Aduocatum non debere susceptum patrociniũ deserere. & an aduocationes venire debeant. ius quoque nundinarũ, à Senatu aut à Principe impetrandũ.

I. Ex Plinio Nepote, lib 5. epistolarum.

QVIDAM vir Prætorius à Senatu petierat, vt sibi instituere in agris suis nundinas permitteretur. At cùm primò Legatis Veicetinorũ contradicentibus Tuscilius Nominatus

minatus adfuiſſet, atque dilata cauſſa eſſet: proximo Senatu venerat quidem paratus ad agendum: ſed repentè abierat deſerta & deſtituta aduocatione. Itaque cùm Veicetini ſine Aduocato intraſſent, queſti ſunt, præuaricari Aduocatum: ſe deceptos ac proditos eſſe. Interrogati à Senatu num alium docuiſſent, & an eis Nominatus antea gratis adfuiſſet: reſponderunt neq; ſe Aduocatum alium interceſsionis ſuæ docuiſſe: & eum ſex millibus nummûm antea ſibi adfuiſſe: nunc etiam vt denuo ageret, ei mille numeraſſe denarios. Itaque Nominatum introdúci placuit. Reſpondit, non fidem ſibi in Aduocatione, ſed conſtantiam defuiſſe: deſcendiſſe vt ageret, ideoq; ſe ab omnibus viſum eſſe in Curia: ſed amicorũ ſermonibus perterritum, diſceſſiſſe: monitum ne deſiderio Senatoris, non iam quaſi de nundinis, ſed de gratia, fama, dignitate certantis, adeo pertinaciter, præſertim in Senatu, repugnaret. ſi muneri neceſſario operam darè non perſeueraſſet, id ſe humanitate & precibus, non precio, pactione, aut denique dolo malo commiſiſſe, quò ei aduocationibus interdici debeat. Pronũtiatum eſt, videri melius quidem Nominatum fuiſſe facturum, ſi cauſſam Veicetinorum eodem animo quo ſuſceperat, pertuliſſet. quia tamen in hoc genus culpæ non fraude incidiſſet, nihílque dignum animaduerſione cõmiſiſſe argueretur, liberandum eſſe, ita vt Veicetinis, quod acceperat, redderet. Poſtea quoq; agitatum eſt de renouandis veteribus Senatuſcon-

ſultis, quibus vænire Aduocationes prohibebantur, cenſitúmque eſſet, omnes qui quid negotij haberent, iurare prius quàm agerent, nihil ſe ob Aduocationem cuiquam dediſſe, cauiſſe, promiſiſſe : ſed peractis demum negotijs, permittebatur pecuniam duntaxat decem millium dare. Verùm hoc ad Principem reijci placuit, quia lex antiqua iam communi malo vinceretur.

Qui de quota litis ſiue ſuo ſiue alieno nomine pactus erit, huic Aduocationibus interdici.

II. Ex Vlpiano, lib. 31. ad edictum tit. mandati.

MARIVS Paulus Aduocatus fideiuſſerat iudicatum ſolui pro Daphnide cliente ſuo, mercedẽ pactus ob fideiuſsionem : & callidè ſub nomine alterius, ex euentu litis cauerat ſibi certam quantitatem dari, quæ illius à ſe mercedis pactæ loco cederet. De hac redemptione atque pacto de quota litis, cùm Claudio Saturnino Prætori conſtitiſſet : quia contra bonos mores eſt, & in procuratore aut Aduocato certe magis periculoſa, ne ſalarijs in ſpem victoriæ conſtitutis, non ex fide bona, ſed calumnijs & malis artibus litem procurent : Mario Paulo Aduocationibus interdixit. Sed neque propter eius calliditatem mandati actionem eum habiturum pro iudicato, à Diuis fratribus reſcriptum eſt. quanquam ex Marcelli ſententia, alij quàm procuratori aut Aduocato, pecunia accepta, non etiam pacto de

quota litis interueniente, fideiussisse, non noceret.

QVOD CVIVSQVE VNIVERSITATIS NOMINE, VEL CONTRA eam agetur. Tit. 20.

Diuisis partibus ciuitatis, quod interim æs alienum ab altera contrahitur, si denuo coalescant, ab omnibus agnosci oportere.

I. Ex Isocrate, in Areopagitico. Xenophonte, lib. 2. rerum Græcarum. AEmilio Probo, in Thrasybulo, & Iustino, lib. 5.

POSTQVAM exules reuersi e Piræo, vrbem eiectis Tyrannis recuperarunt, id inprimis Populo Atheniensi curæ fuit, vt nocentissimi quique de medio tollerentur. in reliquos sane sancita lex est περὶ ἀμνηστίας. Deinde quantum ad eos attinet, quorum à Tyrannis pecuniæ publicatæ essent, ijs ager publicè datus est. Sed & postremò de ijs pecunijs (centum erant talenta) quæri placuit, quas ij mutuati essent à Lacedæmonijs, qui dum seruire mallent, quàm sua perdere, in vrbe remanserant. Ergo indicta concione de reddenda pecunia, cùm multis æquum esse videretur, vt hi Lacedæmonijs satisfacerent, qui mutuò sumsissent, non vt in comunem vtilitatẽ vterentur, sed qui bellũ gererent aduersus Rempublicam, quæ sane tum in Piræo fuit, non Athenis, Populus tamen sapientissimè sciuit, cùm vitãdæ nouæ seditionis caussa, tum quia certum

esset, si non ab his aut illis, at profecto ab Atheniensibus atque nomine publico sumtam esse pecuniam, vt id æs omnium commune esset.

DE MINORIBVS, TIT. XXI.

Si venditor cum maiore 25. annis venditione celebrata, beneficio legis commissoriæ, à qua sub minore recesserat, alij fundum vendiderit: minori tam aduersus venditorem, quàm secundum illum emtorem, restitutionem competere.

I. Ex Paulo, lib. 1. decretorum hoc tit.

AEMILIVS Larianus ab Ouinio fundum Puteolanum lege commissoria emerat, data parte pecuniæ: ita vt si intra duos menses ab emtione, reliqui precij partem dimidiam non soluisset, inemtus esset. item si intra duos alios menses reliquum precium non numerasset, similiter esset inemtus. Intra priores duos menses Ouinio defuncto Rutiliana pupillaris ætatis successerat, cuius tutores in solutione cessauerunt. Venditor denuntiationib9 tutoribus sæpe datis ante & post diem, quo placuerat esse commissum, post annum eãdem possessionem Claudio Telemacho vendiderat. Pupilla acceptis alijs tutoribus, quòd primi vt suspecti remoti essent, in integrum restitui desiderabat aduersus & Ouinium & Telemachum. Victa tam apud

Præto-

Prætorem, quàm apud Præfectum vrbi, ad Imperatorem prouocauerat. Dicebatur benè iudicatum, quòd pater pupillæ, non ipsa contraxisset. nec mouere quòd dies committendi in tempus pupillæ inciderat, eaq́; effecisse videretur, ne obediret legi venditionis: non magis quàm si creditor pignus distraxisset post mortem debitoris, in tempus pupilli hæredis die solutionis finita. Sed cum tutores è contrario dicerent, venditorem denuntiando post diem commissoriæ legi præstitutum, & precium petendo, à lege sua recesʃisse: ideóque variare & ad hanc redire non potuisse: cùm etiam alioqui lex cōmissoria Imperatori Alexandro displiceret: præterea quoque moueretur, quòd priores tutores qui non restitui desiderassent, suspecti pronuntiati erant: ex Iulij Pauli aliorúmque Iurisconsultorum sententia, qui ei in consilio aderant, pronuntiauit, Rutilianam in integrum restituendam.

DE IVDICIIS, ET VBI QVISQVE *AGERE VEL CONVENIRI* debeat, Tit. 22.

Vllúsne vnquam Iudex rem sibi adiudicare poßit, de qua apud eum lis iudiciumq́; est.

I. Ex Dionysio Halicarnasseo, lib. 11. & Tito Liuio, Dec 1. lib. 3. & 4.

ARICINI atque Ardeates de ambiguo agro cùm sępius bello certauissent, multis inuicem

inuicem cladibus fessi, iudicem Populum Romanum acceperunt. Cùm ad causam orandam venissent, concilio populi à Magistratibus dato, magna contentione res acta est. Editi testes vtrinque: ac iam ineunda erant suffragia, cùm repentè denuntiante Septitio quodam, alijsque argumentis verissimè apparuit, neque Aricinorum neque Ardeatium agrum esse, quo de agitur: sed finium Coriolanorũ fuisse, captisq; Coriolis, olim iure belli publicum Populi Romani factum. De hac re cùm eos Populus Rom. interrogasset, nihil responderunt: vt hac sua taciturnitate de iure suo diffidere viderentur. Sed id modò indignè ferebant: minimeq; etiam honesti exempli Consules esse arbitrabantur, vt, cuius rei Populus Rom. iudex atque arbiter inter alios sumtus cognitionem suscepisset, hanc in suam rem verteret: neque vnquam antea rem à possessoribus vindicatam, nunc ereptam litigatoribus, sibi adiudicare vellet. Quem hoc priuatæ rei Iudicem facturum? an Populum Rom. quadruplatoris & interceptoris litis alienæ, non Iudicis personam laturum? At ex contrario, populus Rom. stultissimum aiebat esse, sinere quæ sua sunt, ab alijs ita iniquè occupari. Præterea iurasse se, quorumcunque agrum litigiosum esse inuenisset, hunc eis adiudicaturum. Nunc igitur cùm vel ipsa confessione litigantium manifestum sit, neq; Aricinorum neque Ardeatium sed Populi Romani esse: hunc pro sua religione videri ad Populum Rem. pertinere, pronuntiare

posse.

posse. Aliam sui, aliam Iudicis priuati rationem esse. sæpissime animaduersum, Reges, Imperatores, eósue penes quos omnis esset maiestas & auctoritas, in sua caussa iudicantes sedisse ac pronuntiasse. Denique dignissimos Ardeates atque Aricinos esse, qui tale iudicium ferant. quod ad se verò attinet, indignissimum, si inani pudore suam ipsi rem & causam prodiderint, damnauerint. Sic enim reos agere voluisse, vt, quem agrũ horum aut illorum esse iuratus Populus Ro. pronuntiasset, hunc nulla deinceps agendi ratione vindicare posset: quia aliis adiudicando, à se abiudicasse videretur. Itaq; vocatæ Tribus, iudicarunt omnes, agrũ publicum Populi Rom. esse. Et proculdubio, si postquam Populus Rom. rem didicit ad se quoq; pertinere, cùm vt inter alios non vt de sua caussa suffragium ferret, acceptus erat, iudicandi partes reliquisset, omnino id quidem æquius fuisset atque honestius. Verùm quia secundum Populum Rom. idem pronuntiatum esset, si alij Iudices cognouissent: non tam iniquum aut infame iudicium illud fuisse existimo quàm huiusmodi, vt facilè ad exemplum trahi non debeat. Sane de iudicij iniquitate querentibus Ardeatibus, respondit Senatus, iudicium Populi Romani rescindi non posse. Nihilominus tamen huius inuidiæ leuandę caussa, retinendísque sociorum animis, apud quos fide vti satius est, quàm interdum plus nimio iuris sui atque cõmodorum suorum meminisse: (nam cùm rem priuatam agimus, æquè magnam vtilitatis atq; iustitiæ

iustitiæ rationem haberi posse. at cùm res communes sociorúmve tractantur, honestas quoque seruanda est: ita rem Senatus moderatus est, vt nec iudicium Populi rescindere videretur (quia res semel iudicata pro veritate habenda est: itémque vitanda erat Ordinum discordia) & ager tamen ad Ardeates rediret. Id Senatus adeptus est, titulo deducendæ coloniæ: in qua obseruaretur veluti ex tacito Senatusconsulto, vt nullum alium agrum diuiderent, quàm qui suprà dicto iudicio Populo Rom. mancipatus esset: nec quid vlli prius Romano ciui glebæ assignaretur, quàm omnibus Rutulis ager diuisus esset. Quinti certe Fabij Labeonis iudicium de finibus inter Nolanos & Neapolitanos, non ita æquè defendi potest: neque illud Philippi Macedonum Regis, de quo Paulus Orosius, lib. 3. cap. 12.

Missus in Prouinciam magistratus, siue iniuria affectus sit, siue ipse affecerit, rem ad Senatum reijci oportet. vel sic: De caussis inter Præsidem & Prouinciales, non in Prouincia, sed in Vrbe disceptari debet.

II. Ex Cicerone, Verrina 3.

SI IN Prouincia Proconsul, Legatus, Præses, Quæstor, aliúsve magistratus Populi Romani iniuriam à Prouincialibus accepisset, aut eis contrà intulisset: querela Romam deferebatur, erátque Senatus de hac re iudicium, frustra omni opposita à Prouincialibus fori præscriptione: vt in caussa M. Aurelij Scauri iudicatum est.

Nam

Nam eo postulante, quod is Ephesi se Quæstorem vi prohibitum esse dicebat, quo minus è fano Dianæ seruum suum, qui in illud asylum confugisset, abduceret: Pericles Ephesius homo nobilissimus Romam euocatus est, quòd auctor iniuriæ illius esse diceretur.

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO, TIT. XXIII.

Et filio adoptiuo querelam dari aduersus testamentum patris naturalis.

I. Ex Valerio Maximo, lib. 7. cap. 7.

MANCIVS Carseolanus, cùm Suffenati filium suum dedisset in adoptionem, testamentum fecit. Tullianum Pompeij Magni familiarem, L. Sextilium & P. Popilium ei sanguine coniunctos, hæredes, filio præterito, instituit. Filius apud Centumviros, quos hæredes pater nuncupasset, prouocauit sacramento, Si non „ testamentum Carseolani patris inofficiosum es- „ set: quia se immerentem, ideóque indignè præ- „ terijsset. Lucius Sextilius, & P. Popilius non „ sunt ausi contendere. Tullianus spopondit fisus cùm alijs rationibus, tum etiam Pompeij Magni auctoritate & opibus, qui præsertim & in eodem testamento signauerat. Dicebat, iure filium præteritum: quia tantum abest, vt tempore mortis in patris potestate esset, vt non etiam in eius familia fuerit. nam in Suffenatis auunculi familiā

transijsse.

transijsse. Vt pater, filio dato in adoptionem, perdit omnia iura patris naturalis, vitæ, necis, succedendi & acquirendi potestatem: ita filiũ in bonis patris naturalis omnia iura amittere. Quid enim? in aliud nomen, aliud imperium, alia sacra, aliam gentem atque familiam transijsse: maximè quia se auunculo adoptandum dederit, in quem naturalia & ciuilia iura concurrunt. Legem, naturam imitari. atqui natura neminem duorum filium esse posse: itaque nec duobus patrum loco succedere. Potuisse petitorem, cùm daretur in adoptionem, contradicere. quando id non fecerit, patriæ successioni videri renũtiasse. At filius contrà dicebat arctissimũ esse inter homines procreationis vinculum. nunquã sic adoptione filium patris naturalis filium esse desinere, quin semper sit potior veritatis & naturæ, quam fictionis legísve caussa, ratio atque conditio. Patrem & filium nexu diuino copulari: at nihil adoptione fragilius esse. eundẽ posse vno die & filium fieri & extraneũ, si statim emancipatio accesserit. Quid de eo tum fiet, si neque ad hæreditatẽ patris quõdã adoptiui, neq; naturalis admittatur? Sane quòd sit in alterius potestate per adoptionem, id eo bonum esse, quò se præterito, testamentum patris, ipso iure nullius momenti esse dici non valeat: non vt querelam etiam inofficiosi non habeat. De inofficioso testamento agi hoc colore, quasi non ex officio pietatis fecerit testamentum. at certe pietatem aliáque inseparabilia iura per adoptionem non transijsse.

ſe. Igitur qui adoptatus patri naturali pietatem, reuerentiam debuit conſeruare (nec eum enim ſine permiſſu in ius vocat) eandem pietatem à patre naturali expectare debuiſſe: quia cùm teſtamentum deficitur, iure Tullianum defici, Centumviri ſecundum filium pronuntiarunt.

Liberis, aduerſus teſtamentum matris, querelam inofficioſi competere. Porro quæcunque odio liberorum, in ſecundum maritum contulerit, ea merito reuocari.

II. Ex eodem, ibidem.

SEPTITIA mater Tarchalorum Ariminenſium, infenſo erga filios animo, atque in eorum cõtumeliam, cùm iam parere non poſſet, Publio etiam ſeni ac decrepito nupſit: eáque ſi in matrimonio moreretur, a ctũ eſt, vt dos apud maritum remaneret. Eundem moriens, vtroque filio præterito, hæredem inſtituerat. Filij Diuum Auguſtum adierunt. querelam deferunt & de nuptijs matris, & de illius ſupremo & inofficioſo iudicio. Iniquum eſſe, dotem à Publio, etſi hæres non ſit, ex eo matrimonio retineri, quod non creandorum liberorum cauſſa interceſſerit: ſed in ſuam necem, ac ſolam defuncti mariti contumeliam. Eſſe & aliquam nubentium pudicitiam: ſatíſquè eſſe oportere, ſi dos intelligatur ex ſecundis nuptijs, non vt etiam (quando certè inhoneſtæ ſint, licet legitimæ) ex ijs lucrum capi, captari atque expectari debeat. Quod ad hæreditatem attineat, profectò iniquè ſe præteri-

E tos:

tos: neque se commisisse, cur eos exhæredãdi vllam caussam habuerit. Augustus indignatione motus, quòd eos mater sine caussa spreuisset, quos genuerat: quod effœta de secundis nuptijs cogitasset, quæ genus quoddam sed honestioris adulterij dici possunt: quòd testamenti ordinem violento & hostili animo confudisset, neq; erubuisset ei totum patrimonium addicere, cuius polluto iam corpori marcidam senectutem prostituisset: vtrumque, & nuptias mulieris, & supremaiudicia improbauit. hæreditatem maternam filios habere iussit: dotem ex pacto retinere vetuit.

An etiam pro ea parte rescindi possit testamentũ patris, in qua liberis præteritis aut exhæredatis superinductã nouercã instituit. Esse controuersias, quas indecisas relinquere interdum optima decisio est.

III. Ex Plinio Nepote, lib. 5. epistolarum.

ACCIA Variola splendidè nata, atque nupta Prætorio viro, cùm exhæredata esset ab octogenario patre intra vndecim dies, quàm ille nouercam ei amore captus induxerat: nouerca ex sexta parte, Suburrano ex reliqua institutis: Quadruplici iudicio bona paterna repetebat. Sedebant magna cum expectatione patrum, filiarum, nouercarum omnium, Iudices centum & octoginta (tot enim, vbi quatuor simul consilia iudicarent, conscribebantur) Pro Variola dicebatur, non esse consentiendum patribus, qui iniuriam

iuriam aduersus liberos suos testamento inducunt. manifestum esse, hoc testamentum non à libera mente, voluntate, certóque animi iudicio profectum: sed ab eo qui nouercalibus delinimentis, instigationibus, ac malitiosis blãditijs officiorum corruptus esset. Verè dici posse, à nouerca maritum prohibitum, quo minus aliter testaretur. quid enim tam noui accidisse, cur post vndecim dies pater omnem naturalem affectum ita cito exueret? Nec quidem probandas eas nuptias, quæ non liberorum quærendorum, sed libidinis caussa paratæ essent. Certè non ferendũ, vt Suburranus, qui ipse à patre exhæredatus esset, non ausus paterna petere, aliena vindicet. Contrà, pro nouerca dicebatur: non eam turpem personam esse, vt nihil à marito capere posit. Secundas nuptias permitti legibus. ceterũ coniugali sermone, amore & obsequio iudicium mariti prouocare, non esse prohibitum. Filiam nihil habere quod conqueri posit. nam eam à patre optimè atque honorificè dotatam & collocatam esse. atqui dotem & de inofficioso actionem excludere. Ea ætate patrem, non tam (vt dicitur) amore, quam tacito quodam odio filiæ, atque iusta indignatione, ad secundas nuptias conuolasse. Id debere tribui patribus, vt, si senectutem suam à liberis contemni percipiant, legitimis his modis potius maiestatem suam tueantur, quàm imperio aut animaduersione. Nouercam ex solo sextante institutam: vt videri non posit, solius nouercæ delinimentis & commo-

do filiam exhæredatam à patre : quare non esse admittédum, vt aduersus nouercam Variola audiatur agendo de inofficioso. sufficere, si ab extraneo reliquæ partes vindicentur. Secutus est varius euentus : Variola duobus consilijs vicit, totidem victa est. certè Suburranus succubuit. De Variola id non casu factum esse dicitur, sed ne quid prærogatiuæ in tanta iudicij expectatione, pro quo omnes in vrbe patres, filiæ, nouercæ laborabant, vni potius quàm alteri tribueretur : atque re iudicio transacta, plures in eam partem inducerentur, quam sententijs suis Iudices approbassent.

In infantem nullas posse cadere exhæredationis causas: eumq́, filium esse videri, qui in matrimonio natus, domi vt filius educatus est.

IIII. Ex Valerio Maximo, lib. 7. cap. 7.

CVM infans nihil committere posit dignum exhæredatione, merito Diuus Augustus Caium Tectium infantem à Tectio patre exheredatum, in bona paterna, rescisso testamento, ire decreuit. Sed neque de statu filij post mortem patris quæri passus est, quem Petronia matre, quam Tectius pater quoad vixit, in matrimonio habuerat, natum, velut in proprio iure, & ab ijs mutuo educatum esse apparebat.

Parentibus quoque inofficiosi querelam competere aduersus testamenta liberorum, licet non in potestate sint.

V. Ex

V. Ex eodem, ibidem.

ETSI parentibus non debeatur filiorum hæreditas, propter parentum commune votum, & naturalem erga filios charitatem: turbato tamen ordine mortalitatis non minus parẽtibus, quàm liberis piè relinqui debet. Parentes ad bona liberorum, ratio miserationis admittit, patria maiestas, donum vitæ, beneficium educationis: liberos, sola natura. Itaque & parentes filiorum testamenta de inofficioso accusant. Ideo motus C. Calpurnius Piso Præfectus Vrbi, cùm ad eum Terentius, ex octo filijs quos in adolescentiam perduxerat, ab vno in adoptionem dato & emãcipato exhæredatum se, querelam detulisset: filij bonorum possessionem Terentio dedit: hæredes lege agere non permisit. Mouit eum quoque circunstantium liberorum numerus, quòd vnà cum patre septem fratres exhæredatos impiè cerneret.

SI QVADRVPES PAVPERIEM FECISSE DICATUR. Tit. 24.

Pœnas pertinere ad exemplum: ideòque leges in brutis etiam & rebus inanimis exempla edere.

I. Ex Mose, in Exodo cap. 21. & 22. Platone, lib. 9. de legibus. AEschine contra Ctesiphontem, Iosepho lib. 4. cap. vlt. Plinio, lib. 29. cap. 4.

CVM omnis pœna non tam ad delictum pertineat, quàm ad exemplum: id etiam obseruari non in hominibus duntaxat, qui iniuria: aut brutis animantibus, quæ impetu: verùm etiam in rebus inanimis, quæ pondere officiũt, mirum videri non debet. Itaque legimus & anseres Romæ ob conseruatum Capitolium præmio affici: & canes, quod non latrassent, veluti si id ob perfidiam atque per proditionem fecisse viderentur, supplicia annua viuos in furca sambucea arbore fixos pependisse. Athenis, ligna, lapides, ferrum, quòd hominem delapsa occidissent, exterminata esse. Nec id solùm in administratione Reip. obseruatum est: verùm & in libris ac præceptis Philosophorum reperitur, atque adeo in libris sacris: cum maxime ob rei memoriã, tum vt eo magis homines à talibus arceantur, quæ animaduerterent in brutis quoque animalibus & rebus inanimis nõ tam certè vindicari, quàm omnibus rationibus expiari.

AD LEGEM AQVILIAM, TIT. XXV.

Damnum ita illatum brutis animãtibus, vt cum nullo quàm nocendi studio, lædantur etiam vtilitates humanæ societatis, in puero quoque capitale esse.

I. Ex Fabio Quintiliano, lib. 5. cap. 9.

SOLON legislator Atheniens. Areopagitas instituit, quorum consilio leges ac maiorum

instituta

instituta seruarentur. In hoc cõsilium publicum admittebantur prætorij viri duntaxat, & qui antea fuissent (vt agnoscatur Græci magistratus appellatio) ἄρχοντες. neque item eò adoptabantur omnes sine delectu: sed quorum virtus, fides, atque integritas in rebus gerendis, administranda Republica, iuréque dicundo, cuilibet ciui cognita esset ac perspecta. Nempe tam celebris Senatus tamdiu floruit auctoritas, donec eam Ephialtes ac Pericles, vt in eo soli omnia possent, imminuerunt: videlicet inprimis, Senatoribus statuentes iudiciorum mercedem: postea quoque violantes omnem illius honoris adipiscendi gradum, vti sua quidem gratia & opibus ad hoc fastigium adducti Areopagitæ, iam ex eorum nutu, voto & arbitrio agerent, transigerent, iudicarent omnia. Scilicet absit vt hoc de nostris propè temporibus dici posit: quasi in his (opinor) aliqua soleret esse magistratuum iudiciorumq́ue auctio, licitatio ac nundinatio: sintque nonnulli magis a libertis mancipijsque aulicis atque domesticis, quàm à summo optimóque Principe ac patrefamilias instituti: aut non etiam illa nostra calamitosissima tempora suum Periclem & Ephialtem simul habuerint, quos id pugnare vidimus, ac inuicem quasi de triumpho contendere, vter sibi deuotos atque dedititios plures in Senatum obtruderet, vt percussores ad homicidia, sic leguleios infames ad iudicia sibi accommodatos. an hi legem ideo non metuunt, quia lege creati non sunt? Verùm ad Areopagitarum

decreta veniamus, Puer quidam capitis postulatus est hoc nomine, quòd inuentus esset oculos coturnicum omnium eruens, quas posset apprehendere. Excusationem ætatis reus primò afferebat. in puerorum delictis, pro innocentia imprudentiam esse. tum vt aliquam pœnam mereatur, hoc certè crudele esse, vel brutorum animantium mortem, hominis morte vindicari. deniq; vt talione res agatur, oculos ei non vitam eripi oportere. Attamen omnium Areopagitarum iudicio damnatus est, quòd signi id eis esse videretur perniciosissimæ mentis, multísque malo futuræ si adoleuisset. Non aliam ob caussam Spurij Melij Marcíque Manlij popularitatem (vt Quintilianus ait) signum affectati regni existimatam esse.

Qui animal intercipit, quo alius ad quæstum vtitur, meritò multandus est.

II. Ex Plinio secundo, lib. 9. cap. 59.

PISCIS est, quem Anthiam appellant. horum nulli omnino capi possunt, nisi vnum ex ipso genere piscator sibi longa intentione atque diligenti conciliauerit, quo veluti duce ad capturam aliorum vti possit. Itaque auctorem hunc spei & socium insidiarum nosse, ad hoc prodest, ne capiatur: & ideo huic vni parcitur, ne occiso eo, ratio prædæ amittatur. At ferunt discordem socium malefica voluntate, ducem hunc pulchrè sibi alijsque notum, clam socio cepisse, & in macellum

cellum attulisse. Ibi cùm ab eo agnitus esset, cuius iniuria erat, socio Damni dati formulam edidisse: atque ob id à Iudicibus, decem libris lite æstimata, condemnatum. Nam & eum in publicam annonam dolo malo deliquisse: & sine vllo suo commodo nimis inuidè & malitiosè, alij, nisi vt noceret, solùm nocuisse.

Posse quem dolo malo eiusmodi animal occidisse, vt ipse mortem mereatur.

III. Ex eodem, lib. 10. cap. 43.

TYBERIO Principe, M. Seruilio, C. Sestio Coss. ex fœtu corui supra ædem Castoris, & Pollucis, in oppositam sutrinam pullus deuolauerat: quo nomine veluti religionis ergô commendabatur officinę dominus. Maturè sermoni coruus assuefactus, omnibus matutinis horis euolans in rostra ad forum versus, Tyberium, deinde Germanicum & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem Populum Rom. salutabat: postea ad tabernam rediens, mirus hoc plurium annorum asiduo officio. Hunc æmulatione vicinitatis, manceps proximæ sutrinæ exanimauerat. Verùm quia id subita iracundia fecisse videri voluit, excremẽtis istius corui, calceis suis impositâ macula, res coram Iudicibus de facili transacta est. Sed Populum Ro. tanta indignatio cepit, consternatióque inuasit, vt primò pulsus ex ea regione manceps, mox quoque ideo interfectus sit: denique funus etiam aliti publicè ce-

lebratum. Adeo mirum hoc ingenium auis, iusta caussa exequiarum supplicijq́; de homine ac ciue, Populo Romano esse visa est.

FAMILIAE ERCISCVNDAE. TIT. XXVI.

Quæ res hoc iudicio diuidi non potest, quales sunt liberti, ea vt diuisa maneat, nec consensu partium, nec auctoritate rei iudicatæ, nec longo tempore effici posse.

I. Ex Paulo, lib. 1. decretorum.

CAMELIA Pia ab Hermogene appellauerat, quòd diceret iudicem de diuidenda hæreditate inter se & cohæredem, non tantum res, sed etiam libertos diuisisse, & alimenta quæ dari testator certis libertis iussisset. nullo enim iure id eum fecisse, vt libertos quasi mancipia quædam aut hæreditaria bona diuideret. Nam adeo quoque libertorum omniũ hęredes omnes æquè patronos esse, vt & si pater ipse testamento, per epistolam, aliisve modis vni ex filijs libertum assignauerit, non desinat alterius filij libertus esse. quare & assignationem, nec quasi legatum, nec quasi fideicommissum percipi. Ex diuerso respondebatur, hæredes consensisse diuisioni, & multis annis alimenta secundum diuisionem præstitisse. Placuit nullam esse libertorum diuisioné, quia, quod est natura indiuisum, eius partitio facta nullis modis confirmari possit. sed illud adiecit, standum esse alimentorum

præstati-

præſtationi. Nam id fieri ſolet, vt, quoties plures ſunt hæredes, ex cauſſa alimentorum liberti diuidantur, ne à ſingulis hæredibus nominatim alimenta petentes, diſtringantur.

DE SERVO CORRVPTO, TIT. XXVII.

Frequentiâ delicti & pro eius qualitate qui deliquit, augeri ſerui corrupti damnationem. vel ſic, Etiam pro ſeruo corrupto extra ordinem agi poſſe.

I. Ex Plutarcho, in Demoſthene.

THEORIDES ſacerdos apud Areopagitas ab oratore Demoſthene accuſata & damnata eſt, quòd ſeruos alienos dolo malo corrupiſſe atque perſuaſiſſe diceretur, quò hi ſe erga dominos, fallaces, fures, improbè ac perfidè gererent. Nempe quod in aliјs graue, & ex legibus altero tanto duntaxat multandum eſſet: hoc ipſum in ſacerdote & virgine, quã ſibi aliјsq; ſanctam, caſtam & incorruptam eſſe oporteret, grauiſsimum videri, atque extremo ſupplicio vindicandũ. Præterea non eſſe hanc ſine probri, incesti, & auaritiæ ſuſpicione, quæ alienos ſeruos ad furta & rapinas ſollicitaſſet tam familiariter.

DE INSTITORIA ACTIONE, TIT. XXVIII.

Qui negotiationi quam exercebat, alium præpoſuit: videri ad omnia quæ gerebat circa illam negotiationem, eum præpoſuiſſe.

I. Ex

I. Ex Paulo, lib. 1. decretorum, tit. Quod cum eo.

TITIANVS Primus præposuerat seruum mutuis pecunijs dandis, & pignoribus accipiendis. Is seruus, etiam negotiatoribus hordei solebat pro emtore per intercessionem suscipere debitum & soluere. Cùm fugisset postea seruus, & is cui delegatus fuerat dare precium hordei, conueniret dominũ nomine institoris: negabat eo se nomine conueniri posse, quia non in eã rem præpositus fuisset. Cùm autem & alia quædam gessisse, & horrea conduxisse, & multis soluisse idem probaretur: Præfectus annonæ contra dominum dederat sententiam, & is ad Imperatorem prouocauerat. Dicebant Vlpianus, Paulus, alijque Iurisconsulti qui in consilio aderant, quasi fideiussorem eum videri, cùm pro alio solueret debitum. non solere autem ex ea caussa in dominum dari actionẽ, nec videri hoc dominum mandasse. & quòd alia quædam gessisse probaretur, ne horum quidem gratia, dominum, si nolit, obligari. Sed quia videbatur in omnibus quæ & soleret ipse agere, quale hoc vnum fuit, seruum suo nomine substituisse: sententiam conseruauit Imperator.

DE COMPENSATIONIBVS, TIT. XXIX.

In quibus caussis aduersus fiscum priuatus poßit obijcere compensationem.

I. Ex

I. Ex Paulo, lib. 3. decretorum.

FISCVS à debitore ſuo pecuniam petebat. is compenſationem fiſco opponebat, ſeque audiri poſtulabat adprobantem ſibi à fiſco deberi. Fiſcum non vti priuilegio, niſi in ijs caſibus, quos nominatim lex comprehendit. Neceſſariam, vtilem, & naturalem compenſationem eſſe. æquitate merum ius compenſationis induci. ergo reliquum eſſe, quemadmodum ipſo iure ſolutione debiti, ita compenſatione pari liberationē. Compenſationem admitti iuſsit Imperator, modo intra duos menſes debitum ſibi eſſe priuatus adprobaret. Sed tamen nonnullæ cauſſæ exceptæ ſunt, quarum debitor vti non poſsit compenſatione aduerſus fiſcum. cauſſa tributaria, ſtipendiorum, item precium rei à fiſco emtæ, & quod ex cauſa annonaria deberetur.

DEPOSITI VEL CONTRA, TIT. XXX.

Ea lege depoſitum à duobus, vt non niſi vtriſq; ſimul redderetur, nec niſi ab ambobus ſimul peti poſſet.

I. Ex Valerio Maximo, lib. 7. cap. 5.

QVAEDAM mulier a duobus hoſpitibus pecuniam depoſiti nomine acceperat, ea lege atque conditione, vt niſi ipſis vtríſque non redderet. Horum alter interiecto medio tempore, tanquam mortuo ſocio, ſqualore obſitus ſine iudice, ſine ſatisdatione omnem

pecuniam

pecuniam à muliere abstulerat. Sed cùm alter postea superuenisset, ac pecuniam per magistratum reposceret: dicebat se sine dolo malo alteri socio integram pecuniam restituisse. si decepta legi non paruerit, aduersus socium qui decepit, agere eum oportere, non suum periculum facere, quæ ex natura contractus, qui solùm eius qui deposuit gratia celebratur, ex dolo duntaxat conueniri potest. Ecquid si reuera decessisset? illi alteri petenti non redderet, quia nisi vtrisque simul reddere non debuit? Contrà pro petitore dicebatur, legem expressè dictam esse contractui. sic deposuisse, nisi vt ambo totam pecuniam tollerent. Si mortis suæ nuncius à socio allatus sit, non statim credere, sed probationes, aliúmve certiorem nuncium, cui cur id fingeret, nihil caussæ esset, expectare debuisse. certe vel interim in æde deponere, aut satisdatione à socio præstita reddere, aut non nisi iussu magistratus, nunc rem se à socio seruare non posse: quare ad mulierem periculum pertinere. Neque de dolo aut fide bona hic vllam quæstionem esse, quando non casus fortuitus obijcitur, sed factum ipsiusmet, penes quam pecunia deposita est: quæ alij & aliter quam deponenti hæredive eius restituendo, non magis liberatur, quàm dum alteri debitor, quàm creditori suo soluit. hìc propriè sequestrum fuisse, quod raro ei soli restituẽdum sit qui venit. At postquam Demosthenes mulieris patronus, rem agi potius iure summo, quàm ex æquo & bono animaduertit: ipso etiam iure

actorem petitione sua summouit: Ecce parata est. (inquit) depositi fidem soluere: sed nisi socium adduxeris, id facere non potest: quoniam, vt ipse vociferaris, hæc dicta lex est, ne pecunia alteri, sine altero numeretur. Itaque pronuntiatum est, videri socium non recte atque ex lege agere.

III. Ex incerto auctore.

APVD Turcas hoc in ore omnium denegati depositi percelebre iudicium fuit. Quidam, nemine conscio, penes amicum suum pecuniam deposuerat. Is cùm reposceret, negauit alter se quicquam accepisse: & quòd amico Imperatore vteretur, non ausurum illum cōtrouersiam mouere, existimabat. Sed re nihilominus ad eum delata, interrogat vtrumque: deprehendit, eum penes quem pecunia esse dicebatur, non vt ingenuum decet atque innocentem, turbulentè inficiari: alterum contrà, non fictis lacrymis constanter affirmare. Statuit igitur Imperator, nihil omnino prætermittere, quod pertineret ad inquirendam veritatem. Inprimis rem in alium diem protrahit. postea summittit qui amicè & quam familiariter inficiantē admoneat, vt sponte pecuniam reddat: rem sine iudicio transigat: famæ atq; opinioni suæ consulat: sane vel Principem malè quid de eo conijcere: itaque rem componi posse, vt sine suo damno pecunia restituatur. Cùm ille verò tum audacius denegasset, præ se tulit Imperatur, controuersiam hanc quæ non iure, sed probationibus egeat, indeci-

sam

ſam haberi velle: & mox rurſus inopinantem ad ſe adduci iuſsit. Poſtulat num proxima nocte cum vxore dormierit, & an cum ea rẽ habuiſſet, quáve hora noctis. vtrumq; vti poſtulabat cum ab eo didiciſſet: iuſsit alium adire vxorem, veluti ſi a marito mitteretur, qui diceret virum ſuum mandare, vt quam ei cuſtodiendam pecuniam ei ediidiſſet, hanc per ſe nuntium mitteret. ſi loquenti fidem non habeat, narrare ſe quæ a marito acceperit. Vxor his victa ſermonib⁹, pecuniam promit. Sic itaque detecta perfidia, Turcarum Imperator non duplo, ſed capite animaduertit.

MANDATI VEL CONTRA.
TIT. XXXI.

Ex auctore ad Herennium, lib. 2.

Mandatum, non mandati actio morte ſoluitur.

IN mandato, & quia certi hominis fides eligitur, morte eius cui mandatum eſt: & quia ad arbitrium reuocatur, morte mandatoris ſoluitur. Itaq; Sextus Iulius Prætor, ei qui cum hærede mandati agere vellet, iudicium non reddidit. nam & abſurdum videri, cuius ante mortem nulla cœperit actio competere: & quod ipſum morte ſoluitur, eius tamen nomine poſt mortẽ mandati agi poſſe. quare alia potius actione experiundum. At cõtrà Marcus Druſus Prætor vrbanus iudicium reddidit. nam nihil obeſſe cur ſi mandatum ſoluitur, mandati tamen actio non ſoluatur: ideo, quia rebus non integris, vel ob iu-

ſtam

ſtam quidem ignorantiam, etiam poſt mortem ea obligatio durat, quæ ex ipſo negotio & ſynallagmate naſcitur. Agi ex emto, etiam cùm emtio nulla eſt. Denique ſi hoc ſubtilitas non admittit, certè cauſam vtilitatis admittere. Quare & Iulianus & Paulus ad edictum, hanc ſententiam ſecuti ſunt.

DE CONTRAHENDA EMTIONE, ET *QVAE RES VENIRE* poſſunt. Tit. 32.

Qui iactum retis emerit, ſi non piſces, ſed aliud quid precioſum incidit, an ei debebitur.

Ex Valerio Maximo, lib. 4. cap. 1. Suetonio, de illuſtribus Rhetoribus: & Diogene Laertio, lib. 1.

AESTIVO tempore adoleſcentes vrbani cùm Hoſtiam veniſſent, litus ingreſsi, piſcatores trahentes rete adierũt: pactíque iactum retis quanti emerent, precium numerarunt. Hi cùm diu expectaſſent dum retia extraherentur, tandem nullus quidem piſcis apparuit, ſed ſporta auri obſuta: tunc emtores bolum ſuum dicere, piſcatores ſuum. Hanc ſane controuerſiam ex veritate, ac re quæ recens accidiſſet, (vt aliàs plerumque) e medio foro in ſcholam traductam eſſe, & ibi ſæpius agitatam, ſcribit Suetonius Tranquillus: ſed quid in ea aut viſum aut iudicatum ſit, omnino prætermittit. Fuiſſe verò iurgium hoc ambigui iuris atque difficilis, ex Mi-

lesiorũ decreto facilè cognosci potest. Nam cùm antea genus idem caussæ apud Coos accidisset, nempe vt cùm Ionici adolescentes iactum retis à piscatoribus cõparassent, extracta magni ponderis aurea mensa siue tripode, Coi propter nouitatem rei & magnitudinem pecuniæ, ad Miletum Ionum Metropolim, negotium reiecissent: vix quid in eo sequerentur, Milesij habuerunt. A piscatoribus dicebatur, se non captum omniũ rerum indefinitè, sed piscium vendidisse: neq; veri simile esse emtores aliter cogitasse, qui ad mare, qui ad piscatores accesserint. Verba contrahentium de his accipi oportere, de quibus credibile sit inter eos actũ. porrò quid eo certius, quàm vt qui captum emit ab aucupe, indaginem à venatore: auium ferarúmque captum emisse dicitur: ita qui iactum à piscatore comparauerit, de piscium captu intellexisse videatur? Alioqui certe si dicant nihilominus emtores, se & de alijs omnibus rebus, quàm de piscibus, atque etiam (si Dijs placet) de ipso tripode cogitasse: cùm ipsi piscatores ex aduerso, non nisi de piscibus, quorum captui vacarent, sensisse se affirment: nullam atque imperfectam fuisse venditionem necesse esse: quia non in eadem re conuenerint. Sed etsi id inspici debeat, quod frequentius fieri consueuit, vt in eo videlicet qui contrahunt, quasi si sit res dubia, consensisse videantur: non aliud dici posse, quàm quod supra dictum est, cõsensisse de piscibus: de alijs rebus dissensisse. Id porrò & ex precij quantitate facile colligi, quæ

pro

pro moderato ac veluti quotidiano piſcium modo apponi ſolet, non etiam aliarum rerum contemplatione. Spem aliam, & incertum quidem emtum eſſe: ſed id quantum ad piſces attinet. nam & ſi cogitaſſent, fore vt vel reliqua omnia capta deberentur, maius vtique pretium eò pepigiſſent, quò ſpes & alea minus certa eſt, quæ nullis rebus ſpeciebúſve coartata non poteſt non vtiliter cadere. Iam quid ſi poſt conuentionem ipſi piſcatores rete iactare noluiſſent? quam Iones iure æſtimationem fieri poſtulaſſent? an ſummæ infinitæ, preciique incredibilis, quia potuit, vt exemplo nunc apparet, menſa aurea incidere? At piſcium profectò habita fuiſſet æſtimatio, etiam ad id relatione facta, quod piſcando ſæpius accidit, nunc itaque cùm piſces educti non ſint, nihil peti poſſe. Deniq; id omne quod actum eſt, non tam naturalem contractum eſſe emtionis & venditionis, quàm negotium, do vt facias, aut aliquod aliud minus ſerium quàm ludicrum. Itaque & ſi piſces extraxiſſent, cogi non potuiſſe eos emtoribus tradere: ſed eorum duntaxat æſtimationem, quod ius ad menſam hanc auream adducere, nullus eſt iudex qui arbitrari velit. Pro emtoribus contrà dicebatur, eos nihil de piſcibus egiſſe nominatim: bolum, iactum ſeu captum emiſſe, ideóq; omnem aleam, ſpem ac fortunæ euentum. Tam frequens eſſe, cùm in mari piſcamur, vt quidlibet aliud, quam piſces educatur. id maris amplitudine & opulentia fieri, qua vel terram ipſam longiſsimè ſuperat.

Quare si id inspici placeat, quod frequenter accidit, vt de eo quoque contrahentes sensisse videantur. tam de aliis rebus omnibus, etiam quæ nusquam alibi quàm in mari nascuntur, quàm de piscibus cogitasse verisimile esse. vt qua etiam ratione insula quæ in mari nata sit, fit occupantis, quia id raro accidit: contrà, quæ in flumine, quia id frequenter accidit, eorum esse dicitur, qui prope ripam prædia possident: eadem profecto ratione si in flumine dici possit, quia raro id fit vt loco piscium res aliæ pretiosæ educantur, nihil ex verisimili contrahentium voluntate, quæ ad ea quæ sæpius eueniunt adaptatur, emtori quàm pisces deberi, si vlli quidem extracti sunt: ita in mari, propter ea quæ sæpe accidunt, videri de rebus omnibus cogitasse contrahentes. itaque deberi emtori quicquid extractum sit. Nam & piscatores ipsos in mari piscari, alia quoque quàm piscium expectatione. vt in missilibus quia & aliarum rerum quàm pecuniæ spes atque expectatio est: profecto qui à Titio missilia exceperit, etsi aues, etsi vestimenta, etsi aliud prorsus quam nummi iactati sint, debebuntur. Præterea si, vt à piscatoribus dicitur, hoc quasi ludicrum fuit negotium: non magis affirmari posse contrahentes de piscibus, quàm de conchis aut gemmis aut lapidibus cogitasse. Igitur si lapides aut calculi incidissent, crederent piscatores emtionem nullam esse? & precium quod accepissent, vtrúmne emtoribus redderent? Quemadmodum vt sine re precio suo careant

reant emtores, non necesse est vt nedum pisces, sed & nihil aliud inciderit: ita vt id quod extractum est consequantur, non oportere, vt nihil aliud quàm pisces extracti sint. Aliud esse si pisces ita venierint, Qui caperentur: & aliud, Si iactus aut captus venierit. nam priore casu, si nulli pisces capientur, nullum precium deberi: quia res non sit quæ veneat. posteriore casu, siue nihil, siue quid aliud quàm pisces extractum sit, venditionem subsistere: quia captus venierit, hoc est, spes & alea. Quid igitur, etsi vel pisciculus in rete incidisset, in eóque occiso gemma preciosissima inuenta esset? si indaginem quis emisset plagis positis à venatore, vel pantheram ab aucupe: & collo aut pedibus bestiæ quid summi valoris appensum esset, id igitur non cederet emtori? Atqui parem rationem esse commodi atque incommodi. neque rem ex pretij modo metiendam esse: quia hoc ipso maius minúsve precium imponitur, quia & res ipsa, & eius quæ capietur æstimatio incerta est. Milesij, cùm non occurreret quid ex animi sui sententia iudicare possent: nam non videri mensam piscatoribus adiudicari oportere: quia si quod ius inuentione acquisissent, id à se prius spe vendita alienassent. at nec Ionicis adolescentibus: quia si de alia re quàm de piscibus, non certe vnquam de re tanti precij cogitasse verisimile videretur. Itaque consuli placuit Apollinem Delphicum. Respondit, neutri, sed ei qui in tota Græcia sapientia præstaret, dandum esse. Ergo omnium cõsensu Tha-

leti concessa est: ille contrà, cessit ea Bianti: Bias Pittaco, hicque aliis, sic vt deinceps per septem sapientum ordinem, ad Solonem perueniret. Is recte affirmans Deum solum sapientem esse, Apollini consecrauit.

LOCATI ET CONDVCTI. TIT. XXXIII.

In rebus ambiguis tutius esse aliquando rem iniudicatam relinquere.

I. Ex Aulo Gellio, lib. 5. cap. 11. & Diogene Laertio, lib. 9.

EVATHLVS diues adolescens, eloquentię discendæ causarumq́ orandarum cupidus fuit. Is sese dedit in disciplinam Protagoræ: pecuniámque pro mercede pactus, quantum Protagoras petierat, dimidium eius pecuniæ iam tum prius numerauit, quàm quid de magistro ediscere: reliquum, quo primo die caussam apud Iudices orasset & vicisset, dari stipulatus est Protagoras, spopondit Euathlus. CVm satis longo tempore auditor affectatórque Protagoræ fuisset, & in studio quidem facundiæ abundè promouisset, causasque tamen non reciperet, & facere id videretur, ne reliquæ mercedis dies cederet: Protagoras litem cum eo cõtestatur, mercedem petere incipit. Dicebat, Euathlum nullo nunc modo elabi posse quin pecuniam solueret. nam si aduersus eum lis concessa fuerit, mercedem

dem ſibi debitum iri ex iudicato, quia iudicio vicerit: ſin verò ſecundum eum iudicetur, futurum etiam vt ex conuentione ſibi pecunia debeatur, quia ille iudicio vicerit. Euathlus contrà (cùm potiſsimum pro ſe verba faceret, nec alio Patrono vteretur) ita referebat: Imò ſiue pro ſe ſiue contrà ſe iudicatum fuerit, nihil Protagoræ ſoluturum. Nam ſi (vt inquiebat) Iudices pro cauſſa mea ſenſerint, nihil tibi ex ſententia debebitur, quia ego vicero. ſin cõtra me pronunciauerint, nulla re tibi ex pacto obligatus ero, quia ego non vicero. Expectabatur in re diffi cili & ambigua iudicantiũ arbitrium; quibus etſi videri poterat, de hoc controuerſiæ genere non eſſe cogitatum inter contrahentes: ideoque quo caſu diſcipulus litem perdidiſſet, ſi exceptione pacti vti vellet, eum doli replicatione ſubmoueri poſſe. ſed ex aduerſo, rationem non occurrere, cur eius pecuniæ damnari poſſet, cuius neque dies neq; conditio eueniſſet, aut etiam pro impleta haberi poſſet, ac ſi per eum ſtetiſſe diceretur, quo minus cauſſas reciperet: quia illa conditio & ex voluntate diſcipuli penderet, & vt maximè reciperet, euenire poſsit vt nunquam ſuperior euadat. Quid igitur ſi abſoluiſſent? videbant iuuaturum ſe pactione Protagoram. Igitur quanquam in hanc partem ſubſiſtere potuerit iudicium, ac facile (vt ego quidem exiſtimo) defendi ac tueri doli mali clauſula: tum quia de huiuſmodi victoria nec ipſum etiam Protagoram cogitaſſe veriſimile eſt: tum rei iu-

dicatæ auctoritate, quia hoc ipſum in hac lite iudicatum eſſet, vt quanquam Euathlus vicerit, eò ſibi proſit hæc victoria, ne nunc ex ſtipulatu merces peti poſsit: rem tamen Iudices iniudicatam reliquerunt, cauſamque in diem longiſsimum prorogarunt. Omnino quidem magis prudenter ac religioſe. nam pari ratione diſtulerunt petitionis iudicium, qua illius re vera dies non venerat. ac cùm facile coniectura colligi poſſet, nunquam præſenſiſſe litigantes, inter ſe tale futurum iudicium: itaque etiam vtilius fore, ſi vt ita eſſet, efficeretur. Denique ideo etiam opinor (quod plerunque præſertim his temporibus accidit) ne in executione aut interpretatione iudicati, longior & moleſtior actio & contentio, quàm in prima ipſa lite naſceretur. Nempe & hoc apud nos in iudicijs ſæpiſsimè obſeruatur, vt quam rem ſiue litem aut Reipub. aut partium definiri non intereſt, hanc etſi liqueat, tamen conſilij eſſe pronunciemus.

Si per redemtorem non ſteterit quo minus conditioni pareat, non teneri.

II. Ex Cicerone, lib. 2. de Inuentione.

CVM Lacedæmonijs lex eſſet, vt hoſtias niſi ad ſacrificium quoddam redemtor præbuiſſet, capitale eſſet: hoſtias is qui redemerat, cùm ſacrificij dies inſtaret, in vrbem ex agro cœpit agere. Tum ſubito magnis commotus tempeſtatibus fluuius Eurotas, is qui propter Lacedæmonem fluit, ita magnus & vehemens factus eſt, vt eò tra

duci

duci victimæ nullo modo possent. Redemtor, suæ voluntatis ostendendæ caussa, hostias constituit omnes in litore, vt qui trãs flumen essent, videre possent. Cùm omnes studio eius subitam fluminis magnitudinem scirent fuisse impedimento, tamen quidam eum capitis accersierunt. nam vtut sit, quia factum non sit quod lex iubet eum supplicio dignum esse. Præterea caussam agi Religionis, quæ ne vllis casibus impediri posset, & ne vllo tempote sacra intermitterentur: ideo legi conductionis tantam pœnam appositam esse, vt vel toto anno ante sacrificium potius iam paratæ & adductæ sint hostiæ, quàm vt vllo casu sua die non celebretur. Nunc & delictum culpam præcessisse. cur enim se redemtor tam arctauerit, vt dum sedatur tempestas, adhuc ante diem sacrificij, satis spatij non haberet? At quia crudele est, casus qui vel à sapiente præuideri non possunt, hominibus imputari: mea quidem sententia, reum absolui placet. sufficit enim Ciceroni genus controuersiæ proposuisse, non etiam quid in re certe non ficta placuerit, in medium adducere.

Si quis ante legitimum salarij tempus decesserit, nihil eum transferre ad hæredes, nisi pro rata temporis: non etiam integrum annuum.

III. Ex Plinio Nepote, lib 3. epistolarum.

EGNATIVS Marcellinus Quæstor in Prouincia, Scribam qui sorte obtigerat, ante legitimum salarij tempus amisit. De eo quod ac-

ceperat Scribæ daturus, cùm intelligeret ſubſidére apud ſe non oportere: in Senatu quæſitum eſt, quid fieri de ſalario vellet. Hæredes Scribæ, id reſiduum ſibi: Præfecti ærario Populoq; vindicabant. Dicebat hæredum Aduocatus, quod ſemel ſit ab ærario ſeparatum, atque ſalario Scribę aut alterius comitis deſtinatum, rectà ad eum tranſijſſe: annuatim duntaxat & quaſi penſionibus accipere, quod ei ſemel officio quæſitum eſt. Si pro pecunia quaſi ſub conditione relicta, operam debeat: per eum non ſtetiſſe, quo minus conditioni pareret. Indignum eſſe, qui diem ſuum obierit, attentus Reipub. muneribus, hunc nihil commodi, nihil emolumenti ad ſuos tranſmittere. Si repræſentata ſit comiti pecunia, an paulo poſt eo mortuo, condicetur? non alium Scribam ſuppoſitum, cui pro reliqua anni parte, operam locanti, ſalarium præſtari debuerit. Contrà, Populi Aduocatus, pecuniam publicam non priuatorum commodis impendi, ſed publicis neceſsitatibus. Salaria pro miniſterij modo præſtari ſolita. Quod niſi opera & labore acquiritur, qua ratione ab hæredibus peti poſsit? Qui domum ædificãdam locauerit, ſi cum mediam ædificauit, deceſſerit, non ideo poſſe integram mercedem hæredes à conductore petere, quòd per redemptorem non ſteterit, quin opus ipſe perageret cuius electa erat induſtria. an nautas, vectorum in naue mortuorum mercedes poſcerę? Denique quî ſuffecturum ærarium, ſi in præſtatione ſalariorum annus cœptus pro impleto habeatur?

beatur? euenire posse, quæ est hominum caducitas, vt vnius anni operæ terna aut quina annua debeantur. Summam gestorum munerum à parentibus, in laude & commendatione magis, quàm in compendio, liberis expectationem esse oportere. Cælius Strabo ærario censuit inferendum: Bebius Macer, hæredibus dandum. obtinuit Strabo. Sane à Leone Imperatore tandem id solis fisci Aduocatis concessum est, vt totius anni commoda atque stipendia, ex quo hoc officium peragere cœperint, si moriantur, deferant hæredibus. quo iure sicut in omnibus ferè Gallicis magistratib⁹ vtimur, ita non integrum annuum, sed sola pensio soluitur.

DE EVICTIONIBVS, ET DVPLAE STIPVLATIONE.
Tit. XXXIII.

Venditorem, si quid dolo reticuerit, quò postea res ab emtore auocari posset, teneri: & bono publico res priuatorum dirui, occupari posse.

I. Ex Cicerone, lib. 3. Officiorum: & Valerio Maximo, lib. 8. cap. 2.

CVM Augures, quòd in arce augurium facturi essent, iussissent T. Claudium Centimanum, qui ædes in Cælio monte habebat, eas demoliri, quarum altitudo auspicijs officeret: Claudius proscripsit, insulam vendidit. emit P. Calphurnius Lanarius. Huic ab Auguribus illud

idem

idem denuntiatum est. Itaque Calphurnius cùm demolitus esset, cognouissetq; ædes posteà Claudium proscripsisse, quàm esset ab Auguribus demoliri iussus: arbitrum illum adegit, QVICQVID SIBI DE EA RE FACERE OPORTERET EX FIDE BONA. M. Cato pronunciauit, Cùm in vendendo rem eam sciset, & non pronuntiasset, emtori damnum præstari oportere.

Quod vitium emtor non ignorauerit, id ei venditorem præstare non debere.

II. Ex M. Tullio, lib. 3. Officiorum, & lib. 1. de Oratore.

M. MARIVS Gratidianus C. Sergio Oratæ vēdiderat ædes eas, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Hæ Sergio cuidam alij seruiebant. sed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in iudicium est. Oratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius. Ius Crassus vrgebat: quidquid fuisset incommodi, id si venditor scisset, neque in Mancipij lege declarasset, præstare debere. Aequitatem Antonius. quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas ędes eidem antea vendidisset, quo etiam tempore seruiebant, nihil fuisse necesse dici; nec eum esse deceptum, qui id quod emerat, quo iure esset, teneret. Quid Centumviri pronunciarint, non refertur à Cicerone. Sed ex iure nostro certũ est, cùm ædes non ita venierunt, VTI OPTIMAE MAXIMAE, liberas tradi necesse non fuisse. Igitur Oratæ

Oratæ nullam ex emto actionem esse. nam etsi de seruo ageretur, Gratidiano exceptionem competere: cum in edicto AEdilium Curulium hoc iudiciat, ne emtor decipiatur. at sciens intelligensque non decipitur.

DE PROBATIONIBVS ET *PRAESVMTIONIBVS.* Tit. 34.

Eius notæ atque infamiæ, reum: actorem, fidei ac probitatis esse posse, vt actore non probante, statim reus absolui non debeat. Præterea lites occurrere, quas non decidere interdum humanius est.

I. Ex Aulo Gellio, lib. 14. cap. 2.

APVD Aulum Gellium Iudicem à Prætore datum pecunia petebatur, quam actor dedisse se ac numerasse contenderet: sed nequicquam probat de intentione, siue testibus siue instrumentis. Hoc vnum & alijs omnibus & Iudici constabat, actorem apprimè virum bonum esse, notæ & expertæ fidei, atque vitæ inculpatissimæ: ideóque multa & illustria exempla probitatis syncerıtatísque eius pro eo afferebantur. Debitorem ex aduerso, hominem non bonæ rei, vitæque turpis & sordidæ: conuictum vulgo in mendacijs, plenúmque esse perfidiarum ac fraudum. Ita esse à maioribus traditum (quemadmodum à M. Catone pro L. Turio contra Cn. Gellium

Gellium relatum est) vt si quid inter duos actum est sine vllis aut tabulis aut testibus, tum apud Iudicem qui de ea re cognosceret, vter ex ĳs melior esset, quæreretur. si ambo pares essent, siue boni siue mali, vnde petitur vt ei potius crederetur, ac secundum eum iudicaretur. hic qui petit, meliorem esse: ergo ei condemnãdum aduersarium. At is contrà clamitabat, probari debere pecuniam datam esse legitimis ac consuetis modis, expensi latione, mensæ rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obsignatione, testium intercessione: ex quibus omnibus si nulla re probaretur, dimitti se oportere, atque aduersarium calumniæ damnari. Nam quod de vtriusque vita atque factis diceretur, frustra id fieri atque dici. rem enim de petenda pecunia apud Iudicem priuatum agi: non apud Censorem de moribus. Gellius qui homines considerabat, alterum fidei, alterum probri plenum, spurcissimæque vitæ ac defamatissimæ: cùm nequaquam ad absoluendum eum à quo petebatur, adduci posset: primò diem diffudit. postremò quia ex facto ac preter morem iudiciorum venerat in quæstionem controuersia de moribus: ne petitoris famæ atque opinioni præiudicium afferret, maxime quia fidem eius secutus esse videretur, in quo perfidiam arguebat: pronunciauit, sibi non liquere. ita cùm non liberaretur debitor, ab eo tamen pecunia non exacta est.

Summa præsumtio est, quæ à natura ducitur.

II. Ex

II. Ex lib.3.Regum, cap.3.& Iosepho lib.8.cap.2.

DVAE impudicæ mulieres solæ simul habitabant. hæ remotis omnibus arbitris, pepererant eodem tempore masculum. Sed altera cùm triduo post, noctu filium dormiens suffocasset, de superstite coram rege Salomone inter eas contentio fuit. Vtraque dicebat suum esse. vna, sibi dormienti ab altera viuo erepto, suppositum mortuum: altera negabat. Quid vel Iudex sapientissimus in re tam obscura nullis adiutus probationibus decerneret? Forte vt eius esset, quæ viuum possideret. At rex Hebræorũ Salomon coniectura ac præsumtione omnino certe naturali ac verisimili, quid liquido iudicandum esset, assecutus est: Finxit iubere se (quod in dubijs rebus fieri solet) vt ambo infantes tam ille qui viueret, quàm qui mortuus esset, diuiderentur: & quando superstes, cuius integer esset, cognosci non poterat, ambæ vtriusque dimidiam partem acciperent. Igitur cùm vna totis commota visceribus, metu, pietate, amore solicita superstitem potius alteri concedi, quàm secari atque interfici permitteret: id enim vel sibi solatio fore, quod alij adiudicatus, saluus esset: altera vero parùm resisteret, occidique mallet, quàm dum ipsa suo careat, altera gaudeat filio suo superstite: motus Salomon naturali ratione, qua nunquam in ea maternus animus esse dici potest, quæ pro liberis tam crudele consilium capit, vt iudicium magis interitu filij, quàm secundum aduer-

aduerſariam decidi malit, neque minoris æſtimet filium quàm litem perdere: eius quæ cedebat, filium eſſe pronuntiauit.

III. Ex Suetonio in Galba, cap. 7.

CVM de proprietate iumenti lis iudiciúmque eſſet, omni ex parte leuibus argumentis & probationibus, ideoque difficili coniectura veritatis: ſic Galba decreuit, cùm rem ipſe cognoſceret, vt ad lacum quo iumentum adaquari ſolebat, duceretur capite inuoluto: atque ibidem reuelato, eius eſſet, ad quem ſponte ſe à potu recepiſſet. Nimirum in cauſsis latentibus & natura reconditis (vt noſter Quintilianus ait decla. 320.) ita demum veritatem exiſtimauit manifeſtam eſſe poſſe, ſi nihil quamlibet exiguum à Iudice prætermittatur, quo inueniri veritas poſsit. in hoc omne Iudicum opus eſſe oportere. Plane ſi quædam etiam ſola ſorte dirimimus: huic iudicio, vltra cæcum illum euentum & aleam, acceſſit iumenti naturalis quidam inſtinctus, & familiaris huic à quo paſceretur, adulatio: quæ nec non alijs rebus hoc vel illo modo iudicandis, ſæpe occaſionem attulit, vt ex ſequentibus quibuſdam cognitionibus ſententijſque apparebit. Interim vero quid illa Androdis ſerui & Leonis mutua recognitio?

DE IVRIS ET FACTI IGNORANTIA. TIT. XXXIII.

Error iuris facit, vt qui ex inutili teſtamento adit hæredita-

reditatem, ex vtili testamento repudiare videatur.

I. Ex Paulo, lib. 3. decretorum, tit. de acquirenda hæreditate.

CLODIVS Clodianus facto prius testamento, postea eundem hæredem in alio testamento inutiliter facto, instituerat. Scriptus hæres cùm posterius putaret valere, & hoc posteriore prius testamentum ruptum esse, ex eo adire hæreditatem voluit: adijt. sed postea hoc inutile repertum est. Papinianus putabat repudiasse eum ex priore hæreditatem: ex posteriore autem, quia inutile esset, non posse adire. itaque Clodianum intestatum decessisse. nam & qui bonorum possessionem ab intestato petijt, cùm putaret testamentum non valere, hæreditatem ex testamento videri repudiasse. Paulus contrà dicebat non repudiare eum ex priore testamento, qui putabat posterius valere: quemadmodũ qui iudicium defuncti secutus est, cùm ignoraret vires testamenti, legitimam hæreditatem vindicare non prohibetur. Pronuntiauit tamen Imperator Antoninus Magnus, Clodianum intestatum decessisse. nam dissimile esse, quis, vbi ex testamento adeat, an ideo ab intestato adire nolit: aut cùm, ecce, duo testamento proferuntur, nolit ex vno capere, cùm ex alio velit. Certe si hæres scriptus alioquĩ vocetur ab intestato, possit legitimam hæreditatem petere: neque ei noceat ex testamento adijsse, quod valere existimabat. Sed postquam maluit semel ex vno te-

ſtamento adire, ex alio amplius non poterit: quia ſtatim cauſſa inteſtati ſucceſſerit, legitimiſque hæredibus ius acquiſitum ſit, quemadmodum ſubſtituto, ſtatim atque primus hæres ex teſtamento adire noluit, etſi ideo quia id putaret non valere: quia in his nocet iuris ignorantia. Itaque eum prorſus ex priore teſtamento repudiare, qui ex alio adire voluit, qualecunque ſit, vtile aut inutile: ſi vtile, quia prius rumpitur: ſi inutile, quia ſibi imputare debet, qui aut per ſe aut conſulendo peritiores, de iure & viribus poſterioris teſtamenti ſcientiam aſſequi non potuit.

DE SECVNDIS NVPTIIS. TIT. XXXVI.

Secundas nuptias improbari, quæ ad contumeliam liberorum initæ ſunt.

I. Ex Valerio Maximo, lib. 7, cap. 7.

CVM Septitia mater Trachalorum filijs irata, & in contumeliam eorum, iam cùm parere non poſſet, Publio ſeni admodum nupſiſſet; poſtea quoq; teſtamento vtrumque præterijſſet: aditus Diuus Auguſtus, & nuptias mulieris & ſuprema iudicia improbauit.

DE PACTIS DOTALIBVS. TIT. XXXVII.

Clauſula, Soluto matrimonio dotem reddi, omnia genera ſoluti matrimonij comprehendit.

I. Ex

I. Ex Paulo, lib. 1. Imperialium sententiarum in cognitionibus prolatarum, tit. de verbor. significatione.

CVM quærebatur, an verbum, SOLVTO MATRIMONIO DOTEM REDDI, non tantum diuortium, sed & mortem contineret: hoc est, an de eo quoque casu contrahentes sensissent: & multi putarent, etiam de hoc sensisse, quia illa verba generalia sunt, & nullo alio modo verius quàm morte matrimonium soluitur: item quia facile hanc interpretationem non sequimur, vt dos quæ vxoris alteriúsue propria est, apud maritũ remaneat. Postremò, cùm multis modis soluatur matrimonium, si dixerimus in vnum sibi cauisse duntaxat vel patrem vel extraneum, vel ipsam mulierem: in hac generali commemoratione, cur de diuortio magis quàm de morte: aut contrà, de morte potius, quàm de diuortio dici debet, eum qui stipulatus est, cogitasse? At quibusdam alijs contrà videbatur, sensisse contrahentes de diuortio duntaxat, certe de morte non sensisse. Naturalem enim illum euentum esse, qui nulla vtriusque culpa eueniat: ideóq; verisimilius esse, de hoc casu actum videri, quo aliter quàm bona gratia receditur à matrimonio. Præterea morte extingui potius matrimonium, quàm solui. item fauorabile esse, vt dos apud maritum remaneat, siue sint liberi, vt eos facilius posit alere: siue non sint, quia legibus approbatur hoc lucrum. Denique si dicatur,

etiam de morte sensisse contrahentes, id frustrà ab ijs factum esse. nam in hac specie, etiam sine stipulatione certum est dotis actionem sua diè competere. Itaque veluti cum actum est, vt in matrimonio sine liberis defuncta filia, dos patri restituatur: id ea mentione liberorum actum esse intelligitur, vt ex aduerso liberis superstitibus dos retineatur, ne illa expresio superuacua sit: ita cùm his verbis, SOLVTO MATRIMONIO DOTEM REDDI, stipulatio concepta est: si vxor in matrimonio moriatur, id actum videri, ne dos restituatur: quia sibi contrahentes idem eo casu prospexisse non creduntur, quo ijs lege ipsa satis abundè consultum est. Prioribus tamen rationibus motus Imperator pronuntiauit, id actum eo pacto, vt nullo casu remaneret dos apud maritum.

DE DIVORTIIS ET REPVDIIS, TIT. XXXVIII.

Si vxor contumaciter marito dicto audiens non sit, repudiari posse.

I. Ex libro qui inscribitur Esther, & ex Iosepho, lib. 11. cap. 6.

ASSVERVS rex Persarum, Medorum, Indorum, AEthiopum, Vasthy vxorem habuit. Is post conuiuium quod magnificentissimum populo exhibebat in ciuitate Susan, factus hilarior, mandauerat Eunuchis vt Reginam vocarent,

carent, atque introducerent, quò ab omnibus ciuibus, summi beneficij loco, vt erat eximiæ pulchritudinis, Reginæ habitu & ornatu conspiceretur. sed cùm bis atque iterum vocata venire recusasset, ideo quia moris erat apud Persas, vt omnium hominum aspectum mulieres auerterent, præterquam parentum ac domesticorum: Rex nihilominus grauiter infensus, septem Magos atque Patritios in consilio adhibuit, penes quos omnis potestas erat legum interpretandarum, vt sciret an & qua pœna hæc in Regem & maritum contumacia plecteretur. Mamuchan cēsuit, hanc iniuriam non ad solum Regem Assuerum, sed ad omnes etiam ei subditos pertinere. Nam quid non ausuras omnes alias vxores aduersus maritorum volūtatem, auctoritatem, imperium, cùm in Regina ipsa promptum erit ac familiare contumaciæ, superbiæ, peruicacitatis exemplum? Potuisse negligi, si qua in re priuatim minus dicto audiens Vasthy fuisse diceretur. nam istud esse mulierum commune malum. Verùm tale quid coram vniuerso Populi conuentu ac Procerum commisisse, nimis ad exemplum pertinere, quàm vt vlla ratione, lege aut cōsuetudine excusari posit. Nam etsi quid minus patrium, vel indecorum Assuerus imperasset, vxorem tamen parere non disputare debuisse. Sufficere vxori obsequij gloriam. Quapropter censere se, optima caussa Vasthy posse repudium mitti. hanc sententiam, cum omnibus alijs, Rex secutus est: illúdque iudicium

 passim

passim edicto promulgari iussit, vt discerēt vxores, maritos suos, cuiuscunque dignitatis sint, in honore ac precio habere, imperiúmque esse domi, virorum, non mulierum.

Interdum etiam sponsæ turpiter, ideóque non sine fraude, repudium mitti.

II. Ex Plutarcho, in Lysandro.

LYSANDER Lacedęmoniorum dux fortissimus, filias quas duas habebat, dum viueret adhuc, desponderat: sed cùm eius interea defuncti inopiam sponsi cognouissent (adeo Lysandro nihil summa potentia, nihil regni diuturna administratio præterquam ad virtutem & gloriam adiumenti attulerat) sponsalibus renuntiauerant. Apud Ephoros res acta est. Placuit, quoniã sola contraria voluntate sponsalia ferè distrahuntur, certè admittendam ręnuntiationem esse: sed quando non omne quod licet honestum est, ob turpe & auarum animi propositum, pecunia multati sunt.

Impudicitiam marito non iustam caussam diuortij esse, qui sciens duxit impudicam.

III. Ex eodem, in Mario: & Valerio Maximo, lib. 8. cap. 2.

CAIVS Ticinius Minturnensis Fanniam vxorem quam sciebat impudicam, de industria duxerat, vt eam postea hoc nomine repudiando,

aut

aut si prius ipsa diuerteret, quasi vxoris, non sua culpa diuortio facto, lucro suo dos cederet. Diuertit à Ticinio Fannia. Cum dotem à marito repeteret, dicebat C. Mario, nihil se commisisse cur dote priuaretur: etsi non bona gratia diuortium factum est, certe non sua culpa factum esse. nam quòd à marito stupri accusatur: vt id verum esset, quod falsò accusat, tamen illius se temporis quod nuptias præcessisset, à marito argui non posse: quia mores vxoré ducẽdo comprobasset. Prætor ita pronuntiauit, Cùm liqueat Ticinium patrimonio Fanniæ inhiantẽ, impudicæ coniugium expetisse: videri mulierẽ impudicitiæ, sestertio nummo: Ticinium turpis quęstus nomine, summa totius dotis damnari oportere.

Qui iurauit vxorem se nunquam repudiaturum, de adulterij caussa non cogitasse: sed nihilominus iurisiurandi gratiam impetrandam.

IIII. Ex Suetonio Tranquillo, in Tyberio, cap. 35.

TYBERIVS Equiti Romano iurisiurandi gratiam fecit, vxorem vt in stupro generi cõpertam dimitteret, quam se nunquam repudiaturum antea verbis conceptis iurauerat. Nam licet tale iusiurandum facilè contemni posset, quia de hac caussa cogitatum non videretur, qua etiam vxor ad delinquendum impunè prouocatur: & maritus ipse religioni stando, inuitus aduersus legem Iuliam committeret, quæ in adulterio deprehensam retineri vetat: tamen ob iurisiurandi

maieſtatem & auctoritatem, gratiam eius maluit Tyberius impetrari, quàm priuatim incognita cauſſa violari.

DE TVTORIBVS ET CVRATORIBVS DATIS AB HIS QVI IVS dandi habent, & qui & in quibus cauſis ſpecialiter dari poſſunt. Tit. XXXIX.

Qui pro tutore fideiuſſit, is ei contutor dari poteſt.

I. Ex Paulo, lib. 2. decretorum.

ROMANIVS Appulus ab iudice appellauerat, dicens ſe non debuiſſe dari in tutela collegam ei, quem ipſe cùm magiſtratus eſſet, nominaſſet ſuo periculo: ne in vna tutela duplex periculum ſuſtineret. Sed quia illud periculum, quod propter alterius perſonam ad aliquē peruenit, in numerum trium tutelarum non imputatur, & duos etiam reos promittendi, vice mutua fideiuſſores non inutiliter accipi certum eſt: decreuit Imperator Alexander, poſſe quem & fideiuſſorem pro tutore eſſe, & nihilominus tutorem dari. itaque detentus eſt in tutela.

DE ADMINISTRATIONE ET PERICVLO TVTORVM ET curatorum, Tit. XL.

Finitæ tutelæ tempore ſi tutores idonei reperiantur, incipit omne periculum eſſe curatorum, non amplius contutorum aut Magiſtratuum.

I. Ex

I. Ex Paulo, lib. 2. decretorum.

AEMILIVS Dexter magiſtratus ſui tempore datis tutoribus, ceſſauerat in exigẽda ſatiſdatione, deinde quibuſdam excuſatis, à ſequentibus magiſtratib⁹ Dexter tutor adſumtus fuerat. Creatus conueniebatur in ſolidũ duplici ratione: & quia tutor, & quòd, cùm magiſtratus eſſet, & tutores dediſſet, ſatiſdationem non exegiſſet. Ex diuerſo dictum eſt: licet ſatis exactum non eſſet, tamen in diem tutelæ finitæ idoneos fuiſſe tutores, neque ceſſationẽ curatorum obeſſe tutoribus debere. Pronũtiauit Imperator Alexander, Si in diem finitæ tutelæ idonei permãſiſſent tutores, licet ſatis non eſſet exactum curatorum eſſe periculum: ſi minus, tutorũ, poſtea magiſtratuum. hoc eſt, tunc eſſe periculum eius qui ſuſpectum non feciſſet, aut ſatis non exegiſſet, cùm finita tutela non inueniretur idoneus fuiſſe.

DE CVRATORIBVS FVRIOSO ET *ALIIS* EXTRA *MINORES* dandis, Tit. XLI.

Nimia in ſuis bonis negligentia, nimiáque ſenectus, non ſufficiunt vt alicui curator detur.

I. Ex Cicerone, lib. de Senectute.

SOPHOCLES tragœdiarum ſcriptor excellentiſsimus, cùm propter nimium ſtudium, rem familiarem negligere videretur: à filijs in iudicium vocatus eſt, vt illum quaſi deſipientem à re familiari remouerent Iudices: nam eos cu-

rare oportere, ne dum ita malè bona ad se pertinentia tractat, ni ei subueniatur, & se & filios quibus eo mortuo sua debetur hæreditas, ad egestatem deducat. Vetus & translatitium esse, vt etiam patri filij curatores dari, nedum postulari posſint. Verùm pro Sophocle, vt hoc etiam dici potuit, solere interdici prodigo atq; res suas ita profundenti & alienanti, vt nullam inde vtilitatem capiat: non huic etiam qui eas modò negligentius tractet (quod studiosis ferè omnibus accidit) certe ipsemet hoc vno præstitit, ne demens, aut furiosus, aut ætate in delirium venisse videretur, recitata Iudicibus ea fabula videlicet quam in manibus habebat, & proximè scripserat, Oedipo Coloneo. itaque sententijs Iudicum est liberatus.

Intereſſe Reipublicæ, ne bona illuſtrium familiarum luxuria & dilapidatione eorum qui poſſident, amittãtur: ideoq; etiã prodigis interdici, ne egeant.

II. Ex Valerio Maximo, lib. 3. cap. 5.

REIPVBLICAE intereſt, cui nos noſtráque debemus, ne quiſque bonis ſuis malè vtatur: atque vt ea plerunque accepit à parentibus, ita quaſi perpetuæ ſubſtitutioni ac reſtitutioni obnoxia ſint, tranſmittat ad poſteros, vel quò ſalua ſit in vrbe familiarum dignitas, vel vt inopiæ
" ciuium occurratur: cùm nihil ſit periculoſius in
" hominibus mutata ſubito fortuna, nihil ad vili-
" tatem ſui pronius miſeris delicatis: multũ etiam
" contra iuſtitiam neceſsitas valeat. In magnis pa-

trimonijs

trimonijs atque in summa nati dignitate (vt ele- «
gantissimè Quintilianus ait in ijs suis verè decla-
mationibus, quas non ita pridem latinitati re-
stituimus) subito excussi, aut casu aut vitio suo, »
non solùm opibus, sed necessarijs etiã ad victum »
spiritumq́ue vltimum sustinẽdum: non redibunt »
ad opus quotidianum, non suscipient assiduos »
labores. superest vt in latrocinia se prædásque mit- »
tant, aliúdve quid audeant vel propter quod mo »
riantur. Itaque moribus primùm, postea lege 12. »
tabularum, prodigis bonorum suorum admini-
stratio interdicta est. Tandem ijs quoque cœptum
est à Prætoribus vel Præsidibus curator dari ex-
emplo furiosi; istaq́ue ijs formula bonis interdici,
QVANDO TVA BONA PATERNA AVITAQVE NEQVITIA DISPERDIS, LIBEROSQVE TVOS AD EGESTATEM PERDVCIS, OB EAM REM TIBI EA RE COMMERCIOQVE INTERDICO. Hoc modo Q. Fabio Maximo filio Q. Fabij Maximi Allobrogici Q. Pompeius Prætor Vrbanus paternis bonis interdixit: cùm dolenter homines ferrent, pecuniam quæ Fabię gentis splendori seruire deberet, flagitijs & luxuria difijci. Ergo quem nimia patris indulgentia hæredem reliquerat, publica seueritas quodammodo exhæredauit.

Patri furioso aut insipienti filium curatorem dari posse, non etiam prodigo.

III. Ex eodem, lib. 8. cap. 6.

DE patre furioso, etsi à plerisque dubitaretur, quasi

quaſi ſit indecorum patrem à filio regi: tamen reſcriptis Imperatorum facile tandem admiſſum eſt, vt ei filius magis curator detur, ſi ſobrie viuat, atque adeo probus ſit, quàm quilibet extraneus: vt ſcripſerunt libris de officio Proconſulis Paulus & Vlpianus. Patre verò prodigo, filium quidem poſtulare atque impetrare poſſe, vt ei bonis à Prætore interdicatur, exemplo eſt Caius Licinius Hoplomachus. Sed hoc caſu filium patri curatorem dari exemplo furioſi, quia quod ad bona ipſius pertinet, furioſum faciat exitum: non ita admitti placuit: videlicet, quòd in furioſo ob mentis alienationem, latet quodammodo patria maieſtas: in prodigo ſecus: veréque tum eſſet indecorum, patrem ſui compotem, niſi quòd rectè bonis non conſulit, ſub filij præfectura & auctoritate eſſe.

IIII. Ex Dione Nicæo, lib. 57.

TYBERIVS Imperator Senatori cuidam luxurioſè viuenti, tutorem, quaſi ſi pupillus eſſet, dedit.

QVI TESTAMENTA FACERE *POSSINT, ET QVEMADMODVM* teſtamenta fiant, Tit. 42.

In gratiam liberorum, teſtamentum patris inutile conſeruatur.

I. Ex Valerio Maximo, lib. 7. cap. 8.

TVDITANVS certæ ac notæ erat inſaniæ vt qui populo nummos ſpargeret, togam

velut

velut tragicam vestem in foro traheret, multáque alia his consentanea faceret. Is testamentum fecit, quo filium hæredem instituerat. Titus Longus ei sanguine proximus, petijt bona ab intestato, quæ tum illo iure, cum filius emancipatus esset aut ab alio adoptatus, capere non poterat. Cæterum quæ tabulę proferrentur, eas nullius momenti esse, quia ab eo scriptæ essent, quem ad agnatos & gentiles deduci oportuit. Verùm id magis Centumviri, quod scriptum esset in tabulis, quàm quis eas scripsisset: cùm sapientissimé considerassent, secũdum testamentum pronuntiarunt. Nam & hoc iure vtimur, vt patris inter liberos imperfecta voluntas, pro perfecta habeatur. Præterea videri Tuditanum lucido interuallo scripsisse aut dictauisse, quo naturæ, pietatis, diuini humaníque iuris pro patrum omnium voto meminerit. Denique vt testamentum insipientissimus scripserit, quare non sicut à patre sano testamento facto, De inofficioso agitur, hoc colore, quasi non sanæ mentis fuerit, dum filium præterijt: ita à furioso aut demente patre testamento facto, non secundum tabulas possessio peti poterit, hoc colore, quasi sanæ mentis fuerit, qui ex officio pietatis fecit testamentum? nam vtrumque potest fauor liberorum inducere.

Damnatus, statim amittit testamenti factionem.

II. Ex auctore ad Herennium lib. 1. & ex Cicerone lib. 2. de Inuentione.

CVM

CVM Malleolus iudicatus eſſet matrem occidiſſe, eíque ideo damnato ſtatim folliculo lupino os obuolutum eſſet, ac ſoleæ ligneæ pedibus inductæ, ne haberet effugiendi poteſtatem: in carcerem deductus erat, vt ibi eſſet tantiſper, dum culeus in quem coniectus in profluentem deferretur, compararetur. Interea verò quidam eius familiares qui eum antea defendebant, tabulis allatis ac teſtibus adductis, ſcribunt hæredes quos Malleolus iubet eſſe, nec non tabulæ obſignantur. De illo pòſt ſupplicium ſumitur. Inter eos qui hæredes in tabulis ſcripti erant, atque inter fratrem minorem Malleoli, qui eum oppugnauerat, lege agnationis de hæreditate fuit controuerſia. Illi ſe rectè hæredes inſtitutos, quia lex ait, PATERFAMILIAS VTI SVPER FAMILIA PECVNIAVE SVA LEGAVERIT, ITA IVS ESTO: neq; agnatis locum eſſe, niſi ſi defunctus inteſtato deceſſerit. nam & lex ait, SI PATERFAMILIAS INTESTATO MORITVR, FAMILIA PECVNIAQVE EIVS AGNATORVM GENTILIVMQVE ESTO. porro nullam certam legem eſſe, quæ teſtamenti faciendi ijs qui in eo loco ſunt, adimat poteſtatem. imo eò nominatim videri conceſſiſſe, quando vita duntaxat, non etiam bona damnatis adimuntur. nam ideo non adimi, vt de his liberè teſtari poſsint. Agnatus contrà, multa eſſe in legibus prætermita, quæ idcirco prætermita nemo arbitrari debeat, quòd ex cæteris de quibus ſcriptum ſit, intelligi poſsint. nunc vero & ex legibus quæ defunctum

defunctum huiusmodi suppilcio afficiunt, QVI PARENTEM NECASSE IVDICATVS ERIT, IS OBVOLVTVS ET OBLIGATVS CORIO, DEIICIATVR IN PROFLVENTEM: & ex ijs quæ ad testamenti faciendi potestatem pertinent, quibus, Si quis furiosus sit, agnatûm gentiliúmque in eo pecuniáque eius potestas est: facile colligi potest, multò magis damnato, quàm furioso testamenti factionem ademtam. Quid denique si protinus de Malleolo parricidarum more sumtum esset supplicium? an testari potuisset is, qui ipsa damnatione & ciuis, & liber, & paterfamilias iure Quiritium esse desijsset? nec igitur & is qui ad supplicium seruatur. Quem vero magis furiosum, minúsve sui compotem, quàm qué, parentem occidendo, iura omnía violasse, omnem humanitatis sensum exuisse certum est? Atqui damnatis bona non adimi, non vt si de his legasint, adhuc aliquis eorum status post damnationem esse intelligatur: sed ne si agnatis publicatione auferantur, nocentium pœna ad innocentes perueniat. Pronuntiatum est (vt ego quidem interpretor) Malleolum videri intestato decessisse.

DE IIS QVAE IN TESTAMENTO *DELENTVR, INDVCVNTVR* vel inscribuntur, Tit. 43.

Ex immensa quantitate comprahendi, quid testator inducere, quid inscribere voluerit.

I. Ex

I. Ex Fabio Quintiliano, lib. 7. cap. 7.

MVLTA oriri poſſunt, quæ pro bono & æquo ſint æſtimanda: ideóque huiuſmodi varietatem viri boni arbitrio dirimi oportet: qualia ſunt, cùm in teſtamentis accidit, vt nihil ſcriptum ſit, & voluntas manifeſta ſit: vel quod huic contrarium eſt, ſcriptum ſit, quod appareat teſtatorem noluiſſe. Id verò aſſequimur aut ex vicinis ſcripturis, aut ex conſuetudine patrisfamilias, vel regionis aut cæterorum legatorum contemplatione, aut ex magnitudine eius pecuniæ, poſitione patrimonij, mediocritate facultatum quas teſtator reliquit. Sed & mens patrisfamilias ex legatarij dignitate, charitate & neceſsitudine percipitur: vt in hoc iudicio temporibus Domitiani Auguſti obſeruatum eſt. Nam qui SESTERTIVM NVMMVM QVINQVE MILLIA legauerat, quia cùm emendaret teſtamentum, ſublatis ſeſtertijs numis, ARGENTI PONDO repoſuiſſet: QVINQVE MILLIA ſcriptum reliquiſſet: peterentur argenti pondo quinq; millia: iudicatum eſt teſtatorem quinq; pondo duntaxat dari voluiſſe, non etiam quinque millia pondo: atque illud verbum, MILLIA, inconſultò reliquiſſe: quia ille argenti legati modus & inauditus erat, & incredibilis.

In teſtamentis re dubia & obſcura, videri quod inductum ſit, hoc perimi duntaxat: excepta libertatis cauſſa, cætera valere.

II. Ex Marcello, lib. 29. Digeſtorum.

Pudente

PVDENTE & Pollione Consulibus, in cognitione Antonini Augusti hæc controuersia mota est: Valerius Nepos Viuium Zenonem & Leonem hæredes instituerat: ijsdem etiam multa prælegauerat: manumiserat quosdam, & alijs quoque legata dederat. Postea cùm hæredum vniúsque serui quem liberum esse iusserat nomina induxisset, neque essent qui ab intestato hæredes esse possent, bona vt caduca Fisci Aduocati vindicabant. Certè ab Imperatore pronuntiatum est, hæreditatem ad eos qui scripti fuerant, & quorum nomina Valerius induxisset, pertinere non posse: cæterum vt eam Aduocati fisci apud suos iudices peterent, Procuratorem Fisci aut Rationalem, si caducam esse intenderent. Sed de legatis dubitatum est, & maxime de ijs legatis quæ adscripta erãt Zenoni & Leoni, quorum institutio fuerat inducta. Dicebat Calphurn. Longinus Aduocatus fisci, non posse vllũ testamentum valere, quod hæredem non haberet: neque vt id valeret testatorem voluisse, qui nomina hæredum induxerit. imò satis se constituturum putasse, si intestati exitum faceret. omnino certe prælegata dari noluisse: qui quos hæredes esse noluit, multo minus legatarios esse voluerit. Zeno contrà & Cornelius Priscianus Aduocatus Leonis dicebant, Valerium Nepotem nomina hæredum tantùm induxisse. id iure ipso perimi duntaxat, quod inductum sit. Cùm omnem scripturam testamenti defunctus non cancellauerit, sed eam partem duntaxat qua eos hæredes instituerat,

tuerat, non qua ijſdem aliјſque legauerat: veriſimilius eſſe, voluiſſe quidem defunctum inteſtatò decedere: ſed tamen quæ legaſſet, ea quocunque modo præſtari: idcóque magis quæ ipſis hæredibus legauiſſet: quia id duntaxat ademerit, quod induxiſſet. Sane in re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus iuſtum eſſe quàm tutum: Quid enim ſi caſu, neque conſultò induxerit? cuius rei ſi deficit probatio, at ſuſpicio manet. Antoninus Cæſar remotis omnibus cùm deliberaſſet, & admitti rurſus eoſdem iuſſiſſet, ita ſecundum Marcelli ſententiam pronunciauit: Cauſſa præſens admittere videtur humaniorem interpretationem, vt ea duntaxat exiſtimemus Nepotem irrita eſſe voluiſſe, quæ induxit. cæterum eum nihilominus liberum fore, cuius nomen induxerit.

DE HAEREDIBVS INSTITVENDIS, TIT. XLIIII.

Extraneus ideo à patre inſtitutus, quòd filium ſuum ſuperſtitem habere ſe non crederet: ex illo teſtamento hæres eſſe non poſſ, ſi reuerſus filius hæreditatem petat.

I. Ex Cicerone, lib. i. de Oratore: & Valerio Maximo, lib. 7. cap. 7.

FILIIFAMILIAS militis de morte cùm domum falſus ab exercitu nuntius aduenisſet: pater eius re credita, teſtamentum mutauit, alium,

alium, quem ei visum esset, fecit hæredem: ac paulo post ipse mortuus est. Cùm filius miles domum reuenisset, atque hæreditatem lege aduersus scriptum hæredem vindicaret, res delata est ad Centumviros. Possessor se lege 12. tabularum tuebatur, VTI QVISQVE REI SVAE LEGASSIT, ITA IVS ESTO. non alium hæredem esse posse, quàm eum quem testator lingua nuncupasset. Testatorem nulla præfatione vsum, Quando de morte filij rumor ad me allatus « est, aut alia huiusmodi. neque necesse habuisse « hunc filium nominatim exhæredare, quem ne habere quidem, inque rebus humanis esse existimauerit. At contrà pro petitore dicebatur, fieri non posse vt paternorum bonorum exhæres sit filius, quem pater testamento neque hæredem neque exhæredem scripsisset nominatim. Si falsus rumor nocere non soleat, se voluntate iudicióque patris non defici: quia si de morte filij non accepisset, vtique prius testamentum non mutasset. itaque extraneum nisi contra defuncti voluntatem, ac votum naturale, hæredem esse posse. nec simile silentium, cùm filium suum pater vita decessisse existimat, in patre etiam milite, vicem exhæredationis suscipere. Omnibus nō solum consilijs, sed etiam sententijs filius superior discessit, cùm iure tum æquitate.

Vt is etiam hæres sit qui scriptus non est, hæresq́; non sit is qui scriptus est, ex volũtate testatoris, quæ vel ex falsa caussa præsumitur, potißimum metiri nos

 oportet.

oportet. ſane hoc caſu legata conſeruantur.

II. Ex Paulo, Imperialium ſententiarum in cognitionibus prolatarum ex libris ſex primo, ſeu Decretorum ſecundo.

PACTVMEIVS Androſthenes Pactumeiam Magnam filiam Pactumeij Magni, ex aſſe hæredem inſtituerat, eíque patrem eius ſubſtituerat. Pactumeio Magno occiſo, & rumore perlato quaſi filia quoque eius mortua eſſet, mutauit teſtamentum, Nouiúmque Rufum hæredem inſtituit, hac præfatione, Quia hæredes quos volui
" mihi contingere, habere non potui, Nouius Ru-
" fus hæres eſto. Pactumeia Magna ſupplicauit Imperatores Seuerum & Antoninum. cognitio ſuſcepta eſt. Rufus allegabat, falſum modum aut falſam demonſtrationem neque legatario, neque fideicommiſſario, neque hæredi inſtituto nocere: ideo quia ratio legandi legato non cohæret. quare licet Pactumeia mortua non ſit, iure tamen ſe hæredem eſſe. Præterea ſi aliud dici poſsit, propter rationem naturalem, in filio aut filia ideo præteritis, quòd à patre ignorarentur: non ideo in extraneis id admitti oportere. Pactumeiam, filiam defuncti non fuiſſe. Pro Magna dicebatur, ex præfatione apparere, non alias defunctum, Nouium hæredem relicturum fuiſſe, quàm Pactumeiam deceſsiſſe crediſſet. Igitur quamuis generaliter falſus modus non noceat: attamen tum nocere, cùm de contraria teſtatoris voluntate apparet. nunc autem manifeſtum

nifestum esse, Androsthenem ideo iudiciũ suum in Nouium contulisse, quia putaret habere se non posse Pactumeiam hæredẽ. Cæterùm quòd filia defuncti non sit, ideo præfationem hanc apponi necessarium fuisse. verùm in libris, perpetuo inesse. quare nunquam eis parentum ignorantiam aut falsam opinionem obesse: quibus etiam ignorantibus neque filij, neque in potestate esse desinunt. nunc quod in caussa liberorum operatur tacita voluntas, id expressam hanc pręfationem & protestationem in caussa Pactumeiæ Magnæ operari. Seuerus Imperator putauit Pactumeiæ ex voluntate testatoris subueniendum. igitur quasi hoc casu reuera prius testamentum per posterius non rumpatur: aut adeo magis hæc institutio Nouij ob pręfationem quæ apposita est, sic accipi debere videatur, ac si testator ita scripsisset, Si Pactumeia hæres non e- »
rit, Rufus hæres esto: pronuntiauit hæredita- »
tem ad Magnam pertinere. Sed legata ex posteriore testamento eam præstare debere, perinde atque si in posterioribus tabulis ipsa fuisset hæres scripta.

Siue re siue consilio pater filium, in potestate constitutum præterierit, testamentũ nullum est, quare & legata & libertates reuocantur. l. Papinianus. §. si ex causs. ff. de inofficioso test. l. 3. ff. de condict. indeb. l. vxorem. ff. de man. test. At testamentum matris de inoffic. argui debuit. l. si instituta. §. vlt. ff. de inofficioso test. in quo si filius inconsultò sit præteritus, & legata & libertates conseruantur.

III. Ex Paulo, de septemuiralibus iudicijs.

CVM mater militem filium falso audisset decessisse, & testamento hæredes alios instituisset: Diuus Hadrianus decreuit hæreditatem ad filium pertinere, ita vt libertates & legata præstentur: quia abesset ab ea consilium impietatis, cui filium instituere aut exhæredare non fuit alioqui ex iure antiquo necessarium.

DE VVLGARI ET PVPILLARI substitutione. Titulus 45.

In conditione, Si posthumus moriatur, inest ea quoq;, Si non nascatur.

I. Ex Cicerone, lib. 2. de inuentio. lib. 1. & 2. de oratore, in Bruto, in Topicis, & in oratione pro Cæcina.

„ MANIVS Curius a Coponio hęres institutus erat his verbis, Si mihi post mortẽ
„ meam in decẽ mensibus proximis filius nat⁹ erit,
„ hęres esto. Quòd si is antequam in tutelam suam
„ veniat, moriatur: tunc in locum partemq; eius
„ M. Curius hæres esto. Cùm neq; natus esset posthumus, Curius secundus hæres, apud Centumviros & iudicante Manilio, petebat hęreditatem. Q. Mutius Scæuola pro M. Coponio agnato, negabat nisi posthumus & natus & antequam in suam tutelam veniret, mortuus esset, hæredem eum esse posse, qui esset secundum posthumum & natum & mortuum hæres institutus: itaq; M. Curium hæredem esse non posse, quia conditio-

ne deficitur. At contrà L. Craſſus dicebat, voluntatem non verba valere oportere. nam ſi voluntes ſententiæq; negligantur, quanta in verbis futura ſit captio, cùm in cęteris rebus, tum in teſtamentis? Ex bono & æquo, non ex callido verſutoq́; iure res iudicari debere. ſcriptum ſequi, calumniatoris eſſe: boni vero iudicis, voluntatem ſcriptoris auctoritatemq́; defendere. nũc Scipionem ex vno ſcalmo captionis, Centumvirale iudicium hęreditatis efficere. Quid enim hoc ſubtilitatis habet, excogitare naſci quẽ prius oportere, quàm emori? Hunc teſtatorẽ qui ſub hac conditione Curium hęredẽ eſſe voluerit, Si poſthumus moriatur, hoc voluiſſe, hoc ſenſiſſe quoquo modo filius non eſſet qui in ſuã tutelam veniret, ſiue nõ natus, ſiue ante mortuus, Curius hęres vt eſſet. Nam qui voluerit hæredẽ eſſe ſi alius moriatur, multo magis ad ſubſtitutionẽ vocaſſe, ſi non naſcatur: quẽadmodũ ex aduerſo, qui eum inſtituit, qui poſt mortẽ ſuam naſceretur, multo magis hæredẽ eum ſibi eſſe voluit, ſi ante mortẽ ſuã naſcatur. Mutius referebat, inutile & captioſum eſſe Populo, quod ſcriptum eſſet negligi: opinione quæri voluntates, atq; interpretationẽ diſertorum ſcripta ſimplicium hominum peruertere. Vbi verba clara & manifeſta ſunt, tutiſsimam eam eſſe interpretationem, quæ ex verbis colligi poſsit. In teſtamentis certè, voluntates defunctorum cõditiones regere. at id eos profecto voluiſſe, quod locuti ſunt. Varia eſſe, Si poſthumus non naſcatur, & Si poſthumus moriatur. item referre

an pubes an impubes moriatur. itaq; quod in vnam caussam disposuit testator, ad aliam trahi non oportere. Maluisse defunctum, quo casu posthumus non nascatur, sibi agnatos & proximos hæredes esse: si nascatur & moriatur, maluisse Curium hæredem esse: quòd ita fortasse vitæ filij sui tutius consulere se existimaret. eius vitæ proximos non insidiaturos, ad quos nihil morte perueniret: de Curio nihil tale cogitasse. Vt in manifestis probationibus hæredi scripto fauendum est, quia fauorabilis sit defunctorum voluntas: ita in rebus dubijs humaniorem esse interpretationem, quæ sit pro legitimis hæredibus, quos lex ad succesionem vocat, quorum post liberos prima omnino caussa & ratio est. An non & aliud futurum sit, si non posthumus sed posthuma nasceretur? quid amplius si & filius & filia nati essent, & horum alter solummodo decesisset? diceret Curius conditioni locum esse? Præterea non alia ratione ex formula Galli Aquilij in institutionibus & substitutionibus ita
» scribi solere, Si mihi filius aut filia nascatur, &
» intra quartum decimum annum moriatur, Cu-
» rius hæres esto: quàm quòd variæ hæ scripturæ diuersam voluntatem, vt diuersam significationem habent. quapropter aliud caueri, Si nascatur, & item aliud, Si moriatur. Nam eandem rationem esse vbi Mæuius ex parte, & ex parte posthumus hæredes instituti sunt. tunc enim profecto si posthumus non nascatur, Mæuium solum hæredem fore. nec enim eum qui non sit,

partem

partem facere inter eos qui simul vocantur. sic Curium nec vocari cum posthumo, & nisi si posthumus nascatur & moriatur, non vocari. Veruntamen vicit L. Crassus, ac facile sententiam suam probauit omnibus. quare secundũ Manium Curium pronunciatum est. & ideo Paulus libro singulari de secundis tabulis respondit, Cùm a posthumo ita legetur, Si hæres erit, & non nato post- "
humo substituti adeant: legata eos debere, quæ "
ille, si viueret, debiturus erat. "

Ad substitutos pupillares pertinent & si quæ postea pupillis obuenerint.

II. Ex Cicerone, lib. 2. de inuentione.

QVIDAM pupillum filium suum hæredẽ instituit, & si hæres non esset, aut intro pubertatem moreretur, quosdam substituit. Pupillus hæres patri extitit. pòst item alia bona ei obuenere. deinde verò mortuus est antequã in tutelam suam veniret. De hac hæreditate quæ pupillo aliunde obtigit, inter eos qui patris pupilli hæredes secundi sunt, & inter agnatos pupilli controuersia mota est apud Centumviros. Atqui hæredum secundorum certe possesio fuit. Dicebant ergo agnati suam pecuniam esse, de qua is cuius agnati essent, testatus non sit. pupillum profectò, quia nec posit, testamentum non fecisse: patrem autem secundos hæredes non filio, sed sibi iussisse esse: & siquidem pater filio tabulas scripserit, certè non in hac pecunia scripsisse. igitur prẹter quàm quod patris fuit in testamento, vllius

hæredum esse non posse. Hæredes contrà, suam omnem esse pecuniam, qui testamento patris, hæredes secundi sint. Patrem & sibi & filio testamentum scripsisse, dum is pupillus esset. quare quæ filij fuerint, testamento patris sua fieri necesse esse. Secundos hæredes patrisfamilias, filij quoq; pupilli hæredes esse. alioqui fore, vt vnius pecuniæ plures dissimilibus de causis sint hæredes, alius lege, alius testamento: vt & pupillus pro ea parte intestatus qua de agitur, & testatus pro ea parte quam a patre accepisset, decesserit. atqui vnam fuisse in persona pupilli pecuniam: itaque omnem ad se testamento pertinere. Sed rursus eam agnati, non ideo fateri vnam esse, propterea quòd altera iam erat pupilli aduentitia, cuius hęres non illo in testamento quisquam scriptus sit, SI QVID PVPILLO OBVENISSET. at de altera, patris etiam nunc quidem mortui voluntas plurimum valeat, quæ hanc olim, non illam aduentitiam, mortuo pupillo, suis hæredibus concesserit. ergo diuersæ pecuniæ dissimilibus generibus varios hæredes esse posse. Sed vt pater non solùm sibi, verùm & filio suo impuberi simul testamentum faciat, cùm id moribus introductum sit, videlicet propter patriam potestatem duntaxat, ideoq; & filio exhæredato pupillariter substitui posit: quia pro isto more, hîc apparet defunctum non tam suis bonis quàm impuberis substituisse: & quamuis duæ sint quodammodo hęreditates, quia tamen separari non possunt, propterea quòd vnum sit testamentum

patris

patris & filij: merito arbitror secundum hæredes pronuntiatum esse.

DE CONDITIONIBVS INSTItutionum. Titulus 46.

Conditio iurisiurandi remittitur: sed non vt alijs omnibus facilimè, ita filio, seruo, vel liberto. caterùm proscripto legari non posse.

I. Ex Cicerone, Verrina III.

P. TREBONIVS complures fecerat hæredes: in his suum libertũ. is Aulũ Trebonium fratrem habuerat proscriptũ. ei cum cautũ esse vellet, scripserat in testamento, vt hæredes iurarent se curaturos, vt ex sua cuiusque parte ne minus quàm dimidium ad Trebonium fratrẽ perueniret. Libert⁹ iurauit. cæteri hæredes ad C. Verrem Prætorem adierunt. (tunc enim adire necesse fuit: nec in perpetuum a Prætore, sed per singulos hoc iusiurandum remittebatur) docent non oportere se iurare facturos esse, quod contra legem Corneliam esset, quæ proscriptum iuuare vetat. impetrant vt ne iurent. dat reis possessionem: & recte. Nam omnino hæ conditiones remitti, quin etiam pro non scriptis haberi solent, quæ contra leges, aut ea quæ legis vicem obtinent, aut contra bonos mores scriptæ sunt, non aliter atq; si impossibiles fuerint, neq; in hominum potestate. Prĝterea remisso iureiurando, ita nihilominus hæres facere tenetur de quo rogatus

gatus est, si non sit vetitum & improbum. At C. Verres liberto malè possessionem ademit, eo quòd iurasset secundum voluntatem patroni. quia, sicut alijs facilè, ita seruo vel liberto conditio iurisiurandi non remittitur: admissúmque est vt ijs vel tacitè fidem accommodasse non noceat (quod etiam in filio dicitur) quia parendi necessitatem habent. Denique & si placeat remitti conditionem quæ ad fraudem legis respiceret, tamen si forte cautum vel iuratum est, in ipsa exactione libertus exceptione tutus esse potuit, minúsque periurium metuere, quàm pœnam legum: quibus id etiam duntaxat adimitur quod incapaci restitutum est, non etiam ea pars, pro qua non rogatus esset hæres.

DE SENATVSCONSVLTO Silaniano & Claudiano, quorum testamenta nec aperiantur.

Tit. XLVII.

Si dominus a seruis suis interfectus esse appareat, de tota familia supplicium sumi.

I. Ex Cornelio Tacito, Annalium lib. 14.

PRAEFECTVM vrbis Pedanium Secundum seruus eius interfecerat, seu negata libertate, cui precium pepigerat. seu quòd infensus (& hoc verius esse dicebatur) exoleti amore, dominum æmulum ferre non potuisset. Ex vetere more, de omni familia quæ sub eodem tecto mansitauerat, nec seruiles insidias aut prohibuisset, aut prodi-

prodidisset, hęredes suppliciū sumi postulabant. Vociferabatur id esse iniquissimum, pro vnius noxa quadringētos interfici: concursúque plebs ad seditionem vsque tot in tanta familia seruos suo cœtu protegebat. Nihilominus in Senatu res acta est: nec desuere qui hanc ex animo sententiam dicerent, non quòd imperitæ multitudini obtemperare vellent: nimis crudelem ac inhumanam legem esse (nisi eo consilio tanta immanitas pœne denūtiata est, ne ad eam vnquam perueniretur) quę ab vno seruorum domino interfecto, seruos omnes qui sub eodem tecto fuissent, necari iubet. etenim dispiciendum qui conscij & noxij fuerint: quia insontes occidere, quod nulla lege liceat, sit omnino crudelissimum: at vero penitus inhumanum, id si vel numeri seruorum, vel ætatis vel sexus nulla habita ratione fiat, denique si nec ipsius perpensa delicti caussa & occasione, iure an iniuria quis occisus esse videatur. hîc enim suas interfectorem vltum iniurias. Verùm ex aduerso C. Cassius censuit, nihil de iure antiquo mutari oportere. Nunquã alia ratione quenquam in domo sua tutum esse posse, cùm Pedanium nec dignitas nec numerus seruorum (qui quadringenti fuere) nec rigor antiqui Senatusconsulti, a suis domi suæ protexerit. Nullam caussam concedendam esse inter dominum & seruum, qua dominus a seruo iure occisus habeatur. Ferè inuisa imperia, & odium seruitutis commune esse, abijsse in prouerbium, Totidem hostes, quot seruos. ideóque suspecta semper

per ingenia seruorum maioribus fuisse: quæ cùm non nisi metu cõtineri posint, idcirco illud etiã olim placuisse: & nuper rursus factum Senatusconsultum vltioni iuxta & securitati, vt si quis a suis seruis interfectus esset, ij quoque qui testamento manumissi sub eodem tecto habitassent, inter seruos supplicia penderent. Etenim fieri non posse, vt inter seruos & domesticos vnus ita domini interficiendi consilium tacitè inierit, quin ab aliquo præsentiri potuerit. Multa sceleris indicia præuenire seruos, si prodant. cæterum nõ prodidisse, aut ne auxilium quidem tulisse domino, vt æquè capitale sit omnibus, meritò institutum, vt in com̃uni metu & æquali periculo, saluti dominorum inuigilent: quasi suarum inuicem actionum, verborum, & cogitationum quæsitores dati: (vt de fabricensibus a Theodosio & Valentiniano postea rescriptum est.) Quod si qui sint in rerũ natura magis, quàm quia id sciri posit, innocentes: non minus iniquum esse in eos quoque animaduertere, quàm cùm fuso exercitu decimus quisque fuste percutitur, etiam strenui sortiuntur. Securitatis publicæ caussa, ab indemnatis & liberis hominibus nonnunquam vel semota appellatione, vel inconsulto Principe supplicium exigi: priuatæ vero securitatis, vnde illa publica nascitur, cur non vel de seruis innoxijs iure licuerit? Iam & in liberos damnatorum sæpissime animaduersum: nec iniquum esse iudicatũ est, vt pœnis filiorum, parentum scelera luerentur: videlicet vt charitas

liberorum

liberorum amiciores parentes Reip. redderet: & magis eorum pro affectu naturali, quàm sui metu & formidine a proditione arcerentur. Si id minus æquum esse apparebit, habere aliquid iniusti omne magnum exemplum, quod cōtra singulos vtilitate publica rependitur. Itaq; placuit supplicium decerni. & cùm obtemperari non posset, conglobata multitudine saxa ac faces minitante: Nero Imperator Populum edicto increpuit: atq; omne inter quod damnati ad pœnam ducebantur, militaribus præsidijs sepsit. Hæc igitur placuere, si dominus a seruis suis occisus domi diceretur. quòd si ab alio, tam seueris legibus Romani vsi non sunt. Quæstionem modò de omnibus seruis haberi placuit: sed & de his (vt ab Adriano constitutum est) qui non solùm sub eodem tecto fuissent: verùm etiam qui per vicinitatem sentire potuissent, vt AElius Spartianus ait.

DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS. Tit. 48.

In dubio fit pro hærede interpretatio: & minus esse in legato, vbi hæredis electio est.

I. Ex auctore ad Herennium, lib. 1. & ex Cicerone lib. 2 de inuentione.

PATERFAMILIAS cùm filium hęredem faceret, testamento vasa argentea vxori legauit, hoc modo: Hæres meus vxori meæ vasorum «
argenteorum pondo centum, quæ volet, dato. «
Post

Poſt mortem eius, vaſa pretioſa & cælata magnificè, petebat à filio mater. ille, quæ ipſe vellet, debere ſe dicebat. Nihil erat in teſtamento, quo ex ſuperiore aut inferiore ſcriptura, conſuetudine patrisfamilias, animo, vita, dictis ac factis, aut ex ijs rebus quæ perſonis attributæ ſunt, defuncti voluntas colligi ac conſiderari poſſet. Nam & chariſsimi ſunt vtrique, filius, & vxor. Itaque tota erat in iure controuerſia. In ijs enim quæ extra teſtamentum incurrunt, poſſunt res ex bono & æquo interpretationem capere: ea vero quæ ex ipſo teſtamento ſoliſque verbis teſtatoris oriuntur, neceſſe eſt ſecundum ſcripti iuris rationem expediri. Ergo pro matre id afferebatur, nihil attinuiſſe adſcribi, QVAE VOLET, ſi defunctus hæredis voluntati electionem permiſiſſet. eo enim non adſcripto, nihil ineſſe dubitationis, quin hæres, quæ ipſe vellet, daret. Amentiæ igitur fuiſſe, cùm hæredi vellet cauere, id ſcribere, quo non adſcripto, nihilominus hæredi caueretur. Item verba ſemper ad id magis propriè referri, quod proximius eſt: alioqui maritum hoc modo ſcripturum fuiſſe,
» Hæres meus
» vaſorum argenteorum quæ volet centum pon-
» do vxori meæ dato. vel ſic, Vxori meæ centum
» pondo vaſorum argenteorum hæres meus quæ
» volet dato.
Denique honeſtius eſſe, matri optionem competere, quàm eam veluti pendére ex filij nutu atque arbitrio. Pro filio contrà dicebatur, quæ inſunt, ea ſæpe nihilominus apponi, neque tamen obeſſe: imò in hac cauſſa ſi non expreſsiſſet

presſiſſet hoc QVAE VOLET, matrem petituram fuiſſe vaſa quæ nec vulgariter, neque etiam magnificè cælata eſſent. nunc ſufficere ſi ab hærede quantitas ponderis obſeruabitur, non etiam manupretium, quod materiam ſæpiſsime ſuperat. Poſtremò ſi quid ambiguum ſit in legato, quia non ſunt in onerandis hæredibus faciles voluntates, fauorabiliorem eſſe cauſſam hæredis quàm legatariorum: ideóque & quod minus eſt amplecti. at cùm hæredis, promiſſoríſue electio eſt, minus ſemper eſſe intelligitur in obligatione. Quare ita pronuntiatum eſſe conijcimus, videri optionem in hæredis poteſtate eſſe.

Non debent obſeruari defunctorum voluntates quæ inepta & inhumanæ ſunt.

II. Ex Athenæo, lib. 4. cap. 17.

GLADIATORVM ſpectacula magno in vſu fuere antea Romanis (quam Nicolaus Damaſcenus ait a Tyrrhenis acceptam cõſuetudinem) adeo vt non in conuentibus ſolùm, ludis ac theatris ea Populo exhiberẽt, verum etiam amicis in priuatis epulis. quòd ſi alter alterum iugulaſſet, quaſi magnopere delectati applaudebant. Hæc quanquam peſsima conſuetudo poſtea ſublata eſt, interea tamen cùm quidam ſcripſiſſet in teſtamẽto, vt formoſiſsimæ duæ mulieres quas in dominio habebat: alius item, vt impuberes coram Populo digladiaturi committerentur: Populus, editis his gladiatoribus, tantam iniuriam

atque inhumanitatem non æquo animo tulit: quinimò hanc testantium voluntatem irritam esse voluit, iussit.

In dubio minor summa legata esse intelligitur: nisi aliud ex opibus & dignitate defuncti, legatarijq́ considerari possit.

II. Ex Suetonio, in Galba cap. 5.

LIVIA Augusta hærede Tyberio, HS. QVIN. hac nota, Sergio Galbæ legauerat. Sergius petebat ex testamento HS. quingenties. Hæres ex aduerso allegabat quinquaginta duntaxat legato contineri. nam ex notata atque imperfecta summa non perscripta, quod minus est accipiendum esse. Pro Galba hoc afferebatur, quod dicimus, huiusmodi legata ex modò facultatum quas testatrix reliquisset, ex legatarij dignitate, charitate & necessitudine considerari: quemadmodum & in dotis repromissione, non demonstrata re & quantitate, quin etiam arbitrio detracto, & patre & marito digna dos dicta esse intelligitur. Vicit Tyberij si non caussa, certè auctoritas. ita enim mihi placet locum illum potius interpretari, quàm vt Tyberium pro hac nota L. hanc D. fecisse arguamus.

Legata ambitiosa, inutilia esse.

III. Ex eodem, in Domitiano cap. 9.

RVSCIVS Cepio testamento cauerat, quotannis Curiam ingredientibus Senatoribus certam summam viritim ab hærede suo dari. Cùm posce-

poſcerent legatum annuum Senatores: hæres autẽ hoc nomine recuſaret, quòd ei turpe & ambitioſum hoc legatũ eſſe videretur. nam & quod ciuitati relictum eſt, legibus peti non ſolere, ſi aliam ob cauſam, quàm ad ornatum relictum eſt. Minimè enim tutum eſſe, ne de communi, tantóve ciuium ordine priuatus vnus ac locuples benè mereri videatur. ideóque largitiones in vulgus, ac nimiam quoque popularitatem multis olim exitio fuiſſe: certè ſuſpectam ſemper eſſe oportere. Et hac quoque ratione, ſi vt venatio aut ſpectacula edantur legatum ſit, vetitum eſſe in eas cauſſas erogari. denique vllo alio quàm bono publico, Senatores vnquam in Curiã venire, id verò omnibus modis eſſe indigniſsimum. His motus Imperator, legatum irritum fecit.

Demonſtratio facta apud quem pecunia accipiatur, hæredem grauat, non eum apud quem pecunia eſt.

IIII. Ex Paulo, lib. 2. decretorum.

IVLIANVS Seuerus decedens, inſtitutis quibuſdam hæredibus, alumno ſuo quinquaginta legauerat: eáque à Iulio Mauro colono ſuo, ex penſionibus fundi ab eo debitis, præſtari voluit: eidémque Mauro quædam legauerat. Cùm de hæreditate fiſcus quæſtionem mouiſſet: iuſſu Procuratoris Cæſaris Maurus pecuniam interim fiſco ſoluerat. poſtea hæres ſcriptus obtinuerat aduerſus fiſcum. Alumno autem mortuo, hęres eius fideicommiſſum ab hærede Mauri pete-

bat. Nam Iulianum a Mauro ideo quòd ei legasset, & aliquid emolumenti Iulius ex testamento defuncti caperet, quinquaginta legauisse. præterea Maurum debitorem fuisse. atqui ex rescripto diui Pij ab omni debitore fideicommissum relinqui posse. Placuit tamen imperatori Alexandro, non videri eius fideicommissum: sed patremfamilias in hoc legato demonstrare potius hæredibus voluisse, vnde quinquaginta sine incomodo rei familiaris contrahere possent. nam Iulianum inprimis quinquaginta simpliciter legauisse: itaque ab hærede legauisse. & quod postea de præstatione adiecerit, solam facultatem commodioris solutionis respicere. præterea a debitore non legari nisi sit ei liberatio legata. & ideo hæredes Seueri hæc præstare debere: cæterum a fisco solutum posse condici.

Appellatione reliquorum, quæ in condito paterfamilias habuit, non veniunt.

VI. Ex eodem, ibidem.

OSIDIVS quidam instituta filia Valeriana hærede, actori suo Antiocho data libertate, prædia certa & peculium & reliqua legauerat, tam sua quàm colonorum. Legatarius proferebat se manu patrisfamilias reliquatum, tam suo quàm colonorum nomine. præterea & eadem scriptura patrisfamilias adiectum esse in hunc modum, ITEM QVORVM RATIONEM REDDERE DEBEAT, scilicet quæ in condito habuerat

pater-

paterfamilias, FRVMENTI, VINI ET CAETERARVM RERVM: quæ & ipsa libertus petebat, & ex reliquis esse dicebat. idemq; sensisse Osidium his verbis, QVORVM RATIONEM REDDERE DEBEAT: & apud Præsidem obtinuerat. Hæres cùm appellasset, dicebat de reliquis nullam se mouere controuersiam. diuersam autem esse causam eorum, quæ in condito essent: quia reliquorum appellatione ea videantur legata, quæ in eadem caussa manserunt. itaque nec pecuniam a colonis exactam, & in Kalendarium versam, aut cuius cautio interposita est, aut quæ omnia denique in rem domini versa sunt, reliquis non contineri neque colonorum neque actorum, tametsi nominatim actores ipsos ac colonos etiam paterfamilias legauisset. Imperator interrogauit partem legatarij quærendi caussa: Pone (inquit) in condito centies aureorum esse, quæ in vsum sumi solerent: diceres, totum quod esset relictum in arca, deberi? Et placuit recte appellasse. A parte legatarij suggestum est, quædam a colonis post mortem patrisfamilias exacta. Respondit, hoc, quod post mortem exactum fuisset, reddendum esse legatario.

Non censetur inesse in maiori minor summa, neq; legatum pecuniæ repetitum, vbi legatariorum diuersa persona est, licet vni per alterũ acquiratur.

VII. Ex eodem.

PAVLA Callinico ex parte hærede instituto, filiæ eiusdem Iuuentianæ, cùm in familia nupsis-

ſet, decem teſtamento legauit. deinde poſt tempus codicillis factis, centum eidem Callinico reliquerat, non adiecto, HOC AMPLIVS. Dicebatur, illa decem perinde eſſe, atque ſi Callinico relicta eſſent. itaque poſteriore legato contineri: præſertim quia Paula non adieciſſet, HOC AMPLIVS. Imperator pronunciauit vtramque ſummam deberi: maximè cùm in codicillis, filiæ Callinici nihil legatum fuiſſet, vnde videretur filiæ contemplatione hoc etiam Callinico relictum.

DE ADIMENDIS VEL TRANSFERENDIS LEGATIS VEL fideicommiſsis. Tit. 47.

Inter liberos, ademtio humaniter interpretatur.

I. Ex Paulo, lib. 2. decretorum tit. de legatis lib. 3.

POMPEIVS Hermippus filium Hermippum ex dodrante, filiam Titianam ex quadrante hæredes inſtituerat, & prædia certa ſingulis prælegauerat: preterea ſi ſine liberis Hermippus moreretur, aliam poſſeſsionẽ filiæ dari iuſſerat. Poſt teſtamentum factis codicillis, certa filiæ prædia dederat: eámque his contentam eſſe voluit pro omni hæreditate, & his quæ in teſtamento reliquerat. Hermippi bona ad fiſcum peruenerant. Titiana ſoror fideicommiſſum petebat. Quærebatur, vtrum pro hæreditate tantùm, an & pro hi-

his quæ post mortem frater rogatus erat restituere, pater eam voluisset accipere ea quæ codicillis reliquerat. Paulo, ab omni voluntate recessum videbatur. sed placuit humanius interpretari, ea sola quæ viuente fratre acceptura erat, ademta videri: non etiam quæ post mortem eius reliquerat, si sine liberis decederet. & ita Imperator Alexander pronunciauit.

DE IIS QVAE VT INDIGNIS AVFERVNTVR.

Tit. 48.

Qui se castrauerit, hunc indignum esse qui quid testamento capiat: & si spoliatus sit, hunc minimè restituendum.

I. Ex Valerio Maximo, lib. 7. cap. 7.

GENVTIVS quidam sibi ipsi genitalia membra amputauerat. postea à Neuiano Surdinij liberto hæres institutus, bonorũ possessioné secundum tabulas testamenti à Cn. Oreste Prætore acceperat. eiectus à Surdinio, restitui se in bona Neuiani ab eodem Prætore vrbis impetrauerat. Surdinius Aemiliũ Lepidum Mamercũ Consulé appellauit, ideò quia videretur obscœna Genutij persona, qui neq; virorum neq; mulierum numero haberi posset: atq; per infame esset, huius mõstri, tertij vé generis hominũ inquinata voce, sub specie petiti iuris, tribunalia polui. Istiusmodi Genutium esse (secundum quod à Surdinio dicebatur) cui vis, cui iniuria nun-

quam allata esse dici posit: qui nullam actionem iniuriarum, nullum interdictum habeat. Equidem si olim eunuchi in pretio fuerint, anteáue dominis permissum fuerit seruos suos castrare, quos occidere poterant: in liberum quidem id commisisse, perpetuo capitale fuit. quæ istius indignatio est, qui tale quid in se commiserit? & si tali odio habitus est is qui libertate neglecta (quę res inæstimabilis habetur) se ad precium participandum venire passus est, vt in seruitute retineretur: quid de eo statui oportet, qui vt ne quidem pro homine sit, effecit? qui sub quo genere in iudicio sistat, comprehendi nequit? Ergo Aemilius Lepidus consulto Senatu pronuntiauit, Genutium videri ius actionemq́; restitutionis in iure postulandæ non habuisse, minúsq; impetrare debuisse: itaque iure appellatum.

Lenonis persona turpis est: itaque testamenti factionem non habet: & si velit lege agere coram Prætore, non admittendus est.

II. Ex eodem.

QVIDAM Vetilium lenonem hæredem instituerat. is cùm Q. Metellum Prætorem Vrbanum adijsset, bonorum possesionem secundum tabulas non impetrauit. Etenim fori ac lupanaris separandam rationem esse. vt in altero casti, probi & honesti viri non admittuntur: sic in iure, turpes ac intestabiles personas admitti non oportere. Præterea nec factum testatoris comprobandum esse, neque eas tabulas pro iustis haberi

beri conuenire, quibus veluti in stabulum contaminatum fortunas suas proiecerit, effuderit. Interesse Reip. vt honestæ personæ & verbis honestis vocentur ad hæreditates. Porro ius absque iniuria huic denegari posse, qui se ab omni honesto vitę genere segregauerit. Iuris ciuilis vnam ac præcipuam partem esse, Honeste viuere.

Qui tacitè fidem accommodauit cautione interposita: etsi probet testatorem in omni sua voluntate non perseuerasse, poterit tamen ex cautione sua conueniri. A iudice qui ex rescripto iudicauerit, nihilominus appellari posse.

III. Ex Paulo, lib. 2. decret. tit. de iure fisci.

STATIVS Florus testamento scripto, hęredis sui Pompeij tacitę fidei cōmiserat, vt non capiēti fundum & certę pecuniæ quantitatē daret: & eo nomine cautionem a Pompeio exigi curauerat, se restituturum ea quæ illi per præceptionem dederat. stipulatus est incapax, spopondit Pompeius. Postea idem Florus facto secundo testamento, & eodem Pompeio & Faustino hæredibus institutis, nullas præceptiones Pompeio dederat. Hæc persona quæ capere nō poterat, se detulerat. Consulti Imperatores a Procuratoribus fisci, rescripserunt, si non probaretur a Pompeio mutatam voluntatem esse, præstandum fideicōmissum, partim fisco, partim incapaci: quia se detulisset. atque ita Pompeius condemnatus a Procuratoribus, ad Imperatorem appellauit. Dicebat, videri quidem posse, cùm tacitum fideicō-

missum ab eo datur, qui tam in primo quàm in secundo testamento hæres scriptus est, non mutatam esse voluntatem, quando is cuius fidei priore testamento commissum est, in posteriori testamento pro eadem parte, aut etiam pro maiore institutus est. verùm hîc se in minore institutum esse. Præterea dici non posse, testatorem pro parte in prima voluntate perseuerasse, sed in vniuerso. igitur cùm præceptiones secundo testamento non dederit, apparere pro ea parte mutatam esse voluntatem testatoris: igitur & in vniuersum: vt quemadmodum nulla prælegata Pompeio dederit, ita de iis iterum tacitè rogasse voluerit. Denique etsi placeat reliqua solui citra præceptiones, quia nullæ relictæ essent: saltem Pompeius desiderabat id onus esse totius hæreditatis, ideò quia præceptiones non accepisset. Nam prius testamentum non constare: neque si dedisset ei præceptiones in primo testamento, ex posteriore peti potuisse, nisi si repetitæ essent. aliud enim esse in tacito, aliud in expresso legato. hoc nisi nominatim repetitum in secundis tabulis, non deberi. Placuit, quia probabat non sibi datas præceptiones, ex sola sua cautione, ne Faustinus grauetur qui fidem tacitè non accommodauit, Pompeium solum fundi pecuniæq; fideicommissum, quod ab eo tacitè repetitum videretur, præstare debere. nam nihil prohibere, cur pro parte Statius Florus voluntatem non mutauerit, pro parte mutauerit.

DE

DE CONDITIONIBVS ET DEMONSTRATIONIBVS. TIT. 49.

Conditio, Si filij morte patris, sui iuris facti sint, impletur filiorum emancipatione.

I. Ex Vlpiano, lib. 5. disputationum tit. ad S.C. Trebellianum.

BRASIDAS quidam Lacedæmonius vir Prætorius, cùm filijs suis ab vxore diuortio separata fideicommissum relictum esset, hoc modo: SI MORTE PATRIS, SVI IVRIS FACTI ESSENT: eos emancipauerat. Filij, post emancipationem fideicommissum petebant. At conditio certè non exstiterat: aut verò videbatur mors patris expectanda esse, nec hæredes antè fideicommissi nomine conueniri posse. Tamen Diuus Marcus in auditorio de hac re ipse cognoscens, intellecta matris voluntate, quæ quia non crediderat patrem filios emancipaturum, distulerat in mortem eius fideicommissum: non dilatura id in mortalitatem, si eum emancipaturum sperasset: decreuit fideicommissum eis repræsentandum.

AD SENATVSCONSVLTVM TREBELLIANVM. TIT. 50.

Qui hæredem suum testari vetat, censetur eum rogare de hæreditate sua post mortem hæredis sui restituenda: nisi appareat, consulere, non prohibere aut mandare voluisse.

I. Ex

I. Ex Paulo, lib. 2. decretorum.

QVI filium & filiam habebat, teſtamentum fecerat, & ita de filia ſua cauerat: ἐντέλλομαί σοι μὴ διατίθεσθαι πρὶν τέκνα γενέσθαι. Pronuntiauit Imperator fideicomiſſum ex hac ſcriptura deberi: quaſi per hoc quòd prohibuiſſet eam teſtari, petijſſet, vt fratrem ſuum hæredem faceret. ſic enim accipiendam eam ſcripturam, ac ſi defunctus hæreditatem ſuam rogaſſet filiam reſtituere fratri, ſi antequã liberos tolleret, moreretur: id eſt, quicquid ex hæreditate patris filia conſecuta eſſet, vt ei reſtitueret. non quòd de rebus alijs quæ filiæ obueniſſent, teſtamentum fieri prohibendo, iuri publico derogare velit. nam adimi non poteſt libera teſtandi facultas.

Non quia duo inuicem ſubſtituti ſunt, ideo fideicommiſſum, Si quis eorum ſine liberis deceſſerit, ſoli ſubſtituto ſuperſtiti deberi poteſt.

II. Ex eodem, Imperialium ſententiarum in cognitionibus prolatarum ex libris ſex lib. 1. ſeu Decretorum lib. 2.

IVLIVS Phœbus teſtamento facto, cùm tres liberos hæredes inſtitueret, Phœbũ & Heraclium ex eadem matre, Polycratem ex alia, æquis portionibus: petijt a Polycrate minore fratre, vt accepto certo prædio hæreditatem fratribus concederet. & inuicem eos qui ex eadem matre erãt, ſi quis eorum hæres non fuiſſet, ſubſtituerat. Polycrati, ſi intra pubertatem deceſsiſſet, ſecundas

tabulas

tabulas fecit, quas matri eius commendauit aperiendas, si impubes obijsset. deinde petijt à prioribus, vt, Si quis eorum sine liberis decederet, " portionem suam, exceptis bonis maternis & a- " uitis, ei vel eis qui superessent, restitueret. He- " raclia soror mortua sine liberis, fratrē Phœbum instituit hæredem. Polycrates fideicommissum petierat & obtinuerat apud Aurelium Proculum Proconsulem Achaiæ. Appellatione facta, cùm solus Phœbus egisset μονομερῶς, attàmen victus est: quia EI VEL EIS verba, vtrosque fratres complecterentur: atqui inuicem duos illos tantum substituerat. quare si nihil Polycrati restitui voluisset, ita eum loqui oportuisse, vt EI QVI SVPERESSET, non EIS etiam QVI SVPERESSENT, restitui vellet. Sed & voluntas hæc patris esse videbatur, qui exceperat eorum bona materna: quia Polycrates aliam matrem, vt dictum est, & quidem superstitem habebat, cuius etiam fidei commiserat, vt legata quæ ei dederat intestata moriens, Polycrati filio suo restitueret. itaque voluisse vt bona materna singuli separatim liberi possiderent, Phœbus & Heraclia matris suæ, itémque suæ Polycrates. paterna vero ita ad tertium peruenirent, si alij duo sine liberis decessissent.

QVANDO DIES LEGATORVM *VEL FIDEICOMMISSORVM* cedat. Tit. 51.

In caus-

In caussa liberorum cessit dies anno cœpto, non etiam impleto duntaxat.

Ex Paulo, lib. 2. decretorum tit. ad S. C. Trebellianum.

FABIVS Antoninus impuberẽ filium Antoninum & filiam Honoratam relinquens, exhæredatis his, matrem eorum Iuliam Valerianam hæredem instituit: & ab ea trecenta & quasdam res filiæ reliquit. reliquam omnem hæreditatem filio Antonino, cùm ad annum vicesimum ætatis peruenisset, voluit restitui. quòd si ante annum vicesimum decessisset filius, eam hæreditatem Honoratæ restitui præcepit. Mater intestata decessit, vtrisque liberis legitimis hæredibus relictis. Postea filius annum agens plenum nonundecimũ, & ingressus vicesimum, necdum tamen eo expleto, decessit, filia hærede Fauia Valeriana sua relicta: à qua amita fideicommissum, & ex testamento patris portionem hæreditatis petebat, & apud Præsidem obtinuerat. Tutores Valerianæ filiæ Antonini, egestatem eius prætendebant, & recitabant diui Hadriani cõstitutionem, in qua quantum ad munera municipalia, iusserat eum annum quem quis ingressus esset, pro impleto numerari. Imperator autem Alexander motus & æquitate rei, & verbis testamenti, SI AD ANNVM VICESIMVM AETATIS, quæ hanc interpretationem pati possunt, vt is ad annum vicesimum ætatis peruenisse dici possit, qui illum annum attigit,

licet

licet propriè viginti annorum natus non ſit: quamuis ſcire ſe diceret, à diuo Marco non excuſatum à tutela eum, qui ſeptuageſimum annum ætatis ingreſſus fuiſſet: Iulio etiam Paulo iureconſulto contra petitricem legis Aeliæ Sentiæ argumenta proferente, & quod de vſucapione & ætate eius qui teſtari poſsit, vulgo dicitur: item aliam ſuorum, aliam extraneorum rationem eſſe. in extraneis certè Imperatorem Aurelium Antoninum ad appellationem ex Germania iudicaſſe, tum aliquem eſſe quatuordecim annorum, cùm impleuerit. at in ſuis fauorabiliorem cauſſam eſſe. denique videri exhæredationem hanc qua de agitur, non notæ cauſſa, & vt filio Antonino noceretur, à patre interpoſitam: ſed magis vt ei conſuleret. vxorem enim rogaſſe, vt ei cùm ad viceſimum annum perueniſſet, hæreditatem reſtitueret: aliqua potius adminiſtrationi præſtationiq; mora quaſi adhibita, quàm vt dies fideicommiſsi niſi extremo momento cecidiſſe videretur. Sed etſi re vera dies præſtationi duntaxat, non etiam fideicommiſſo eſſet appoſitus: conſummationem viceſimi anni expectari poſſe. nam hîc ſolummodo fructuum verſari detrimentum. at vbi tranſmiſsio legati impeditur, durum eſſe hanc interpretationẽ ſequi, per quam aduerſus iudicium patris & commune votum, re ipſa & mala mente patris, non pio conſilio, cùm filius, tum ex ea neptis exhæredati eſſe reperiantur. His itaque motus Imperator Alexander contra petitricem pronunciauit.

DE

DE SVIS ET LEGITIMIS HAEREDIBVS. TIT. LII.

Iudæorum legibus, filij, non etiam nepotes, in successione filiabus anteponuntur.

I. Ex Mose, Numerorum cap. 27. & Flauio Iosepho, lib. 4. antiquitatum cap. 7.

SALPHAAD Hebræus intestatò decesserat sine liberis masculis. de eius hæreditate agebatur inter Maalam, Noam, Heglam, Melcham, & Thersam filias, atque fratres aut agnatos defuncti. Hi ad se hanc ideo pertinere differebant, quòd cùm ita per Tribus diuisa sint patrimonia suis Iudæorum moribus ac legibus, vt gentis atque familiæ bona potius esse dicantur, quàm eorum qui possident: filiæ meritò excludi debeant, quia è familia exeunt. Hæ contrà, Mosem, Eleazarum alióſque Mosis assessores ad cogitationem naturalis æquitatis adducebant, quæ masculos æquè ac fœminas amplectitur. Itaque secundum filias pronuntiatum est, modò ne extra gentem familiámque nuberent. atque etiam decretum est in posterum, vt ad successionem primo loco, filij: secundo, filiæ: tertio, fratres defuncti: si ne hi quidem vlli erunt superstites, aut hæredes esse nolint, aui: postremò agnati vocentur: multis de caussis (quas vnusquisque Populus, hoc vel illo iure vtatur, pro more, vtilitate & regione iustas habet) filium filiæ anteponendo, nec non & filiam, vel ipsi ex filio nepoti: quia

quia certè filia sit omni nepote proximior: nec per vllam fictionem aut repræsentationem, sed reipsa. præterea, si lex semper naturam imitatur, quia nostra omnium affectio pronior est in liberos qui verè nostri sunt, quàm in nepotes, qui sanè ad patrem suum pertinent.

In regni succeßione inspici duntaxat, vter sit maior natu, non etiam vter Rege patre natus sit.

II. Ex Herodoto, lib. 7. & Plutarcho, in Artaxerxe. Iustino lib. 2. & 16.

DARIVS Rex Persarum, priusquam regnum adeptus esset, ex alia vxore Ariobarzanem, Xerxem deinde rerum potitus ex alia susceperat. Cùm de successore cogitasset, magna inter consanguineos dissensio fuit, ac vtrinque res coram ipso Dario Rege summis fauentium studijs agitata. Dicebat Ariobarzanes, omnium se fratrum maiorem natu esse, quare iure gentium, primíque geniti prærogatiua, imperij spem ad se pertinere. nam patri aduenientem dignitatem, etiam antè susceptis liberis proficere: & nihilominus (si decet paruis magna componere) Senatoris aut Equitis filium appellari, qui nondum patre Senatore vel Equite natus est. præterea & illegitimè susceptos, per subsequens matrimonium non minùs patri suos effici, quàm qui postea legitimè suscepti sunt. Xerxes ex aduerso, conueniens esse, vt qui patre imperante nasceretur, hic regno succederet: quasi reuera id sit Regale semen, stirpsque Regia, quæ tum orta est cùm quis

 regnare

regnare cœperit. Et ſane vicit hæc ſententia, magis ſecundæ vxoris illecebris falſóque Demarati teſtimonio, qui hoc iure vti Lacedæmonios malitioſe recitauit: quàm lege aut moribus aut exemplo. Quamobrem ita iudicatum fuiſſe nihil poſtea Cyro profuit, cùm idem Artaxerxi maiori fratri obijceret: valuitq; ius naturæ, non ſtudium matris, quæ Paryſates cognomento fuit. Veruntamen & quòd illud de Xerxe & Ariobarzane aliter eſt à Iuſtino memoriæ proditum, iuuat hîc quæ ab eo ſcripta ſunt, apponere: ait » enim, Darius cùm aduerſus Athenienſes bellum » reſtauraret, in ipſo apparatu decidit, relictis mul» tis filijs & in regno & ante regnum ſuſceptis. Ex » his Arthemenes maximus natu, ætatis priuile» gio regnum ſibi vindicabat: quod ius & ordo » naſcendi & natura ipſa gentibus dedit. Porro » Xerxes controuerſiam non de ordine, ſed de na» ſcendi felicitate afferebat. nam Arthemenem pri» mum quidem Dario, ſed priuato proueniſſe: ſe » Regi primum natum. fratres itaque ſuos qui an» te geniti eſſent priuato, priuatum patrimonium » quod eo tempore Darius habuiſſet, non regnum » ſibi vendicare poſſe: ſe eſſe primum quem in re» gnum rex pater ſuſtulerit. Huc accedere quòd » Arthemenes non patre tantum, ſed & matre pri» uatæ adhuc fortunæ, auo quoque materno pri» uato, creatus eſſet: ſe vero & matre regina na» tum, & patrem non niſi regem vidiſſe: auum » quoque maternum Cyrum regem habuiſſe, non » hæredem ſed conditorem tanti regni. itaq; etſi

æquo

æquo iure vtrumque fratrem pater reliquisset, «
materno se tamen iure & auito vincere. Hoc cer- «
tamen (inquit) concordi animo ad patruum su- «
um Artaphernem, veluti ad domesticum iudi- «
cem deferunt: qui domi cognita caussa Xerxem «
præposuit: adeóque fraterna contentio fuit, vt «
nec victor insultauerit, nec victus indoluerit, ip- «
sóque litis tempore inuicem munera miserint, & «
iucunda quoque inter se non solum credula con «
uiuia habuerint: iudicium quoque ipsum sine «
arbitris, sine conuitio fuerit. Tantò modera- «
tius tum fratres inter se regna maxima diuide- «
bant, quàm nunc exigua patrimonia partiuntur. «
Sed & Ptolemæum contra ius gentium minimo «
natu ex filijs, ante infirmitatem regnum tradi- «
disse, ait lib. 16.

Frater ex vtroque parente in successione fratris alij antefertur.

III. Ex Iustiniano, constitutio. 84.

QVIDAM ex tribus vxoribus relictis liberis, & tertia vxore relicta decesserat. hæc cum item alteri nupsisset, liberos habuit. Sed & ea mortua defuncto filio ex tertio matrimonio sine liberis, inter vterinos fratres, germanos & consanguineos tantum, de hæreditate fratris defuncti coram Iustiniano Imperatore summa contentio fuit. Consanguinei, vterinos: germani, vtrosque non admittebant. At ipsius Iustiniani lege, merito sublata cognationis & agnationis differentia, vterini suam quoque hæreditaté esse dicere.

Nam eorum qui per virilem ſexum coniunguntur, ſi aliquis certè fauor afferri poteſt, non ideò tamen proximiore eſſe gradu ijs qui per fœminas ſe contingunt. Planè vetuſtiſsima & æquiſsima lege 12. tabularum, hæreditates deferri PROXIMO, non DIGNISSIMO. Etenim ſi in ſucceſsionibus non gradus, ſed ſexus: non proximitas, ſed dignitas, præſertim ab inteſtato, conſiderabitur, futurum eſſe, vt neque filia cum filio ſuccedat, & remotior aliquãdo proximiorem antecedat. atqui à lege naturam imitari, quæ profectò æquo iure vtrumque ſexum amplectitur, & ſibi quæque proxima magis fouet ac nutrit. Præterea cur qui ex vtroque parente, aut certè ex eodem patre nati ſunt, hi ſibi ipſis coniunctiores eſſe videri velint? an propter communem familiæ, gentis ác nominis appellationem? atqui nulla eſt plerunque inter alios maior diſcordia. Eam potius igitur rationem eſſe, quòd eodem ſe fonte ortos eſſe exiſtimant. quæ opinio ſanè non tam in patre, quàm in matre certa eſt. Denique nihil eſſe quamobrem qui ex eodem patre proficiſcuntur, hanc CONSANGVINEORVM appellationem, ſibi peculiarem attribuant: quia & vterini verè cõſanguinei ſunt. niſi ſit hoc falſum, quod eſt veriſsimum, vxorem etiam aliquid de ſuo adferre ad hoc opificium hominis, ex copula concepti & compoſiti animantis. Ideóque à veteribus, vſque ad Conſtantinum, meritò indiſtinctè omnibus fratribus etiam vterinis querelam inofficioſi teſtamenti conceſ-

concessam fuisse. nunc si à querela testamento facto arceantur, ijs equidem ab intestato succedendi facultatem non esse ademtam. Consanguinei quoque, ij nempe qui duntaxat eodem patre nati essent, affirmare se fratri sine controuersia legitimos hæredes esse: quia & reuera sint agnati & proximi: nec vt quis agnatus aut consanguineus sit, hoc requiri, vt & eãdem matrem habeat. Nam quò seruus sit aliquis aut ingenuus, spurius aut legitimus, matrem venire quidem in considerationem: sed in ijs omnibus quæ ad ciuilia iura pertinent, qualis est etiam succedendi ratio, solùm attendi masculum solúmve patremfamiliâs. Porrò quemadmodũ æquè filij nostri sunt, qui ex hac aut illa vxore nati sunt: quia nihil vt telluris in colono, ita in patrefamiliâs nihil vteri diuersitas afferat: sic æquo iure esse inter se fratres qui maximè ex eodem patre concepti sunt. cúmque ideò simul absque distinctione ad successionem patris admittuntur: cur eorum vno defuncto, inter se esset varia conditio? Itaque nullam hactenus tota antiquitate motam esse controuersiam, qua nati ex ijsdem parentibus, alijs ex diuersa matre consanguineis vti prærogatiua postularent. Nam & omnes omninò leges quæ de consanguineis loquuntur, patris solummodò rationem habuisse. Ideoq; post suos, lege 12. tabularum vocari generaliter consanguineos, id est, vt Vlpianus ait, ex eodem patre natos. & indefinitè, querela vterinis ademta, relictam esse consanguineis fratribus. Denique

& cùm ingratitudinis caussæ à legibus explicantur, ob quas frater à fratre exhæredari aut prætermitti posſit, non diſtingui fratrē vnum ab altero. in quo vel id pulchre obſeruari debeat, plures cauſas enumerari, ob quas filius à patre, quàm frater à fratre exhęredari posſit. quod non tam pietati & officio tribuendum eſt, quæ erga fratrē profecto minora ſunt, quàm quòd fratre ſine liberis defuncto, quod frater illius morte accipit, id potius creditoris loco & à patre vt familiare patrimoniū accipere intelligitur, quàm fraterna prouidentia: quæ ratio (vt antea dictum eſt) in omnibus fratribus eadem eſt. Nam ſi inter conſanguineos vlla eſſet propter varia iura diſtinctio, cur non ex vtroque parente conceptis fratribus, ſpecialis aliqua appellatio conceſſa eſt? nam ſi verbi notationē inſpicimus, etiam GERMANI ſunt qui eundem patrem habent. Porrò non tanti æſtimari ex eadem etiam matre eſſe, cuius in liberos nulla vllis legibus ac moribus poteſtas auctoritáſque fuit, ideóque nec arrogare potuit: quæ ex ſe natos ne quidem SVOS hæredes potuit vnquam appellare: quos inſtituere aut exhæredare neceſſe non habuit: & ad quorum etiam vel tutelam vel ſucceſsionem vix cum Auia tandem admiſſa eſt? Quare igitur mater in ſucceſsione fratris conſiderabitur, quæ in iure tam parui momenti eſt? cuius nec in nuptijs liberorum, conſenſus auctoritáſque requiritur? Eadem itaque ratione vterinos ſe excludere oportere, qua ipſi excludi non debeant à conſanguineis

guineis & vterinis simul. At hi profecto aiebant se solos hæredes esse. nam sibi conuenire propriè fratris consanguineíque nomen. quis tam enim frater, hoc est, ferè alter alteri dici potest, quàm qui eosdem parentes habet? præterea consanguinum dici non aliter quàm respectu vtriusque parentis: vt reuera consanguineus sit qui filius appellatur, ex duorum composito sanguine conceptus. itaque consanguinei sint filij, antea quidem parentibus, mox inuicem fratribus, in quibus inuenire liceat vtriusque seminis & sanguinis vestigia & opera. Quicquid ab aduersarijs speciose adducitur, id nequicquam vrgere, si solam naturam inspicimus, qua nullus alius aut charior aut proximior aut certè coniunctior dici potest, quam qui vtroque parente veluti duplici vinculo alteri coniungitur. Itaque si verisimilem defuncti voluntatem amplectimur, se solos hæredes esse oportere, qui sint ei & coniunctissimi & proximi. Si item iudicium parentum ac commune votum, vt eò nempe deferatur hæreditas, vbi quasi cum defuncto eadem persona esse intelligitur: profecto qui patre matréque coniuncti sunt, quique omnes liberi sunt vnius matrimonij ac fœderis, hos, atque si re & verbis coniuncti sint, vnius loco esse quodammodo, vt quádiu videlicet eorum alter superstes erit, solus bona defuncti fratris accipere debeat: tum quia defuncto ferè alter, tum propter illud commune votum. Nam & non alia ratione omnium gentium legibus inter fratres & sorores

 nuptias

nuptias esse prohibitas, quàm quòd ex eodem patre ac matre profecti, ita inter se sint gemini, vt penè ijdem esse videantur. nemo verò posit secum nuptias iungere. quæ consideratio certè non tanta est in fratribus & sororibus, quorum prima ipsa natiuitas aliquid seiunctum habet. Iam & si quod publicè honestum & vtile est sequimur, expedire ad cohibendas secundas nuptias, hoc vti postulant vsurpari. nam dum ciues animaduertent tanto in fauore esse qui eosdem parentes habent, rarò efficient mariti vt alios quàm ex vno matrimonio liberos habere velint. Denique etsi placeat paterna bona à maternis distinguere (vt multis id apud nos legibus municipalibus) id tandiu non valeat, quandiu sit qui duplici iure capax omnium bonorum alteri naturaliter anteponi posit. Iustinianus qui videri vult hanc litem primus omnium veterum terminasse, pronũciauit, fratrum ex vtroque latere succesionem esse.

Regni Aragoniæ fœminas capaces esse: illegitimos, incapaces. cæterùm in linea transuersa, germanum ex vtroq; parente, fratri aut sorori ex patre aut matre tantùm anteferri.

II. Ex Laurentio Valla, historiarum Ferdinandi Regis lib. 2.

IANVS Rex noster, is qui apud Pictonas prælio victus & captus est, fratrem Aragoniæ atque Siciliæ regem Martinum habuit. hic cùm sine liberis decesisset, asserebant hi singuli ad se Re-

gni

gni ſucceſsionem pertinere: Ludouicus ex Iōlāte fratris filia nepos. nam vt aliquid ſexus matri fuiſſet impedimento, id nunc in ſua perſona non obſtare. Contrà, Iacobus Comes Vrgellenſis, ſe Ioanne patre ſuſceptum, quem Petrus defuncti pater, quòd maior natu fuiſſet, eò duntaxat à ſucceſsione repulerat. Itaque cùm maſculus ex maſculo deſcendat, Ludouico anteferri oportere, ad quem Iölans mater nihil plus iuris tranſmittere potuit, quàm ipſa haberet. cæterùm legibus Aragoniæ, fœminas Regni eſſe incapaces. Iam & ſi quid momenti habeat fœmineus ſexus (nam cõſtabat & Aragoniæ regnum ad fœminas veniſſe) eſſe apud ſe Iſabellam defuncti cõſanguineam, quę Ludouico omninò, ex filia pręſertim, & charior & proximoir ſit. Item Ferdinandus ex Helionora, quæ fratrem ex vtroq; parente Martinum habuit, dicere bona omnia naturali iure ac legibus ad proximum deferri: ideò quia ſint vltimi cuiuſque poſſeſſoris, non amplius eorum à quibus longa ſucceſsione profecta ſunt. itaque inſpici oportere duntaxat, quis ei cuius de ſucceſsione agitur, ſit proximus. & quòd dicitur fœminas non ſuccedere (etſi non ſit cautum nominatim legibus Aragoniæ) intelligi tamen, quando & mares ipſi æquè proximi ſunt, ac eodem cum fœminis gradu coniuncti. Id neque de Ludouico, neque de Comite Vrgellenſi, alijſve vt de Alphonſo Duce Gandiæ dici poſſe. Sed quod de Iſabella ſorore obijcitur, id neque perpendi oportere, quia neque ſit Martino ex ea-

dem matre ſoror, & Sibylla matre nata ſit, quæ iam tum cùm peperit, neque vxor neque Regina eſſet. Denique etiam Federicus ex filio defuncti nepos, ſed illegitimus, mouebat controuerſiam: habere ſe iudicium defuncti, quanquam reuera non poſtremum. nam tandem moriens, eius regnum eſſe iuſſerat cui iure deberetur: haud fere aliter quam Alexander Magnus, qui interrogatus quem imperij faceret hæredem, reſpondit dignißimum. Se non omnino illegitimum dici poſſe, qui ex patre cœlibe ac matre innupta natus ſit, quorum iuſtæ nuptiæ eſſe potuerunt. vtvt ſit, iniquum eſſe, delictum patris (ſi quidem ſummorum Principum in his rebus vllum delictum appellatur) filio nocere. Se à patre & auo, pro filio, pro nepote habitum. multos minùs legitime ſuſceptos, nedum ex adulterio, & alio nefario coitu & inceſtuoſo, licére vel in libris diuinis cernere, qui à ſucceßione naturalium parentum ſummoti non ſunt. Certè quidem leges de naturalibus filijs, non propriè ad nepotes pertinere. filios enim placuiſſe ad paternam hæreditatem non venire, non vitio ſuo: quid enim promeruerunt? ſed quia his rationibus vitia paterna refrænari melius poſſe veteres exiſtimauerunt. at nullum eſſe vitium aui, qui ex filio legitimo nepotem naturalem habeat. cur itaque & de auo & de nepote qui nihil deliquerunt, quaſi ſupplicium caperetur? Præterea mereri ſe, vt ſi non aliorum, at ſui ratio habeatur, qui nuper amplißima parta victoria, regnum Siciliæ Aragonico

adiecerit.

adiecerit. Denique vt lege ab Alphonso Rege Aragoniæ lata, spurij à successione regni arceantur, se natalibus à summo Pontifice restitutum. Res postquam vi, armis ac dubio Marte ante omnia gesta est, tandem iudicio ac legibus eam transigi placuit. in nouem conuenere arbitros. Nunquam post hominum memoriam res ferè tanta in iudicijs versata est. ex Aragonia cepere Dominicum Ramum Oscensem Episcopum: Franciscum Arundum philosophum: Berengarium Bardessinum Iurisconsultum. ex Valentia, Ferrarium dominum Cartusiæ Iurisconsultum, atque fratrem eius Vincentium sodalem ordinis Prædicatorum: Petrum Berrandum ICtum. ex Catalonia, Franciscum Sagarrigua Terraconensem archiepiscopum, Berrardum Vallisiccæ Iurisconsultum, Guillelmum Graspem: summæ doctrinæ, probitatis atque prudentiæ viros. Hi sacris anteà rite peractis, ac precioso Christi corpore ac sanguine suscepto, per triginta dies Aduocatos partium audierunt, quoties & quandiu cuiq; libuit dicere. Postremò re cognita ac dispectis omnibus caussæ instrumentis, conclusi in arce ita vt hinc abire non liceret, nisi Rege antea declarato: octauo die progressi in publicum, summa cum totius atque infiniti populi attentione, spe atque expectatione, de scripto, Ferdinandum Regem pronunciarunt.

DE

DE DAMNO INFECTO. TIT. 53.

Damnum publicè datum, à Republica priuatis sarciri debet.

I. Ex Cornelio Tacito, Annalium lib. 1.

PIVS Aurelius Senator questus mole publicæ viæ ductúque aquarum labefactatas ædes suas: auxilium Patrum cùm imploraret, resistentibus Aerarij Prætoribus, eò quòd dicerent Aurelio Pio imputandum esse, qui secundum viam publicam ædificasset, neque damni infecti à Republica sibi caueri postulasset: nihilominus subuenit Tyberius Imperator, preciumque ędium Aurelio tribuit.

DE PVBLICANIS VECTIGALIBVS ET COMMISSIS. Tit. 54.

Ad solutionem vectigalium, neminem carcere, sed pignoribus captis duntaxat coërceri. porrò nimiam exactorum molestiam, paniendam esse.

I. Ex Plutarcho, in vitis decem Oratorum.

AD hoc ius quo vtimur, ne quis ob vectigal non solutum duci posſit: quia patrimoniale hoc munus est potius, quàm in personā: ideóque sufficit cogi pignoribus captis. hoc apud Athenienses Lycurgi oratoris iudicium proximè accedit. Cùm Publicanus manum in Xenocra-

tem

tem philosophum iniecisset, eumq́; in carcerem traheret, tributi nō soluti nomine: liberauit Xenocratem Lycurgus: quia omninò quenquam duci hac de caussa non oportuit. Sed & quia minimè omnium, tantum tamq́; eximium virum duci oportuit, ipsum exactorem vltra quàm deceret importunum & iniuriosum, in carcerem conijci iusit.

Fraudem Publicanorum, multà: violentiam, audaciam, vltimo supplicio coërceri oportere.

II. Ex Tito Liuio, deca.3. lib.5.

MARCVS Posthumius Pirgensis publicanus, quia publicum periculum erat à vi tempestatis, in ijs quæ portarentur ad exercitus, ementitus erat facta naufragia: & ea ipsa quæ vera enunciauerat, fraude ipsius facta erant, non casu. In veteres quassásque naues paucis ac parui precij rebus impositis, cùm mersisset eas in alto, nautis exceptis in scaphas præparatas, multiplices fuisse merces ementiebatur. Ea fraus indicata primùm M. AEmilio Prætori, mox ab eo ad Senatum reiecta, nullo tamen inprimis Senatusconsulto notata est: quia Patres ordinem Publicanorum ijs Reipublicæ temporibus nolebant offensum atque inimicum habere. Sed excitati Tribuni plebis ducentûm millium æris multam M. Posthumio dixerunt. cuius certandæ dies cùm aduenisset, atque in sua caussa parum præsidij esse existimaret: turbandæ rei causa Publicani, summo loco vi occupato, in Tribunos plebis

bis irruperunt, iurgantes ſimul cũ Populo Tribuníſq; : nec procul dimicatione res erat. quamobrem Plebe dimiſſa, tùm Senatus vocatus eſt. Conſules referunt de concilio Plebis turbato vi atque audacia Publicanorum. Vim eam contra Remp. pernicioſo exemplo factam videri, cenſuit Senatus. Igitur confeſtim Tribuni plebis omiſſa multa certatione, diem rei capitalis Poſthumio dixerunt. ni vades daret, iuſſerunt eum præhendi à viatore, atque in carcerem duci. Poſthumius, vadibus datis, non adfuit. Tribuni vocarunt Plebem, quæ ita ſciuit : Si M. Poſthumius ante Cal. Maias non prodijſſet, citatúſque illo die non adfuiſſet, neque excuſatus eſſet, videri eum in exilio eſſe, bonáque eius venire : ipſi, aqua & igni placere interdici.

Quod vi & tẽpeſtate contingit, nõ cadit in cõmiſſum.

III. Ex Cicerone, lib. 2. de inuentio.

LEX apud Rhodios fuit, vt ſi qua roſtrata in portu nauis depræhenſa eſſet, ea publicaretur. Cum igitur magna in alto tempeſtas eſſet, vis ventorũ inuitis nautis Rhodiorum, in portum nauim coëgerat. Quæſtor, nauim Populi vocauit. nam roſtratam in portu depræhenſam eſſe. Nauis dominus negabat publicari oportere : quia vi maiore ac neceſſariò in portum coacti eſſent. itaque non videri contra legem quid feciſſe, cuius ſi, vt in omnibus rebus, voluntatem ſpectari placet, mens ea certè nunquam fuiſſe dici poteſt, vt qui culpa careat, ſupplicio ac fraude non careat. nam

hoc nihil indignius esse: nisi ex suo quoque nomine placeat cōmunem omnium hominum infirmitatem condemnari. Quæstor rursus, nullā non relinqui peccandi potestatem, si semel institutum sit, vt non de facto, sed de facti caussa quęratur. Nauem τῇ δυνάμει in portum eijci, etsi tum fortasse prohiberi non potuit, id tamen antea euitari ac multis rationibus præcaueri potuisse. quare non nautarum imprudentiam aut casum aut necessitudinem, sed inertiam, negligentiam, fatuitatem nominari oportere. Rem eius momenti esse, adeoq; ad publicam securitatem pertinere, vt exemplo sit vtile, nullis excusationibus ignosci, si quid contra legem sit admissum. Attamen ex Alfeni Vari sententia, ad similitudinem nauis onustæ cotibus, quæ ante Idus Martias ex portu Cretæ profecta, & à vento in portum relata, iterum post Idus Martias aduersus legem profecta fuerat: nos quoque à Rhodijs ita iudicandum esse interpretabimur, Nauim commissam esse non videri.

Vectigalia remitti non posse ab vllo alio, quam vel à Principe, vel à Populo, vel à Senatu, qui supremam potestatem habet. Item si rata omnia generaliter habeantur, quæ ab aliquo bellis ciuilibus, vel in Prouincia gesta sunt: alienationes publicorum non comprehendi.

IIII. Ex M. Cicerone, Verrina 5.

PRIMVS fuit L. Sylla, cui Respublica totam se tradidit temporibus coacta & malis domesticis.

cis. Eius omnes res geſtas, quanquam Romani non ſolùm obtinerent, verùm etiam propter malorum, incommodorum & calamitatum metũ, publica auctoritate defenderunt: vnum tamen hoc illius Senatuſconſultum reprehenſum, decretumq́ eſt, vt quibus ille de capite demſiſſet, ij pecunias in ærarium referrent. Statuit enim Senatus, hoc ne illi quidem eſſe licitum, cui conceſſerat omnia, à Populo factarum quæſitarúmque rerum, quibus Reſpublica pace & bello ſalua eſt, ſummas imminuere.

Venditio fundi viliſſimo precio facta ob vectigal non ſolutum, ſi vectigal offeratur, ex æquo & bono reſcindi poteſt.

V. Ex Cerbidio Scæuola. tit. de reſcindenda venditione.

FVNDVS qui Lucij Titij erat, ob vectigal Reipubl. venit, longè minoris quàm debita ſumma eſſet. poſtea Lucius Titius debitor profeſſus eſt paratum ſe eſſe ſolidum vectigal exſoluere. itaque poſtulabat reſcindi venditionem. Emtor recuſabat. etenim ſe bona fide emiſſe, atque auctore Prætore. quòd ſi vilius emerit, non prohibuiſſe ſe quo minus alij altius licerentur. cæterùm licere vnicuique conditionem ſuam meliorem facere: Attamen Præſes Prouinciæ reſcidit venditionem, ſumma æquitate motus.

Qui in certam ſummam pro conductore vectigalium fideiuſſit, de vſuris non tenetur. ſed ex bonis conductoris

ctoris, quod venierit, prius in vsuras cedet: reliquum in sortem.

VI. Ex Iulio Paulo, lib. 3. Decretorum, Tit. de fideiussoribus.

PRO Aurelio Romulo conductore vectigalium, centum annua Petronius Thallus & alij fideiusserunt. bona Romuli fiscus occupauerat vt obligata sibi: & conueniebat fideiussores tam in sortem quàm in vsuras. hi vero deprecabantur. Lecta subscriptione fideiussionis, quoniam in sola centum annua se obligauerant, non in omnem conductionem, decreuit Imperator fideiussores in vsuras non teneri. nam non debere imputari fideiussoribus quod debitor veluti ex pœna sua debet. Sed quicquid ex bonis Romuli fuisset redactum, prius in vsuras cedere, reliquum in sortem: & ita in id quod defuisset, fideiussores conueniendos, exemplo pignorum à creditore distractorum, cui in optione est, in quam causam sibi soluat, in vsurásne prius, an in sortem.

DE LIBERALI CAVSA.
TIT. LVII.

Ex Suetonio, de illustribus rhetoribus, & Fabio Quintiliano, declam. 340. & 342.

VENALITII, cùm Brundusij gregem venalium è naui educerent, formoso & pretioso puero bullam atque prætextam togam im-

 posuerant,

posuerant, siue quia portitores verebantur, siue hoc animo vt publica non soluerent pro eo, quē sciebant à Publicanis magnò æstimatū iri. & certè fallaciam facilè celarunt. Sed postquam Romam ventum est, puer petitus est in libertatem, quia domini voluntate in libertate fuisset. nam legibus contineri, QVI VOLVNTATE DOMINI IN LIBERTATE FVERIT, LIBER ESTO. Quam ob rem igitur qui voluntate domini signauerit aliquid tanquam liber vxorē iure Quiritium duxerit, pileatus incesserit, filius à domino appellatus sit, iure ipso potius manumissus esse videbitur: quam cum puer, prætexta: ancilla, stola & habitu matronali volente domino amicta, ornata est? Signa etenim hæc atque indicia non solùm esse libertatis, sed etiam dignitatis & ingenuitatis. Ideóque & Sacerdotes velari sacro prætextato, item Magistratus & primę pueritiæ adolescentes, vt sit eorum hoc ornatu religio, maiestas atque infirmitas sanctior, augustior, & eo magis inuiolabilis. Sufficere quòd Magno puerum esse in libertate, aut in aliqua forma & imagine libertatis esse voluerit: neque etiam postulari, vt liberum eum esse disertè pronunciauerit. non enim interesse qua ex caussā consenserit eum in libertate esse, modò consenserit esse in libertate, & pro libero eum se gerere. Nam quia sunt fauorabiles libertates, idcirco placuisse, vt qui omnino voluntate domini in libertate moratus sit, is nisi fraude ac culpa sua in seruitutem retrahi nō possit. Sed & si id

hoc

hoc animo fecerit, vt vectigalia Populi Romani circumscriberet, dignum esse pro hac fraude ac veluti peculatu, vt puero careat. Denique odiosam hanc esse mangonum negotiationem, & multos sæpe pro seruis venundari, qui ingenui sunt: nec alia in foro frequentiora esse iudicia. Venalitij contrà dicebant, iniquũ esse rem suam à se inuitis adimi. Constantem voluntatem accipi oportere, qua quis seruum suum in libertate esse velit, non imperfectam, fictam & simulatam voluntatem. ideoq; non fieri liberum, si mentitus dominus ne à magistratu castigaretur, liberum esse dixerit: quia non sit voluntas manumittendi. nec si dominus ancillam in scenam miserit, & mimi partibus tanquam matrona ambulauerit, liberam fieri. Hic Suetonius, qui e foro sumtam hanc controuersiam fuisse ait, quid iudicatum sit non explicat. Ego vero pro libertate censeo.

DE ACQVIRENDO RERVM DOMINIO. TIT. LVIII.

Quod gens quæque armis quæsiit ac possidet, id quandiu tenet, iure dominij possidet.

I. Ex Herodoto, lib. 5.

CVM inter Athenienses ac Mitylenæos summa contẽtio fuisset de Sigæo oppido, quod in agro Iliensi erat: sæpiusque vi, viris ac viribus eo nomine mutuò certauissent: tandem con-

uenêre in arbitrum Periandrum filium Cypſeli. Conſtabat Sigæum oppidum armis à Mitylenæis Athenienſes duce Piſiſtrato eripuiſſe. igitur Mitylenæos antiqua dominia iure repetere. Athenienſes contrà, etſi vim non negabant, certè nihil plus iuris Mitylenæis AEolijſq; omnibus fuiſſe affirmabant in agrum Ilienſem, quàm ſibi ac cæteris Græcis, qui Menelao in raptu Helenes operam nauaſſent: igitur quãdiu vi quiſq; oppidũ poſsideat, id eũ iure poſsidere. Placuit Periandro, vt vti quiſque quid obtineret, ita id poſsideret.

II. Ex Tito Liuio, decade 4. lib. 10.

INTER Populum Carthaginenſem & Regem Maſaniſſam, in re præſenti diſceptatores Romani de agro fuerunt. ceperat eum à Carthaginenſibus Gala pater Maſaniſſæ. Syphax rex Numidarum Galam inde expulerat: poſteáque in gratiam ſoceri Aſdrubalis, Carthaginenſibus dono dederat. Rurſus cùm Maſaniſſa Carthaginenſes agro expuliſſet, haud minore contentione animorum, quàm cùm ferro & acie dimicaret, apud Romanos res acta eſt. Dicebant Carthaginenſes, quod primò maiorum ſuorum fuiſſet, deinde à Syphace ad ſe perueniſſet, id ſe merito repetere. Ex aduerſo Maſaniſſa, paterni regni agrum & ſe recepiſſe, & nunc iure gentium poſsidere, iſtóque modo ſe & cauſa & poſſeſsione ſuperiorem eſſe. Legati poſſeſsionis ius non mutarunt: cauſſam integram ad Senatum reiecerunt.

Poſt diuturna bella, & maximè ciuilia, id ad eos

quosque iure pertinere, quod singuli poßident, vitandarum litium, atque præteritarum calamitatum memoriæ vitandæ caussa.

III. Ex Suetonio Tranquillo, in Augusto cap. 32.

POST bella ciuilia, cùm in Vrbe loca essent plurima iuris ambigui, dum alij propria mancipijque sui, alij publica esse affirmarent: multi etiam multa à possessoribus auocarent, quia sibi vel à Senatu, vel à Pompeio, vel à Cæsare, ab Antonio aut à Lepido, ab ipso etiam Augusto militibúsque pro præmio donata, asignata esse contenderent: Octauius Augustus Imperator ipse cognoscens, secundum possessores pronuntiauit.

AEdificatione nonnunquam totius soli & areæ dominium acquiri.

IIII. Ex eodem, in Vespasiano Augusto, cap. 8.

VRBS deformis veteribus incendijs ac ruinis erat. Vespasianus vacuas areas, & dirutas domus, deformationi auxilium ferens, concesit vnicuique occupanti, si eas ipsi domini cessarent aut detrectarent ædificare, reficere, exstruere. Paucos enim re sua priuari satius esse, quàm in vrbe vrbem quærere.

DE RE IVDICATA, ET DE EFFECTV SENTENTIARVM, ET DE interlocutionibus. Tit. 59.

In officio Iudicis hoc etiam versatur, aliqua iudicare nolle.

I. Ex Cicerone, lib. 3. officiorum: & Valerio Maximo, lib. 7. cap. 2.

MVLTA incidunt quæ indecisa & intransacta relinqui, à iudicibus satius atque vtilius est, quàm iudicio terminari. Huiusmodi est illa coram Licinio Fimbria viro Consulari à Marco Luctatio Equite Romano sane honesto, NI VIR BONVS ESSET, facta sponsio cum aduersario. Sapienter enim iudex pronunciauit se illam rem nunquam iudicaturum, ne aut spoliaret fama probatum hominem, si contra iudicasset: aut statuisse videretur, virum bonum aliquem esse, cùm ea res innumerabilibus officijs & laudibus contineretur.

Vt maior pars dici poßit, similes similibus sententijs, non etiam variæ minus varijs iungi debent.

II. Ex Plinio Nepote, lib. 8. epistolarum.

REFEREBATVR de libertis Afranij Dextri Cõsulis, incertum sua, an suorum manu, scelere an obsequio peremti. hos alij post quæstionem supplicio liberandos, alij in insulam relegandos, alij morte puniendos arbitrabantur. Atque in ea erant cõditione sententiæ, vt singularum nulla pars alia maior esset. Itaque in id iri quod mitius esset videbatur oportere, eámque numero sententiam præualere, quæ absoluẽdos esse censuisset. Contrà, puniendos esse dicebatur. etenim eorum qui vindicẽt, duas partes esse: vnam dun-

taxat

taxat eorum qui abſoluant. ſi in genere pœnæ differant, in eo certè conuenire, quòd ambæ animaduertant. Sed poſtquam ſumma æquitate in ſingulas ſententias iri placuit, ſinguláſque ſeparatim conſiderari, in eam quiſque partem eundo quà ſentiret: propterea quòd nihil magis cōmune habet occidere & relegare, quàm relegare & abſoluere, ideóq; vt ij qui puniunt, ab alijs diſcrepant: ſic illi inter ſe pugnent. imo vero aliquanto propior ſit ſententiæ relegantis, ea quæ abſoluerit, quàm quæ occiderit. quare iungi ſententiæ non poſsint tam diuerſa cenſentium: lex enim ait, QVI HAEC SENTITIS, IN HANC PARTEM: QVI ALIA OMNIA, IN ILLAM PARTEM ITE QVA SENTITIS: ij qui occidebant omiſſa ſententia, relegationi acceſſerunt. itaque relegati ſunt liberti.

QVIBVS EX CAVSSIS IN POSSESSIONEM EATVR.

Tit. 60.

Nemo alienæ rei idoneus defenſor eſt ſine ſatiſdatiōe.

I. Ex M. Tullio, in oratione pro Quintio.

BONA Publij Quintij, cùm abſens non defenderetur, iuſsit Burienus Prætor à Næuio poſsideri. Iit Næuius in poſſeſsionem: atq; dum bona proſcriberet, interuenit Alphenus procurator Quintij. impedit auctionem: etenim ſe, Quintium qui defendat, paratū eſſe. Hunc quia

Prætor ad defensionem non prius admittebat, quàm iudicatum solui satisdedisset, Tribunos appellauit. Sed cùm frustra se didicisset appellasse (neminem enim, vel si filius aut pater est, in aliena re sine satisdatione idoneum defensorem esse, quo casu etiam reus si adesset, satisdare non teneretur) ita discessum est, vt P. Quintium sisti Sex. Alphenus promitteret: interea nihil veniret.

DE REBVS IVDICIS AVCTORITATE POSSIDENDIS SEV vendundis. Tit. 61.

Antequam audiatur qui edictum induci postulat, satisdare debet Iudicatum solui. & Prætor quanquam iniquè decreuerit, ius est.

I. Ex Cicerone, pro Quintio.

CVIVS latitantis bona ex edicto Prætoris possessa essent, is reuersus si edictum induci postularet, & admitti ad rem defendendam, eum prius iudicatum solui satisdare oportebat. Bona P. Quintij quasi latitasset, ex edicto possessa esse dicebantur. Is contrà negabat possessa esse, neque posſideri potuisse, quia defensus esset, ac non latitasset. itaque recusabat satisdare sub hac solita & legitima formula, CVIVS EX EDICTO PRAETORIS ROMANI BONA XXX. DIES POSSESSA SVNT. Sed hoc modo, SI BONA POSSESSA ESSENT EX EDICTO. Verum quia docebat de edicto Næuius

atque

atque ideo constabat, si non æquo iure, attamen auctore Prætore bona possessa esse: ne iudicio itémque possessioni præiudicium fieret, iussit Prætor Dolabella Publium Quintium aut satisdare, aut sponsionem cum Sexto Næuio facere, SI BONA P. QVINTII EX EDICTO P. BVRRIENI PRAETORIS DIES XXX. POSSESSA ESSENT NECNE, TANTVM DARI.

DE PRIVILEGIIS CREDITORVM. TIT. LXII.

Ciuitates vsu & consuetudine priuilegium non acquirunt, quo cæteris creditoribus chirographarijs anteponantur, nisi id nominatim à Principibus impetrarint.

I. Ex Plinio Nepote, lib. 10. epistolarum.

BITHYNAE ac Ponticæ ciuitates, apud C. Plinium Proconsulem aiebāt, in exigendis pecunijs, quæ sibi vel ex locationibus, vel ex venditionibus, alijsque causis deberentur, priuilegium competere. eo iure vsos esse se longissimo tempore, sibíque id nec alios antea Proconsules denegasse: quod ius πρωτοπραξίαν appellare solēt: & esse huiusmodi, vt omnibus alijs chirographarijs creditoribus anteponantur. hoc in omni sua regione pro lege valuisse. Creditores contrà, solum Principem aut Rempublicam Romanorum, eámve quæ Principum instar, fiscum, ærarium, publicā pecuniam habet, isto vti priuilegio, quasi suo quodam iure, ob communem vtilitatem: vi-

delicet vt chirographarijs non etiam hypothecarijs præferantur. alias omnes ciuitates esse loco priuatorum: ideóque à cæteris creditoribus qui personalem actionem habent, caussam eorum separari non oportere. Frustra opponi à Bithynis & Ponticis ciuitatibus, eo se antea iure vti consueuisse: quia tale ac tantum priuilegium nulla ciuitas alijs modis in bonis debitoris sibi acquirere debeat, quàm si id nominatim à Principe non à Proconsulibus acceperit, aut specialiter in vnoquoque negotio sibi forte de eo iure prospexerit. C. Plinius Secundus ex sententia Traiani Imperatoris, pronuntiauit, vsum in his rebus atq; consuetudinem, citra legem totius Reipublicæ aut Principale beneficium, non valere.

Conditionali creditori ita posterior interim præfertur, vt in euentum conditionis postponi posit.

II. Ex Paulo, lib. 2. decretorum. Tit. de iure fisci.

CORNELIO Felici mater scripta hæres, rogata erat hæreditatem restituere post mortem suam. cùm hæres scripta condemnata esset, & à fisco omnia bona mulieris occuparentur: dicebat Cornelius Felix, se ante pœnam esse. hoc enim ideo constitutum, videlicet ne fisci priuilegium in pœna contra creditores exerceatur: quia bonorum cuiusq; id esse intelligitur, quod æri alieno superest. Sed cùm nondum dies fideicommissi venisset, propterea quòd prius posset Cornelius decedere, vel etiam mater alias res sibi

ſibi acquirere, repulſus eſt interim à petitione: tum petiturus à fiſco, ad quem bona omnia cum ſua conditione tranſijſſent, vbi conditio aduenisset.

DE FLVMINIBVS, NE QVID IN FLVMINE PVBLICO RIPAVE eius fiat, quo peius nauigetur. Tit. 63.

Non licet aquam publicam ad vſus priuatorum conuertere, neque in contrarium valet vlla poſſeſsio & præſcriptio.

I. Ex Plutarcho in Themiſtocle, & in Porcio Catone, & ex Liuio lib. 9. dec. 4.

VT nihil mortales à Dijs immortalibus vſucapere, ſic nihil priuati earum rerũ quæ publici iuris ſunt, ſibi vllo tempore aſſumere ac vindicare poſſunt. Fluminum, maximè nauigabilium, aqua publica, vſus publicus eſt, non ſingulorum: vnde haurire vnicuique licet, non aquam etiam ducere & deriuare: ne aut flumina exareſcant, aut deterius, aqua depreſsiore facta, nauigentur. Quamobrem & apud Græcos Themiſtocles, & apud Romanos M. Porcius Cato, & L. Valerius Cenſores, omnem aquam publicam ſeu fontium & aquæductuum (quales Lutetiæ cernimus) ſeu fluminum publicorum, in priuatum ædificium aut agrum fluentem ademerunt: & quæ in loca publica inædificata immolatáve habebant, intra dies triginta demoliti ſunt. tantúmque

túmque abest sua se possessione & longo vsu tuerentur ad circumscribenda ciuitatis iura, vt hoc etiam nomine, quasi diutius eo deliquissent, Themistocles fluminum cognitioni & curationi Athenis præfectus, multam seuerissimè dixerit. Idémque postea à Theodosio, Valentiniano & Iustiniano Imperatoribus tit. de Aquæductu, sub maiori pœna, hoc est, prædiorum publicatione vetitum est: nisi quis speciali rescripto ius aquæ impetrauerit: quo tamen ciuiliter vtatur, & sine incommodo publico: quia nunquam aliter à Principe peti atque irrogari solet.

VTI POSSIDETIS.
TIT. LXIIII.

Is potior est in possessione, apud quē nec vi, nec clam, nec precario res postremò fuit.

I. Ex Polybio Megalopolitano, lib. 12.

LOCRIS, cùm duo adolescentes de seruo contenderent, euenerat vt apud alterum (quem placeat Primum appellare) plusculum antea temporis moratus & educatus esset. interea quoq; vt cùm Secundus rus abijsset, seruus sese à Primo in domum Secundi subduxisset, & ibi domino absente & ignorante biduo permansisset. Recognita, Primus ad ædes Secundi se contulit: hinc seruum abstrahit: ducit in ius: suum esse ait. imò ille suum. Interim de possessione oritur controuersia. Primus satisdationem offerebat,

rebat, Rem, si ita iudicatum erit, restitutum iri. etenim ex Zaleuci lege, hunc tantisper rei de qua lis est, quandiúque iudicium agitur, possessione, vinditijs atque interdicto superiorem esse, apud quem litis ordinatæ tempore seruus moratus, educatus esset. Secundus ex aduerso dicebat, legem pro se ipso facere. nam seruum apud se nouissimè educatum esse: ibi postremò seruitutem seruiuisse: quod vel ex eo manifestum est, quòd e domo sua familiáque in ius ad magistratum tractus, abductus sit. igitur apud se potissimum pendēte lite, commodum possessionis esse oportere. cæterum fideiussores dare se paratum esse. Primus etsi concedebat ex ædibus suis hominem in ius non esse adductum: nihilominus aiebat hunc sese etiam antea e domo sua subduxisse, neque alio iure in possessionem Secundi peruenisse. Eum qui vi rapuerit, traxerit, duxerit, etsi pro possessore possideat, iure tamen possidere non videri: nec iustam hanc educationem esse, quæ non pacifica fuit, sed controuersa. Iudices admisso & consulto Cosmopolide (quia de interpretatione legis agebatur) ita pronunciarunt, Educationem semper eos præstitisse videri apud quos id quod in disceptationē venit, postremò quidem vel aliquo tempore, sed sine controuersia fuerit. nunquam verò possessionem violentam vlli agenti proficere, qui ab aduersario vi, clam aut precario possideat, quo magis postremò possedisse videatur. Secundus Patres appellauit. Cosmopolidem iudicio prouocat. eum

Zaleuci

Zalcuci legibus incongruam interpretationem attuliſſe: nec eam mentem legiſlatoris eſſe, quam non ex verbis legis, ſed ex ambagibus collegerit. Coſmopolis de ſententia legis cognoſci non recuſabat, modò ſub Zaleuci conditionibus: quæ erant huiuſmodi, vt ei vndique adſtantibus militibus laqueus immineret, qui videretur deteriorem verbis legis interpretationem Populo attuliſſe. Sed facetè adoleſcens reſpondit, iniquam eſſe conditionem. nam Coſmopolidi grandæuo, ſi victus fuerit, biennij aut triennij: ſibi adoleſcenti, maioris melioríſq; vitæ partis periculũ, damnum, iacturamq́; fore. Itaque hoc dicto faceto & vrbano eluſit quidem iudicij ſeueritatem. cæterum patres pro Coſmopolide pronuntiarunt.

DE VERBORVM OBLIGATIONIBVS. TIT. LXV.

Ex turpi ſtipulatione & obligatione actio non datur: licet honeſtus color & titulus obligationi quæſitus ſit.

I. Ex Valerio Maximo, lib. 8. cap. 2.

148. CAIVS Viſellius Varro dum graui morbo laboraret, trecenta millia nummûm ab Octacilia Laterenſi, cum qua commercium libidinis habuerat, expenſa ſibi ferri paſſus eſt. ſtipulata eſt Octacilia, ſpopondit C. Viſellius: ſed eo conſilio & animo, vt ſi quid ei humanitus accidiſſet, tum modo à ſuis hæredibus hanc ſummam

nam Octacilia peteret, veluti genus legati quoddam: ita sub titulo creditæ pecuniæ tecta inhonesta liberalitate. Accidit vt Varro non moreretur. igitur Octacilia grauiter offensa, quòd præsentis ille suæ prædæ pecuniæq; spem, morte non maturasset: Visellium in ius vocat. Iudex Caius Aquilius à Prætore datur, SI PARERET, C. VISELLIVM VARRONEM EX STIPVLATV TRECENTA MILLIA NVMMVM OCTACILIAE LATERENSI DARE OPORTERE. adhibentur in consilio principes ciuitatis. Negare non poterat Visellius sponsionem à se factam, neque huius nomine emissam esse Octaciliæ cautionem: sed falsum esse dicebat id mutui nomen, quod tabulis contineretur: nihil enim reuera sibi ab Octacilia numeratum. Sin causam aliam afferat: vereri se ne ea sit huiusmodi, quam eius intersit potius obrui silentio, quàm ex ea, lege agere. multa retineri, atque à debitore soluta condici non posse, quorum inanis sit petitio. At contra pro Octacilia dicebatur, vel si minus pudicam eam fateri necesse sit, ac quæsitum stipulationi colorem præter facti veritatem: certè donationis iustam causam obligationi esse. cæterum neque inhonestas donationes, vt circa meretrices, iure prohiberi. Præterea si turpiter faciat, quod pudicitiam non seruauit: iam vero vti est, eam nec turpiter stipulari, nec turpiter accipere: & quod ab hærede Varronis ex testamento rectè consequi posset, id nunc ab ipso

Visellio

Visellio ex stipulatu ferre oportere. Attamen C. Aquilius prudentia & religione sua, mulierem actione summouit. Nam & si ea fuisset Octauia, cum qua adulterium, vt cum meretrice, non cõmitti diceretur:id tamen inutiliter peti, quod turpiter sibi quis stipulatus esset. Idem & C. Aquilium iudicaturum fuisse arbitror, si mortuo Visellio eandem pecuniam ex testamento petijsset: quia legatum sub debiti nomine in fraudem legis, probrosæ fœminæ relictum esse videretur. Certè huiusmodi personis longo interuallo Domitianus Imperator ius capiendi legata hæreditatésque ademit : quo iure in Gallia constantius vteremur, si sanctius esset apud nos siue nomen siue numen Pudicitiæ.

FINIS LIBRI PRIMI.

P. AERODII ANDEG. I. C. DECRETORVM, RERVMVE APVD DIVERSOS POpulos ab omni antiquitate iudicatarum liber Secundus.

DE FVRTIS. TIT. I.

Homines ita ab alieno facile abstinebunt, si artis suæ & industriæ rationem reddant. porro Remp. præmio & pœna contineri.

I. Ex Athenæo, lib. 4. cap. 20. & lib. 5. cap. 2. & ex Diogene Laertio, lib. 7.

HOC Athenis celeberrimum fuit institutum (sed à Solone, vt Herodotus ait, traductum ex Aegyptiorum moribus) quòd otium & inertia in iudiciũ vocarentur, singulísq; annis omnes omnino ciues adesse coram Magistratu tenerentur, responsuri qua arte, quibus opibus ipsi suíq; vitam transigerent. Atq; Areopagitarum hæc inprimis cura ac solicitudo fuit, qui morum atq; disciplinæ publicæ custodes tum merito ab Isocrate appellari potuerunt. Eos, Cleanthem, Menedemum & Asclepiadem nouos Philosophos, & qui in nullis erant facultatibus, euocasse atq; interrogasse memoriæ traditur, quî fieri posset, cum toto die operam Philosophiæ nauarent, ac nihil penitus possiderent,

eorum corpora nihilominus tam bene se haberēt, ac tam robusta essent. cæterum Philosophos iussisse adduci molitorem quendam, & alium item hortulanum, victus sui optimos testes, qui dicerent, vti apud se singulis noctibus aqua nunc haurienda, nunc volutatione rotæ, atq; pistrini, pro opera duas drachmas lucrifacerent. itaque magnopere admiratos Areopagitas non solum Cleanthem, Menedemum & Asclepiadem innoxios dimisisse, sed & ducentarum drachmarum munere donauisse. Cleanthes accipere noluit. Narratur & apud Corinthios hunc morem fuisse, vt si quem cernerent splendidius obsonari: hunc interrogarent vnde ille sumtus ei competeret, quídve ageret. quòd si huic vitæ generi sumtus suppeterent, frui sinebāt. sin autem sumtus facultates excederent, iubebant in posterum moderatius vti: ni parerent, multam imponebant. quòd si nihil cùm haberet, attamē ita splendide & opiparè viueret, necandum carnifici tribuebant: quia aut hunc furem esse, aut noctibus spoliare, aut cum furibus participare, aut falsa testari, aut accusare necesse esset. Et quidem si alibi hac lege vti oportuit, apud nos Obsonomos esse necesse esset.

Qui in agello suo maiores tota vicinia fructus percipit, furtum eum facere præsumi, nisi caussam fertilitatis approbet.

II. Ex Plinio Secundo, lib. 18. cap. 6.

C. FVRIVS Cresinus è seruitute liberatus, cùm in

in paruo admodum agello largiores multò fructus perciperet, quàm ex latiſsimis & ampliſsimis tota vicinitas: à Spurio Albino AEdile Curuli accuſatus eſt. Nam qui poſsit, niſi aut incantationibus vtatur, & fruges alienas pelliciat veneficijs, aut aratro quæſitas, furtim noctu ex alieno in ſuum transferat? quod vtrunque puberi lege 12. tabularum capitale fuit. At Furius Creſinus cùm non perſuaderet, ideo ſe fertiliore agello frui, quod præ cæteris eum benè araret, benè coleret, item crebro ſtercoraret, iſtáque omnia tempeſtiuè ageret: nam cur idem non alijs & ditioribus accidat, qui nullis impenſis, nullis ſumtibus, nulli pecuniæ parcunt? Itaque metuens damnationem, cùm in ſuffragium Tribus oporteret ire, inſtrumentum ruſticũ omne in forum attulit, & adduxit filiam validã, benè curatam ac veſtitam, ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderoſos, boues ſaturos: et, Veneficia mea Quirites hæc ſunt (inquit) nec poſſum vobis oſtendere, aut in forum adducere lucubrationes meas vigiliáſque & ſudores. Id tum rectè viſus eſt dicere, culturam nõ impenſa, ſed opera conſtare: ideóque Liciniana illa ſeptena iugera maiores quæſtus antiquis retuliſſe, quàm nunc præberent ampliſsima veruacta. Quare & illud antiquum Populus Romanus memoria repetens, Oculus domini fertiliſsimus in agro eſt: omnium ſentẽtijs reum abſolui voluit, iuſsit. Igitur & quid ſi aliquis Paridium illum Veterenſem accuſaſſet, de quo L. Iunius

M 2 Colu-

Columella libro 4. is duas filias ac fundum vineis consitum habuit. huius fundi tertiam partem nubenti maiori filiæ in dotē dedisse dicitur, ac nihilo minus solere æque magnos fructus ex duabus partibus eiusdem fundi percipere. Minorem deinde filiam nuptui collocasse in dimidia parte reliqui agri: neque sic tamen ex pristino reditu quicquam detraxisse. Nullis alijs se artibus vsum esse docuisset ille Paridius optimus, quàm quòd postea melius tertiam illā fundi partem coluisset, quàm antea vniuersam.

In re commodàta, aliter vtendo, furtū committitur.

III. Ex Valerio Maximo, lib. 8. cap. 2. & ex Aulo Gellio, lib. 7. cap. 15.

QVIDAM vsque Ariciam, equum alteri commodauerat. hoc cùm illius municipij vlteriore cliuo vectus esset, longiùsque produxisset iumentum commodatum, quàm quò vtendum acceperat: furti postulatus atq; damnatus est. Etenim nemini licere aliena re vti inuito domino. cæterum voluntate domini deficitur, qui aliter atque lex ab eo dicta est, re commodata vtitur: nec ea contrectatio dolo malo & fraude carere dici potest, qua deceptus est qui sic commodauit, alioqui non facturus. Nihil interesse vt furtum contrahatur, ignorante an sciente, si modò inuito domino quis rebus alienis vti velit. denique in eo contractu qui solius accipientis gratia celebratur, & qui tam ad societatem hominum pertinet, fidem vllo modo frangi, minime omnium ferri oportere. Colo-

Colonus qui domini poſſeßionem interuertit, furtum facit.

IIII. Ex Gellio, lib. 11. cap. 18.

COLONVS (per quem nos poſsidere certum eſt) fundum quem à domino conduxerat vendidiſſe dicebatur: atque iſto modo fundi poſſeſsione dominum interuertiſſe. nam & eo caſu poſſeſsio amittitur. Hoc nomine furti condemnatum eſſe quendam à Sabino relatum eſt: quia ſurripi & condici poſſeſsio poſsit, quemadmodum re mobili ſubrepta.

Solo conſilio & malo animo ſine contrectatione, & quanquam res furtiua non reddatur, interdum furtum committitur.

V. Ex eodem auctore & loco.

CVM ſeruus fugitiuus præter oculos domini fortè ambularet, quidam obtentu togæ veluti ſe amiciens, fecerat atque obſtiterat, ne à domino videretur. Ideo furti poſtulatus ac iudicatus eſt: licet qui ſeruo perſuaſerit vt fugeret, fur non ſit: neque eò feciſſe ac cælaſſe probaretur, vt ſeruus ab alio ſubriperetur: & quanquam vulgo dici ſoleat, furtum non committere, qui fugitiuo iter monſtrauerit. deniq; & ita iudicatum eſt, quamuis dominus ſerui fugitiui dominium ac poſſeſſionem retineat, quandiu nemo eum poſsidere cœperit. ideo videlicet, quia poteſt homo fugitiuus propoſito redeundi, domino poſſeſsionem conſeruare. aliter atq; in ijs mobilibus rebus quæ ratione vel anima carét. Mirum igitur quo facto

res furtiua non sit, quēquam furti condemnari. sed placuit mentem, consilium & animum eius intueri, qui quantum in se fuit effecit, ne dominus vnquam serui sui operis vteretur, dominiumq́ tandem siue possessio ab eo recederet.

DE INCENDIO, RVINA ET NAVFRAGIO. TIT. II.

Qui ideo deliquerunt, vt famosi & plus noti quàm nobiles euadant, horum memoria damnanda est.

I. Ex Valerio Maximo, lib. 8. cap. 15.

QVIDAM cùm Dianæ Ephesiæ templum incendere parasset, deprehensus, in quæstione confessus est, id se ideo tentare ac perficere in animo habuisse, quò pulcherrimo opere consumto (etenim tota Asia extruente quadringētis annis perfectum est) nomen suum per totum orbem diffunderetur. Itaque hoc Iudices damnationi addi censuerunt, vt decreto memoria teterrimi hominis aboleretur, neque eum fas esset loquendo aut scribendo nominare.

Incendiarij pro rerum & personarum qualitate interdum solo exilio puniuntur.

II. Ex Dione Nicæo, lib. 40.

CVM Milo Clodium occidisset, ad vrbem nuncio allato, iam populum per se tumultuantem Rufus & Munacius Plancus Tribuni plebis exceperunt: atq; posito in foro cadauere, suis sermoni-

monibus, ad ſeditionem accommodatis, facilè perſuaſerunt, vt rogum in curia ex ſubſellijs ipſis cadaueri conſtruerent. quo factum eſt vt & tota curia incenderetur, atque hinc etiam recta ad domum Milonis plebs cum igne contenderet. Verum ij poſtquam magiſtratu abierunt, pro incendiarijs ac ſeditioſis exilio damnati ſunt: nec Munatio profuit aut reiectio Catonis, aut à Cn. Pompeio cõtra legem à ſe latam, miſſa laudatio.

DE INIVRIIS ET FAMOSIS LIBELLIS. TIT. III.

Ob iniuriam factam à priuatis, non eſt tota ciuitas aut vniuerſa Reſpublica punienda.

I. Ex Plutarcho, in vita Cimonis.

CVM Theſſalorum negotiatores, e Syrijs nonnulli violaſſent, ſuáque propria mercede ſpoliauiſſent: re delata ad Amphyctionas, tota reſpublica Syriorum damni iniuriæ nomine multata eſt. Sed huic iudicio Populus obſequi noluit: quia delicti pœnam & culpam in auctores, non in commune iudicaret reijci oportere. Publicam enim cauſſam à priuatorum culpa ſegregandam. & ſi in ciuitate à multitudine peccatum eſt, non protinus bonis alijſque innoxijs imputandum eſſe.

Iniuria aduerſus magiſtratum atrocior eſt, ideóque exilio punitur.

II. Ex Dionyſio Halic. lib. 7. Liuio, deca. 1. lib. 2. Plinio, de viris illuſtribus.

MARTIVS Coriolanus à Tribunis plebis ad Populũ vocatus, non paruit: & miniſtros eorum cùm iuſsi eum præhendere ac ducere conarentur, ceciderat, pulſauerat. deniq; ne à corporibus quidem ipſorum Tribunorum, qui ſacroſancti ſunt, etſi fortaſſe nimis inſolenter ac turbulentè ſe gererent, manus abſtinuerat. Hoc nomine Coriolanum in exilium perpetuum Populus ire voluit, iuſsit. abijt in Volſcos exulatum.

Poëtis non perpetuo licere, ſine fraude maledicere.
Propter artis peritiam interdum reis indulgeri.

III. Ex Aulo Gellio, lib. 3. cap. 3.

NAEVIVS Poëta cùm ob aſsiduam maledicentiam, & probra in principes ciuitatis, de Græcorum Poëtarum more dicta, in vincula Romæ à Triumuiris ductus, coniectus eſſet (nam æquè probis ac improbis, priuatis atque in magiſtratu conſtitutis maledicere, iniquum eſt. nec placet opinio Socratis dum ait, ſi vera obijciuntur, conducere ad emendationem: ſi falſa, iſtud verò maledicere, quid ad nos? quia ſi quæ in nobis vitia manifeſta ſunt, officium hoc cenſoris ſit, ea nominatim, Poëtæ vero, ſub perſona atque etiam obſcurè notare atque perſtringere) poſtquam tamen alias fabulas in carcere ſcripſit, in quibus delicta ſua, & linguæ petulantiam, qua multos antea læſerat, apertiſsimè diluit: facilè ob artis excellentiam vinculis ſolutus eſt.

Nota grauior eſt aliquẽ in ſcena nominatim lædere.

IIII. Ex

IIII. Ex auctore ad Herennium, lib. 1. & 2.

CAIVS Cælius iudex absoluit iniuriarũ eum, qui Lucilium Poëtam in scena nominatim læserat. existimauit enim inter eos quibus propria maledicentia & inuidia est, hanc nominationem non ad iniuriam, sed ad æmulationem pertinere. denique qui solitus est maledicere, vt idem de se dicatur prius, iure tolerare posse. At Publius Mutius contrà, mimum qui Lucium Acciũ Poëtam in scena nominauerat, cùm nihil aliud defenderet, nisi licere eum nominare cuius nomine scripta dentur in vulgus: hoc ipso condemnauit: habita videlicet personæ, temporis atque loci conditione: quæ à mimo, & de scena atque in conspectu totius Populi Romani, dum res non seria sed ludicra agitur, quenquam eximium virum nomine compellari non patiũtur. Nam etsi plures in instrumentis legi sua nomina, moleste ferunt, quanto magis ea à mimo pronunciari?

Lictor, apparitor, officialis iniuriam non facit, dum edicto magistratus obtemperat.

V. Ex Halicarnasseo, lib. 10.

CVM legem ferre vellet ad Populum Icilius Tribunus plebis: Consules Senatúmque rogauerat, vt eam primò quoque die decernerent. sed moras trahebant Consules, neque vt de ea referretur, Senatum conuocabant. ergo misit apparitorem, qui Consules cogeret. Contrà, à Consulibus per alium suum viatorem, Tribunitius iste

viator remotus est. Ideo Tribunus læsum se esse dicere: hanc iniuriam officiali suo factam, sibi esse factam videri. se sacrosanctum & inuiolabilem esse. ipse in sua an in persona viatoris summoueatur, nihil interesse. itaque Consulum lictorem præhendit, ducit ad socios Tribunos: de capite postulat. Sed caussa cognita, lictori, Consulibus magistratuíque suo paruisse, sine fraude fuit, húncque placuit dimitti oportere.

Magistratui via non decedere, iniuria est.

VI. Ex Plutarcho, in Graccho.

QVANDIV sacrosancta & inuiolabilis est magistratuum auctoritas, ac legum pœna & metu munita reuerentia: eoúsque benè ac beatè ciues in incolumi Republica victuros esse, pro diuino atque certo augurio habendum est. Nunc cùm apud nos leges contemnere, ius fásque violare, manus impias magistratui afferre, minari ac terrorem adducere Iudicibus, omnia vi & violentia agere, religio meliórque rerum constitutio & emendatio est: quid de nostro Franciæ Principatu iam nos in futurum sperare atque expectare possumus? Interim dum legimus Caium Veturium à Romanis veteribus ideo publicè condemnatum, quòd Tribuno plebis transeunti via decedere contumaciter recusasset, neque lictori summouenti obtemperasset, quasi ipsi vniuerso Populo atque Reip. allata iniuria. nihil amplius imperio Romano depræhendere est, nihil augustius, nihil quod propius ad diuinitatem & immor-

immortalitatem accedere videatur. At postremò vbi Consules, Prætores, Tribunos plebis, trahi, necari, interfici summa cum impunitate animaduertimus: rostra, subsellia, forum impleri hominibus armatis, ne vis Iudicibus afferatur: ecce versa pagina accipimus totius Reip. interitum: en rerum noua constitutio, non prudens emendatio est.

Si minor maiori magistratui non assurrexerit, iniuria est.

VII. Ex Plinio, de viris illustribus.

CVM P. Decius Prætor sedens pro Tribunali, transeunte M. AEmilio Scauro Consule, non adsurrexisset: iussit eum Consul adsurgere, eíque vestem scidit, sellam concidit: nequis item ad eum in ius iret, edixit, vetuit. Quæ enim ista impudentia est, minorem magistratum, maiorem præ se contemnere? aut quæ ista ingratitudo, Rempub. in alijs magistratibus despicere, à qua munus suum acceperit?

Tenetur iniuriarum, qui matremfamilias aut virginem appellauerit, sollicitauerit.

VIII. Ex Valerio Maximo, lib. 6. cap. 6.

M. Celer, Gn. Sergio Silo promissorum matrifamilias numorum gratia, diem ad Populum dixit, cúmque hoc vno crimine condemnauit. Itaque non factum, sed animus in quæstionem deductus est, plúsq; voluisse peccare, voluisse contra bonos mores alterius pudicitiam attentare & solli-

ſollicitare Sergio nocuit, quàm profuit reuera non peccaſſe. Sed voluntas cum pacto actum habet: neque non certè grauior eſt corruptela mentis quàm corporis.

Deſinit atrox eſſe iniuria, quæ magiſtratui quidem illata eſt, ſed cùm ſe pro non magiſtratu indecorè ageret.

IX. Ex Aulo Gellio, lib. 4. cap. 14.

AVLVS Hoſtilius Mancinus AEdilis Curulis fuit. is Manuliæ meretrici diem ad Populum dixit, quòd de ambulacro eius noctu lapide ictus eſſet: vulnúſque ex eo identidem oſtentabat. Et re & perſona atrocem eſſe iniuriam, quæ Magiſtratui Populi Romani facta ſit. nec ſe læſum modo, ſed & minutam Populi auctoritatem. denique ex facientis vilitate & indignitate, iniuriam & contumeliam creſcere. Manulia Tribunos plebis appellauit. apud eos dixit, comeſſatorem Mancinum ad ædes ſuas veniſſe: eum ſibi apud ſe recipere non placuiſſe. ſed cùm vi irrumperet, lapidibus ſane depulſum. Tribuni decreuerunt, AEdilem ex eo loco iure deiectum, quò eum venire cum coronario non decuiſſet. propterea ne cum Populo AEdilis ageret, interceſſerunt. Nam vt quæ meretricia veſte, non matronali habitu veſtita fuerit, ægrè ſi quis eam appellauerit, aut ab ea comitem abduxerit, iniuriarum actionem habet: ita Magiſtratus qui cum imperio & poteſtate eſt, ſi pro faſcibus, cum ſertis & coronis in eo loco reperiatur, quò etiam alios

alios accedere, prohibere debuisset: ei si iniuria fiat, de se magis quàm de alio queri oportet. Postremò vim etiam in meretricem cadere. ergo vim vi repellere iure licuisse. nam & si quis palam corpore pecuniam quæreret, aut se lenoni locauisset, etsi famosus & suspiciosus sit: vim in corpus liberum adferri non æquum esse veteres censuerunt, vt ex M. Catone scripsit Nonius Marcellus.

Seruo allata iniuria, minor: à seruo libero homini facta, certe grauior est.

X. Ex Dione, lib. 60.

CVM quidam Tribunus plebis seruum Claudij Augusti in publico percussisset: Claudius Imperator, etsi seruo suo allata esset iniuria, seruo tamen allatam esse cùm sapientissimè iudicasset, nihil aliud in eum statuit, quàm quòd Tribuno plebis ministros abstulit, & aliquo postea interuallo restituit. Seruum suum alium, qui virum illustrem probro affecisset, in forum trahi, atque flagris necari iussit. Certè Atheniensium legibus æquè de iniuria seruis atque ingenuis fieri prohibita, nominatim continebatur: non ideo quia (vt præclare in Timarchum AEschines ait) seruilis conditionis homines tantæ curæ legislatori fuerint: sed quia ciues assuefacere voluit, vt se à contumelia ingenuorum magnopere temperarent, hoc etiam adscripsit, Nè quidem seruis iniuriam faciendam esse. ideo deniq; quòd cum ad ciuilem consuetudinem minime

nime idoneum iudicaret, qui in libera ciuitate quacunq; in re contumeliosus & iniuriosus esset. Apud nos vero quo quis insolentior est, hoc illustrior & nobilior est.

Qui iniuriam iniuria repellit, innoxius est.

XI. Ex Suetonio, in Vespasiano cap. 9.

CVM de iurgio quodam Senatoris Equitísque Romani, Diuus Vespasianus Augustus ipse cognosceret: ac pro Senatore dicetetur, tanti ordinis homini quoquo modo factam iniuriā ferri non oportere, etsi ab eo cœperit, non etiam vltrò Eques intulerit: ita pronunciauit, Non oportere maledici Senatoribus: remaledici, ciuile fásque esse.

Publico consilio facta iniuria, publica eget animaduersione.

XII. Ex Cornelio Tacito, annalium lib. 20.

IISDEM ferè temporibus, cùm in Senatu Manlius Patricius ordinis Senatorij pulsatum se in colonia Senensi cœtu multitudinis atque iussu magistratuum quereretur: vocati qui arguebantur: & caussa cognita in conuictos vindicatum, additumq; senatusconsulto, vt Senensium plebs modestiæ admoneretur.

Scripta monumenta, inuito authore producere, edere, capitale esse.

XIII. Ex D. Hieronymo, ad Pammachium, in epistola, de optimo genere interpretandi.

ESE-

ESECHIVS vir Consularis, cum Patriarcha Gamaliele grauissimas exercuit inimicitias. Itaque diffamandi Gamalielis seu opprimendi caussa, atque vt eum suis ipsius testimonijs conuinceret, quem sciebat ad exercitationem multa in hanc illámque partem dictare ac scribere: sollicitato notario chartas Gamalielis inuasit, & in publicum protulit. Querela à Gamaliele ad Theodosium delata, Esechium capite condẽnauit. Nam & seruos alienos in necem domini sollicitare, corrumpere: & calumniandi occasionem ex ipsis laribus ac focis, qui vnicuique nostrum sanctissimi, tutissimi atq; fidelissimi esse debent, anxiè aucupari, flagitiosum esse. Postremo & quis amplius audeat nedum hiscere, aut manum ad tabulas apponere, si quod nobis ac Musis duntaxat scribimus, canimus, neque ex animi sententia plerunque, sed styli acuendi caussa, vel ad id quod scimus vtile esse, dissuadendum: vel cõtrà, quod inutile & inhonestum, persuadendum, id inuitis nobis auferatur, & in publicũ exeat? Plane & si quis apud se vel famosissimum libellum descripserit, tamen si non ediderit aut produxerit, imò si corruperit, suppresserit, lege Cornelia non teneri: quemadmodũ & si quis venenum habuerit, nisi caussa necãdi hominis habuerit. Non enim siue crimen, siue maledictum esse posse, quod nulli aut dictum aut obiectum sit: nec conuicium esse absque vociferatione. ideóq; & qui curauerit conuicium fieri, attamẽ si factum non fuerit, non teneri. Denique, vt à Valentiniano &

Valen-

Valente rescriptum est, qui famosum libellũ repererit, modo non manifestauerit, etsi illum penes se habeat, nihil aduersus legem committere. alioqui fore vt cogitationis quis pœnam subeat: quia quod apud quemlibet in bibliotheca lateat, id adhuc in animo latere videatur. Itaque si quid illæ tabulæ famosi habuerunt, non Gamalielis, qui scripsit, sed Eschij qui protulit, iniuriam esse. quæ authori capitalis merito fuit, quòd in alienũ caput excogitata & pręparata esse videatur.

DE EXTRAORDINARIIS CRIMINIBVS, TIT. IIII.

Nimiam lautitiam veteribus crimini fuisse.

I. Ex Valerio Maximo, lib. 8. cap. 1. Suetonio, in Augusto, Plutarcho in Sylla, Plinio Secundo, lib. 8. cap. 45.

QVID de hoc tam graui, támque seuero, præfracto & abscisso Populi Rom. iudicio nunc dicemus, apud quos nulla iam ferè est mentio parsimoniæ? nam M. AEmilium Porcinam à L. Cassio accusatum crimine nimis sublimè extructæ villæ in Alliensi Agro, graui multa Populum Ro. affecisse, recitatur à Valerio Maximo. Videlicet his antiquę probitatis ac frugalitatis hominibus placebat vnumquemq; non solum publicè, sed etiam priuatim, continẽtem, frugi, parcum, ac non modo ciuem bonum, sed & patremfamilias optimum esse oportere. Ex

priuata luxurie, abundantia atque nimio splendore, æstimari quæ publica esset cuiusque de cæterorum ciuium vita, bonis ac fortunis administratio. quia vita nimium spendida & copiosa, nunquam à bonis alienis abstinet: sed & perpetuo tyrannicum aliquid præ se gerit. Etenim, in ea ciuitate maximè, quæ Populi suffragijs aut paucorum arbitrio regitur, alium alij ciui, fortunis & opibus magis quàm virtute antecellere, nunquam suspicione caruisse. ideoque Valerio Publicolæ domum in Palatio constructam, crimen affectatæ tyrannidis attulisse: & apud Græcos populos, exilium id quod Ostracismum appellabant, idcirco institutum. Denique Reip. interesse, neminem re sua malè vti, non ad superbiam & prodigalitatem. Itaque Rutilium Rufum, modũ ædificijs attulisse: Lycurgum Lacedæmone, vt tecta domus, non alio instrumento quàm securi: tabulata, quàm dentato perficerentur. Hinc & leges Oppias, sumtuarias, vestiarias de minuendis dotibus, de sumtibus funerum, aliáque innumera huiusmodi: quæ hominum libido, potentiorum atque primariorum exemplum, in omni Rep. semper abrogauit. Verùm vt ad illud Populi Ro. iudiciũ reuertamur: huic similis fuit Fabricij Lucini nota Censoria. nam ideo Senatu mouit Cornelium Rufinum, iam duobus Cõsulatibus & Dictatura speciosissimè functũ, quòd decem pondo vasa argentea comparasset. Similis itẽ M. Antonini & Lucij Flacci nota Censoria aduersus Duronium, quòd legem latam de coër-

cendis conuiuiorum sumtibus, Tribunus plebis abrogasset. Quidam etiam inter reos, die dicta, relatus & damnatus est à Populo Romano, quòd puerali & concubini sui nimis amore corruptus, rogatus ab eo ruri vt omasum in cœnam ferri præciperet, cùm bubulæ carnis in propinquo emendæ nulla facultas esset, domito boue occiso, desiderium eius impleuisset. itaque in exilium actus est, tanquam colono suo interemto.

Interdictionis pulcherrimum genus.

II. Ex Athenæo, lib. 4. cap. 20.

AT etiam Græci sua habuere Censoria iudicia. Athenis Areopagitæ cùm Demetrius, Demetrij Phalerei, luxuriosius vitam ageret, & Aristagoram Corinthiam amicam domi posśideret: vt melius & honestius viueret, imperarunt. Ephori quoque, cùm Gnosius Lacedæmone insolenter se gereret, vetarũt ne cum iuuenibus versaretur.

Donis ac muneribus publicis insolentius vti, non sine crimine fuit. Præterea carcerem haberi & ad puniendos etiam homines, non solùm continendos.

III. Ex Plinio Secundo, lib. 21. cap. 3.

ANTIQVAE parsimonię ac continentię apud Romanos veteres, hoc etiam graue & nobile est exemplum. Cum superbius atq; luxuriosius esse videretur, passim & publicè coronis vti etiã ludicris: quæ virtutis eximiæ caussa duntaxat, ab

initio

initio ciuibus à Republica concedebantur, magísque vt post mortem in statuis aut imaginibus suis, & ad pompam exequiarum, quàm vt viui (quod perpetuo accidit) ad inuidiam vterentur: Lucius Fuluius argentarius bello Punico secundo, cùm interdiu e pergula sua cum corona rosacea in forum prospexisse diceretur: ex auctoritate Senatus in carcerem adductus, non antequam bella finirentur, emissus est.

IIII. Ex eodem.

PVBLIVS quoque Munatius cùm demptam Marsiæ coronam e floribus, capiti suo imposuisset: atque ob id duci in vincula Triumuiri iussissent: etsi Tribunos plebis appellauit, tamen non intercessere.

Non in potestate nostra est, filios nostros ita erudire, vt rebus gerendis in Republica sint inutiles.

V. Ex Cicerone, lib. 3. officiorum & Valerio Maximo, lib. 5. cap. 4. & C. Plinio, de viris illustribus.

ETSI non fuerit hoc peractum iudicium, sed iureiurando adactus accusator, ab accusatione destiterit: vtile tamen est posteritati cognoscere quid in iudicio versaretur, vt nostri temporis homines sciant (quam rem maxime prætermittunt ac negligunt, vt si parum ad Rempub. pertineat) fidem, religionem atque puerorum institutionem, hanc olim neque reprehensione neque

animaduersione caruisse. L. Manlio A. filio, cùm Dictator fuisset, M. Pomponius Tribunus pleb. diem dixit, quòd is paucos sibi dies, licet occasione benè faciendi belli, ad Dictaturam gerendã addidisset. Criminabatur etiam quòd Titum filium, qui Torquatus postea est appellatus, ab hominibus relegasset, & ruri habitare iussisset: itaq; hunc publicis vsibus subtraheret: cùm nihilominus qui liberi nostri sunt, non tam nobis quàm Reipublicæ nascantur. Sed cùm audisset adolescens filius negotium exhiberi patri: accurrisse Romam, & prima luce Pomponij domum venisse dicitur. cui cùm esset nuntiatum: quòd illum iratum allaturũ ad se aliquid contra patrẽ arbitraretur, remotis arbitris ad se adolescentem venire iussit. At ille vt ingressus est, confestim gladium distrinxit, iurauitq; se illum statim interfecturum, nisi iusiurandũ sibi dedisset, se patrem missum esse facturum. Itaque iurauit hoc terrore coactus Pomponius. rem ad Populum detulit. docuit cur sibi à causa desistere necesse esset Manlium missum fecit. Tantum temporibus illis iusiurandum valebat.

Nimia virtus & industria, plerunq; periculosa est.

VI. Ex eodem, lib. 8. cap. 16.

HANNO e Pœnorum clarissimis, primus hominum, leonem manu tractasse autus, & mansuefactum Populo Carthaginensi ostendisse traditur. Hoc certè argumento dãnatus est: quoniam

nihil

nihil non persuasurus vir tam artificis ingenij videbatur: & male credi libertas ei, cui in tãtum cessisset ipsa etiam feritas, tam superbum, tam sæuum, tam crudele animal. Omnino in quolibet Politiæ genere, non tam per se malum est, cæteros omnibus ingenij partibus, virtute ac fortunis anteire, quàm minus pro communi libertate, rerum tranquillo statu, & eorum qui soli dominationem & imperium habent, dignitate, tutum atque oportunum. Igitur eadem res per se optima, necem exiliumq́ summis atque fortissimis viris sæpissime attulit, dum apud alios timor, apud alios versatur inuidia. Non minùs contemni, quàm suspici nocet. Sic & virtus sua iura, suas leges, suos terminos habet: quos vltra modum excitare ac producere, hominibus nefas & piaculum est.

Impiorum votorum accusatio & damnatio.

VII. Ex Annæo Seneca, lib. 6. de beneficijs.cap.38.

IMPII voti à Demade Athenis quidam accusatus est, qui cùm necessaria funeribus venditaret, grande lucrum vt in hac arte sua faceret, optasse dicebatur. Id nisi ex mala mente & pessimo in Remp. odio proficisci, cuius hic compos esse nequeat, sine multorum nece, strage & interitu. Satis per se detestandas atque abominandas opes, quæ tam infœlici & lugubri officio seu cōmercio paratę sunt: quàm vt etiam solenni voto palam & publicè cum damno publico miserè

concupiſci & affectari debeant. Etiam verbis impijs crimen læſæ Reip. maximè exacerbari. Quòd ſi tacuiſſe quæ ad ſalutem ſuorum ciuium totiusq; Reip. pertinent, crimini vertitur: cur non & ea pronunciaſſe, quæ niſi ad interitum pertinēt? Contra pro reo dicebatur, quod ita fortaſſe optaſſet, non eo animo feciſſe quo arguitur. rem aliter atque benignius (quod in criminibus fieri ſolet) arripi atque interpretari poſſe, Vt hinc magnum lucrum faceret, non quòd multis venderet, ſed vt carè venderet quod paruo & vili pretio comparaſſet. Iam etſi quid ſubſiniſtre cogitaſſet, an ideo ſceleris vicem obtinere debeat? ſi quid cōmiſſum eſt, quod quidem repræhendi poſsit, etiámne id ſtatim vindicari ac damnari oportere? Quis non hac ratione puniendus eſt? Omnes ex alieno incommodo lucrum facimus. Miles bellum optat in prædam & gloriam: Agricolam erigit caritas & difficultas annonæ: quia annona pretium niſi in calamitate fructuum nō habet. Medicis grauis annus in quæſtu eſt. inſtitores delicatarum mercium iuuentus corrupta locupletat. exceptat precium eloquentiæ, litium numerus. omnia tamen iſtorum tam nota ſunt vota, quàm impunita. quia reuera in hoc omni genere facilior eſt exiſtimatio, quàm reprehenſio: ideo quòd qui iſta deſiderant, auaros poſſumus exiſtimare: crimen in eo conſtituere non tam facilè poſſumus. Denique ſi ſe quilibet excutiat, inſpiciatq; quid tacitus optet, vix eſſe qui ſe innocentem prædicare poſsit: in ſuóque

ſinu

ſinu inueniet, quod in alio reprehendit. Attamen Iudicum ſententijs condemnatus iſte eſt deſignator & libitinarius: quia etſi taciti multa interdum communi vitio naturæ, & errante magis quàm fixo animo concipimus: id certe continuiſſe, imperfectæ & irritæ: protuliſſe, conſtitutæ & conſummatæ voluntatis atque malitiæ eſt. quod quia, cuicuimodi ſit, cùm exemplo nocet, tum ad perfectiorem actum peruenire poteſt: merito præueniendum fuit legibus, multa, aut alia extraordinaria animaduerſione.

VIII. Ex Gellio, lib. 10. cap. 6. & epitome Liuiana libri 19.

BELLO Punico primo, Fabio Licinio & T. Acilio Craſſo Conſulibus, inſigne Romanæ diſciplinæ dignitatíſque inuiolabilis indicium extitit: cùm non in facta modò, ſed in voces etiam petulantiores publicè vindicarent. Appij Cæci filia, à ludis quos ſpectauerat, exiens, turba vndique confluentis fluctuantíſque Populi miſerrimè iactata, cùm ſe malè habitam diceret: cœpit exclamare, Ecquid in me tunc factũ eſſet, quantóve arctius preſsiúſque conflictata eſſem, ſi Publius Claudius frater meus contemtis auſpicijs, nauali prælio claſſem nauium, cum ingenti ciuium numero non perdidiſſet? certè quidem maiore nunc copia Populi oppreſſa, intercidiſſem. Sed vtinam (inquiebat) reuiuiſceret frater, aliámque claſſem in Siciliam duceret: atque iſtam multitudinem perditum iret, quæ me malè nũc

miseram vexauit, impulit. Ob hæc verba tam improba ac tam inimica, C. Fundanius, & Tib. Sempronius AEdiles Plebei, multam ei dixerunt, æris grauis 25. millia.

Consilij mali, impij, & inhonesti supplicium.

IX. Ex Plutarcho, in vita M. Bruti.

VVLGARE est de Theodoto præceptore Ptolomæi Regis Aegyptiorum, qui quod Pompeium interfici persuasit, cùm eò se victus à Cæsare in fidem recepisset, tandem in Asia à M. Bruto depræhensus, merito supplicio affectus est. nam qui non eius consilij nomine pœnas luat, quo iura omnia, & fides publica violantur? quo nullum vnquam minus amicitiæ, hospitij, debitæ gratiæ iura seruata sunt? Denique quibus in locis Regem puerum esse accidit, quorum consilio res interim reguntur: id eis perpetuò fraudi esse oportere, si quid tam impiè consulant. Præterea & Theodotum memoriæ Pompeij insultare solitum esse à plerisque traditur: nunc proculdubio se magnum oratorem esse qui solus Pompeium Magnum suo sermone occidi persuaserit. ergo & pessimum & fraudulentum consilium vindicari placuit.

Rumores non temere spargi oportere, siue in bonam siue in malam partem.

X. Ex Valerio Maximo lib. 1. cap. 8.

POSTRIDIE quàm reuera confecto bello Ma-

cedonico, Perſes à Paulo Aemilio captus eſt: Publius Vatinius id ſicut omnino euenerat, ad Senatum retulit, duobus quidem adoleſcentulis (vt dicebat) auctoribus, ſed quos laudare aut adducere non poterat. Itaque viſus eſt inani ſermone & incredibili, maieſtatem & amplitudinem Senatus nimis inuerecundè contemnere. nam quî fieri poſsit, vt quod tanto locorum ac regionum interuallo geſtum, actum & tranſactum eſt, is tam cito, ſolus, ac propè eodem die reſciuerit? Ergo placuit, hoc Publium non impunè ferre, intereáque vinculis & carcere contineri. Nam præter neglectam & illuſam Senatus auctoritatem, ad Remp. etiam multum pertinere, in rebus tam magni momenti, falſos rumores miniméque veroſimiles, non temerè ac ſine certo auctore ſpargi in vulgus: vnde ex gratulatione ac ſumma lætitia, incredibilis mœror ac ſumma conſternatio, aut vice verſa, leui & inconſtanti Populo ſtatim oboriri poſsit: quo nihil vel corporum valetudini, vel publicæ ſecuritati periculoſius atque calamitoſius poteſt accidere. Sed vbi tandem à Caſtore & Polluce hoc verum indicium proficiſci, ſibi Senatus poſtea perſuaſit: Vatinius cuſtodia liberatus, & inſuper agro atque vacatione donatus eſt.

XI. Ex Plutarcho, in Nicea.

NARRATVR idem iudicatum eſſe Athenis, cùm in tonſoris officinam hoſpes adueniſſet: qui otiandi cauſſa (vt ferè fit) ibi vt de re plane cog-

nita narrare cœperat, victos in Sicilia, sub ducibus Nicia & Demosthene, Athenienses. Nam cùm protinus rem ad magistratus tonsor enuntiasset, totaq; vrbe diuulgasset: hospes ille quia non satis constanter affirmare, nihílque certi edocere videretur, publico iudicio tortus ac vinctus est, quandiu certum nuntium alius itémque alius attulisset. Atque ob hanc caussam præclarum illud maiorum nostrorum institutum digne satis nunquam laudari potest, quo continebatur, vt si quis quid de Republica à finitimis rumore aut fama communi accepisset, id ad magistratum deferret, néve cum vllo alio communicaret: quia certe homines temerarios atque imperitos falsis rumoribus terreri, & ad facinus impelli, & de summis rebus consilium capere, solenne atque ordinarium est. Quod ad Magistratus attinet, vt quæ visa essent, occultarent: quæ ex vsu esse iudicauissent, ea multitudini proderent. Sed & de Republica nisi per concilium loqui permittebatur. ita enim lib. 6. apud Cæsarem legimus.

Nimia quoq; ingratitudo, maximè quæ cum fraude & incommodo alieno coniuncta est coërceri debet.

XII. Ex Annæo Seneca, lib. 4. de beneficijs, cap. 37.

PHILIPPVS Macedonum Rex habuit strenuum quendam militem, cuius vtilem operam expertus in multis expeditionibus, sæpissime aliquid ei ex præda virtutis caussa conferebat, & homi-

hominem auarum crebris autoramentis accendebat. Is naufragus, in possessiones cuiusdã ignoti sibi antea Macedonis expulsus est: à quo cùm humaniter acceptus, recreatus, sanatus, viatico instructus esset, nullo prætermisso officio hospitalitatis: interimq́ dum nihil aliud miles sæpius obtunderet, quàm se tam liberalis erga se beneficij tum gratiam habiturum, cùm primùm per valetudinem ad Philippũ sibi redire licuisset: tamen reuersus, narrauit quidem Imperatori suo naufragium: sed de isto officio & auxilio nullum verbum. quinimo protinus id cum magna contentione petijt, vt sibi compensandi istius damni ac periculi caussa, Rex cuiusdam prædia maritima donaret, assignaret. Fecit: ipsaq́ illa fuere huius tam grati hospitis, à quo miles sanatus ac receptus erat. Verùm ille prædiorum dominus, vbi se tam indignè ab eo à quo minimè oporteret, expulsum vidit: rem omnem liberè narrat Philippo per epistolam: qua lecta, & rei veritate accepta, eáque perquisita diligenter: Pausaniæ mandauit, curaret vt bona priori domino restituerentur: cæterum improbissimo militi, ingratissimo hospiti, auidissimo naufrago stigmata inscriberentur huiusmodi: Hic ingratus hospes est.

Romanis veteribus res fuit supplicio digna, vxores vinum bibere.

XIII. Ex Caio Plinio, lib. 14. cap. 13.

ROMAE diu fœminis vinum bibere non licuit: adeoq́ id mariti in vxoribus aut fomentum aut argu-

argumentum impudicitiæ esse existimabant, vt solis propinquis (quia vel osculo solo pudicitiam mulieris delibari veteres existimarunt) hac de caussa osculum dare permitteretur, vt eo sciret, hoc ipsum vlturi, an temetũ mulieres biberent. Sed ne hæream⁹ in re minime incognita: Egnatius Mecennius cùm vxorem fuste interfecisset, quòd ea vinum bibisset e dolio: cædis accusatus ad Romulum ex Patrum sententia absolutus est. Mecennium enim & leges, quas vxor violarit: & morem patrium, quem neglexerit: & matrimonium suum vltum esse: quasi eam in adulterio depræhenderit, quæ incitamenta maxima libidinis, furtim atque nimis auidè sectaretur.

Ex eodem, & ex Lactantio Firmiano, lib.1. cap.22.

CERTE & Cneus Domitius iudex pronunciauit, in caussa eius mulieris, quæ quòd vinum bibisset, morbo excusabat: videri plus vini bibisse quàm valetudinis caussa, viro insciente: & ideo dote multauit. Ideóque & Pompilium Faunum Fatuam Faunam virgis myrteis ad mortem vsq; cecidisse, quòd contra morem decusq; Regium, clàm vini ollam ebibisset, & ebria facta esset.

Noxiarum rerum & quæ vexationem afferant, inuentores pœnam mereri.

XIIII. Ex Plinio Secundo, lib.34. cap.8. & Paulo Orosio, lib.1. cap.20.

PERILLVS quidam æris opifex, cùm id ageret,

ret, vt nouis suppliciorum generibus, Phalaridis tyranni crudelitatem recrearet, aleret: fecit vt tauro suo æneo, in quo pariter sontibus atq; insontibus impositis, igneq; supposito, ex clamore & sonitu vocis, mugitus pecudis, non hominis gemitus esse appareret: ipso Phalaride Siculo sæuior atque inhumanior haberetur. Itaque vel ab iniquissimo atq; iniustissimo tyranno extorsit hic Perilli non hominis, sed bruti sæuior animus, iustiorem sæuitiam. etenim Phalaris inuentoré ipsum & artificem, cruciatũ experiri iussit. Simili certè præmio digni qui in Republica nullam aliam artem profitentur, quàm vt varia ac noua tormẽtorum genera, hoc est, tributorum, vectigalium, portoriorũ, quibus misera plebs dilaniatur, Principibus suggerant. nam ista vnde prodeunt, nisi ex turbulento, iniquo, factioso, ac societati humanæ inimico animo? Verũ hi apud nos in pretio habentur: neque iam istius Porcherij Treuirensis, de quo Nicolaus Egidius in Chilperico Rege, vlla memoria atque recordatio est, qué populus lapidibus obruit, propterea quòd noua vectigalia inuenisset. Hinc itaque colligi possit, quo in statu sint res Gallicæ, postquã nulla fides, nulla amplius religio est: Magistratuum rerumq; iudicatarum nulla maiestas, nulla auctoritas: omnia luxu & luxuria abundant: deniq; vnum iam restat immune aër. nam Ius Iustitiáque ipsa diu est cùm veneat, in exordio, media lite, & post perfectum iudicium.

Longe

Longo pòst tempore rationem pecuniæ publicæ reposcere, & captare bonorum publicationes, periniquum atque inhumanum esse.

XV. Ex Dione Nicæo, lib. 59.

CNEVS Domitius Corbulo Senator, Caio Imperatori hanc inuenerat pecuniæ conficiendæ rationem, si vias exigeret ab ijs omnibus, qui eas sub Tyberio curandas locauissent. multos aut contra legem, aut vitio curauisse: neq; etiam fortassis in refectionem tantam pecuniam collocasse. huius nomine grande lucrum, pœnis & multis parari posse. Placuit (vt nunc semper in Gallia) nouum aucupium. Itaque viuis ac mortuis simul exquisitæ insidiæ: sollicitata omnium patrimonia. & ideo certè Corbulo Consul pro pręmio factus est. Verùm vbi Claudius imperio potitus est, ob id accusatus & damnatus est: ex ipsiúsque bonis, ijs à quibus multæ exactæ essent, pecunia restituta. Quid enim hoc hominum genere pestilentius dici aut excogitari potest, & quos minus omnium ferri oportet, qui iuris ac iustitiæ nomine, ad latrocinia, ad prædas, ad vexationes & calumnias abutuntur? Non sunt in Gallia nunc (opinor) huiusmodi, fidi fiduciarijque ex Italia nobis acciti consignationum litiúmque redemtores. quòd si Romanorum legibus vteremur, vt in multis vtimur, periculo suo discerent, id eis, vt in Italia ne hodie quidem: ita neque in Gallia licere.

Inter liberos Principum serere inimicitias, grandissimum

mum scelus est. & eos ita recte institui, si ne mutuo quidem in ludicris opponantur.

XVI. Ex Herodiano, lib. 3.

SEVERVS Imperator Antoninum & Getam filios habuit. cùm, ne inuicem hi dissiderent, omni opera, cura ac diligentia præcaueret, ideo quia magnas ex discordia fratrum calamitates oriri necesse est: itaque luberet eos ludis spectaculísque abstinere, ne, vt studia & certamina semper in diuersum, atque id naturaliter, tendunt: etiam animi iuuenum, quibusdam quasi admotis contentionum atque inimicitiarum facibus, inuicem distraherentur: omniáque tamen frustra essent propter adulatorum ministeria, qui in hoc vno non solum laborabant, vt adolescẽtium cupidinibus flagitiisque obsequerentur, verũ etiam vt noua identidem excogitarent, vnde alteri gratulatio contingeret, alter offenderetur: adulatores ac corruptores istos Seuerus atrocissimo ac seuerissimo supplicio vindicauit. quia nullus sit tam publicæ trãquillitatis perniciosus inimicus, quam qui id quo maximè sustẽtatur, Principum ac Procerum concordiam, quantum in se est, dissoluit ac distrahit.

Principum liberalitatem intercipere, quod fumum vendere antiqui appellarunt, capitale esse.

XVII. Ex AElio Lampridio, in Alexandro Seuero.

VETRONIVS Turinus fuit. is cùm Alexandro

dro Seuero familiarior fuiſſet, ſic omnia certè venalia proponebat, & Præpoſituras & Prouincias, dum mentiẽdo omnibus perſuaderet, nihil non Imperatorẽ ad nutum ſuum exequi: vt Alexandri quaſi fatui hominis, & quem ille in poteſtate haberet, imperium traduceret. Verùm is poſtea tandem hac arte ab Alexandro depræhenſus eſt. Immiſit aliquem, qui de ſe quiddam publicè peteret: à Turino verò præſidium occultè poſtularet, vt pro ſe Alexandro rem atq; negotium ſecretò ſuggereret. Hîc, Turinus cùm ſuffragium promiſiſſet: inprimis, etſi ne verbo quidẽ Imperatorem cõueniſſet, ait, ſe cum eo locutum eſſe: ſed in eo pendere, vt adhuc impetraret. Ibi verò Alexander, quò res notior eſſet, iterum iubet hominem interpellari. Amplatum mercede accepta, imperatorem alloquitur: impetrat. & tamen quia nihilominus quærenti de ſe, quid actum eſſet, quaſi aliud agẽs nunc annueret modò, nunc ſe nondum impetraſſe adfirmaret, hominémque indignè fruſtraretur ac ludificaret, non alio animo videlicet, quàm vt maiora præmia perciperet: accuſari eum Alexander iuſsit. probatíſque per teſtes omnibus, & quibus præſentibus quid accepiſſet: denique poſtquam diligenti quæſtione & inquiſitione facta, reum inuenit in multis etiam alijs cauſsis ab vtraque parte accepiſſe: in foro tranſitorio ad ſtipitem Turinum alligari, fumóque appoſito, quem ex ſtipulis atque humidis lignis fieri præceperat, necari iuſsit, præcone dicẽte, Fumo punitur, qui

vendi-

venditum fumum. Hos Licinius Imperator tineas & mures palatij appellabat.

DE SEPVLCHRO VIOLATO, TIT. V.

Regum ſepulchra violare, capitale eſt.

I. Ex Plutarcho, in Alexandro.

PERSIS Alexander Magnus Polymachum præfecerat ſummo loco natum, atque inter ſuos facile principem. Verum cùm eò impietatis & auaritiæ prorupiſſet, vt nedum à viuentium bonis, ſed ab Cyri Perſarum Regis ſepulchro violando, fodiendo, ſpoliandóq; non abſtinuiſſe diceretur: ob id accuſatus coram Alexandro, luit capite ſepulchri violati crimen. Sed nos qui Chriſtiani volumus appellari, & quibus ideo iura ſepulchrorum ſanctiora & religioſiora ſunt, quia corporum vt animorum reſurrectionem fide amplectimur, quot Polymachos habuimus? Habuiſſe turpe ſit: ſed habere adhuc, quod monſtrum quódve piaculum eſt?

Spuere in cadauer, ſumma & capitalis noxia eſt.

II. Ex Pomponio Læto, de progenie Heraclij.

HERACLIVS Imperator ex Fabia Eudoxia vxore habuit Epiphaniam & Heracliũ, qui Conſtantinus nouus appellatus eſt. Cæterum cùm defunctæ Fabiæ funus efferretur, Epiphania forte quadam ſpuit per feneſtram, contigítque vt

matris elatum corpus sputo attingeret. Ergo Epiphania nulla mora facta, cōprehenditur, vnaq; cū cadauere rogo imposita, viua exuritur. Nam siue id imprudentia factum erat, siue malo & impio animo; perinde haberi placuit: ideo quia & de matre quid per viam ageretur, & quo in loco spueret, dissimulare non potuit: vt si ne in corpus quidem defunctæ matris sputum cecidisset, tamen id totius pompæ fuerísque vel ludibrio vel indignatione fecisse videretur. Hanc igitur iniuriam, quæ ad Deos, ad parentes, ad Imperatorem, ad Populum Romanum pertineat, subito atque seuerissime vindicari debuisse.

DE PRAEVARICATORIBVS. TIT. VI.

Qui priuato iudicio accusat, ne publicè reus accusari possit, præuaricator est.

I. Ex Cornelio Tacito, Annalium lib. 14.

VALERIVS Ponticus, reos, ne apud Præfectum vrbis arguerentur, qui pro officio in omni quæstione solebat animaduertere, ad Prætorem deferebat, cuius non tanta erat coërcitio, sed iurisdicto magis quàm imperium. atq; hoc interim agebat specie quidem legum, sed mox præuaricando vltionē illusurus. Nam cum de crimine & ciuiliter & priuato & publico iudicio agi posset: semel tamen ab alio delatum, eiusdem criminis alius deferre non poterat: minus verò, absolutum repetere, actione publica

consumta, nisi de prioris accusatoris collusione & præuaricatione prius constitisset, atque pronuntiatum esset. At Valerius Ponticus ciuiliter agendo, aut priuato iudicio accusando, præuaricatus esse dici non poterat, quia propriè præuaricator sit qui publico iudicio accusauerit. Sed de hac fraude cùm Senatui Romano, sub Nerone, iudicanti apparuisset: placuit Valerio Italia eàque Prouincia quà oriundus esset, interdici. additúmque senatusconsultum est, qui talem operam emtitasset, vendidissétve, vt perinde pœna teneretur, ac si publico iudicio calumniæ condemnatus esset.

Interdum postulari potest, veluti propter summam accusatoris infamiam, vt prius de præuaricatione quæratur, quàm reus peractus sit: neque accusatori damnato proderit, reum postea absolutũ esse.

II. Ex Plinio nepote, lib. 3. epistolarum.

ETSI lege cautum erat, vt reus ante perageretur, postremò de præuaricatore quæreretur: videlicet quia optime ex accusatione ipsa accusatoris fides æstimatur, nequedum ordo exercendorum publicorum iudiciorum in vsu esse desijsset: tamen cùm Norbanus Licinianus electus à Bæticis ad inquirendũ aduersus Cæcilium Classicum, reus postulatus esset, tanquam in caussa Castæ, vxoris Classici, præuaricaretur: tanta ex alijs flagitiosis criminibus conflagrauit inuidia, vt nihil ei ordo legis præsidio fuerit. quare statim respondere coactus, extra ordinem adductis

probationibus, damnatus & in insulam relegatus est. Sed & postea res accidit noua & contraria, vt accusatore præuaricationis damnato, rea absolueretur. Verùm in dubijs atque incertis quoque probationibus, accusator præuaricari potest. reus verò, non alijs quàm certis & manifestis argumentis condemnari debet. Præterea vt de aliquo pronuncietur, videri hunc præuaricatum esse, sufficere si doceatur, instrumenta corrupisse quę ad accusationem pertinebant: sed reus contra peragi non potest, nisi quid omnino instrumentis his aut testimonijs corruptis contineretur, liquido appareat. Denique quid si accusator iniuria damnatus est? quod iudicium tamen rescindi non oportet.

DE ACCVSATIONIBVS ET INSCRIPTIONIBVS, TIT. VII.

Qui quos accusare poßint vel non: certè olim Quæstor Prætoris sui accusator minus idoneus fuit. & aliqua non prohiberi, quæ tamen iudicum iudiciorumq; auctoritate non sunt approbanda.

I. Ex Cicerone, in diuinatione.

CVM inter Caium Iulium & Cneum Pompeium Strabonem magna esset de T. Albutio accusando contentio: idq; in eo iudicio versaretur (quod Diuinationem appellabant, illiúsque controuersiæ genus est, quę Translatio dicitur) vter eorum legis iudicijq; magis idoneus

esset: quamuis Pompeij auctoritas & dignitas & eloquentia valebat plurimum: tamen quia Iulius hoc secum auctoritatis ad accusandum afferebat, quòd à Sardis rogatus accesserat: Cn. Pompeius denique contra morem maiorum delinquere videretur, quòd Albutium, cui Quæstor olim fuisset, potius accusare vellet, quàm has partes alteri relinquere. atque id si vel iure posset, piè tamen non facere. etenim Prætorem Quæstori suo parentis loco esse: neque iustiorem vllam aut grauiorem causam necessitudinis posse reperiri, quàm coniunctionem sortis, quàm Prouinciæ, quàm officij, quàm publicam muneris societatem. ideoque nec L. Philoni in C. Seruilium, neque Aurelio Scauro in L. Flaccum nominis deferendi potestas olim data fuisset: quamuis eo quòd Quæstores fuissent, hoc Prætorũ suorum crimina melius nosse se dicerent: Placuit, ne libido violandæ necessitudinis auctoritate Iudicum comprobaretur, Pompeium admitti non debere.

Cui accusare non permittitur, ne quidem libello accusationi subscribere conceditur.

II. Ex eodem loco.

SIMILITER & postea inter L. Pisonem, & Q. Cæcilium: M. Tullium Ciceronem, & Q. Cæcilium Nigrum: hîc cùm de C. Verris: illic, de Gabinij accusatione quæreretur, pronunciatum est: vt Quæstori Q. Cæcilio ne subscribendi quidem facultas concessa sit.

Serui, libertiq́; in dominos patronósve non audiuntur: imò si accusauerint, puniuntur. sed & huius criminis domestica animaduersio fuit.

III. Ex Valerio Maximo lib. 6. cap. 5.

NEC alibi, nec apud Romanos potissimum, id vnquam admittendum esse visum est, vt salus ac vita dominorum ab eorum arbitrio pendeat, in quos ipsi domini potestatem vitæ ac necis habuissent: & quos nunc etiam periculo capitis sui dominis custodiam præstare necesse est, vt hi vel torti, vel indices, siue deferant, siue accusare velint, denique vlla ratione in caput dominorum audiantur. Nam etsi non iam spe libertatis, sed liberi liberis nobis mercede seruiunt: quid magis ingratum, indignum atq; inuidiosum, quàm nec tutos esse Penates? in ipsáq; domo, quæ vnicuique cuiusdam asyli loco est, vnde veluti ex tutissimo perfugio ac receptaculo, neminem fas est vi eripere, nos illic pro cane leonem ac viperam, pro defensore accusatorem fouere, alere? Itaque & Cn. Domitius Tribunusp. cùm M. Scaurum, & L. Crassus Cn. Carbonem accusarent, ad eósq; reorum serui aduenissent, totam multis & grauibus instructuri dominorum criminibus accusationem: non admiserunt, sed vinctos vt hi pro imperio suo vindicarent, ad dominos remiserunt.

Vbi quid generaliter conceditur, inest hæc exceptio, Si non aliquid contra ius fasq; est.

IIII. Ex

IIII. Ex Plutarcho, in Sylla.

VERVM graue in hoc omnino genere Syllæ iudicium fuit, crudelissimi victoris alioqui & insolentis. Nam quia præmij loco libertatem seruis edicto proposuisset, qui à se proscriptos occidissent, aut indicassent: seruum Sulpitij Rufi Tribuni plebis, quia dominum detexisset, & prodidisset, ipse quidem manumisit: sed præcipitari protinus e saxo Tarpeio cum illo suo pileo, scelere & parricido parto, voluit, iussit. Nullo enim præmio quenquam adduci oportere, vt tam immane, ingratum & inhumanum facinus audeat.

AEquum & bonum lege potentius.

V. Ex Appiano, lib. 4. bello. ciuilium.

CVM in proscriptione Triumuirorum, e duob. seruis alter in ea deliberatione esset, vt se domini sui habitu, illius seruandi ac tutandi caussa, percussoribus obijceret: alter conserui sui pium consilium enuntiasset, quo factum erat, vt ipse dominus interficeretur: rem Populus Romanus adeò indignè tulit, vt apud Triumuiros querela facta, licet ex edicto iste vel præmium mereretur: attamen qui prodidit cruci affixus, ille præmio ac licertate donatus sit. Adeo quod per se bonum & æquum est, id aduersus iniquas leges, iusta & sancta plerunque iudicia elicit, exigit.

Cum ex iniqua lege caussa ab aliquo dicitur, taciturnitas ac sui desperatio multum mouet.

VI. Ex eodem.

TRAHENTE Bruto, bellis ciuilibus, per Asiam vrbes in ſuum atque Caij Caſsij imperium, potitus Patarienſibus, edixit vti omnes omnino ciues, quicquid in vrbe auri, argenti facti aut infecti poſsiderent, id ad ſe in medium afferrent, in eos ſtatuto vltimo ſupplicio, qui celaſſent: præmio contrà, ijs qui detuliſſent. Itaq; cùm ſeruus quidã dominum indicaſſet, mittitur Tribunus qui nactam pecuniam adferat, dominúmq; cum tota familia in iudicium trahat. Dominus cùm negare non poſſet, iuſſus cauſſam dicere, nihil reſpondebat. Sed poſtquam mater ſe ipſa accuſans, identidem clamaret, filium innocentem eſſe, ſéque, non filium, pecuniam latitaſſet: itaq; oraret vt filio parceretur; ſeruus eò contrà perfidiæ venit, vt etiam non rogatus (quæ falſi calumniæq; ſuſpicio eſt) mentiri eam diceret, iſtúdque ciuile crimen, non ad matrem, ſed ad filium pertinere, Brutus cùm filij taciturnitate, tum matris pietate motus, vtrumque & libertate & pecunia donauit; ſeruum laqueo ſuſpendit.

Præceptorem diſcipulum: vel ex contrario diſcipulum, præceptorem accuſare, meritò graue eſt.

VII. Ex Plutarcho, in Antonio: & Dione, lib. 55.

SVNT perſonæ, à quibus facta delatio vel nocentiſsimi atq; improbiſsimi hominis, nunquã tamen etiam crudeliſsimo cuique grata & accepta eſt: vt ſi filius patrem, ſeruus dominum, libertus

bertus patronum prodiderit, accusauerit. Antyllum quoque filium Antonij Triumuiri, Theodorus rector ei atque præceptor à patre datus, debellato Antonio, Augusti militibus interficiendum tradidit, erepto, qui ex collo pendebat, pretiosissimo lapillo. Cùm vtrumque ad aures Augusti peruenisset, ob nefariam proditionem atque ob latrocinium quod impudenter pernegabat, Theodorum, haud minus magistro Faliscorum abominandum, necari iussit: tantam laudem inde nactus Augustus, quantum ex eo dedecus, quòd, ne serui in caput dominorum torqueri viderentur, iussit eos ante quæstionem sibi aut Reipubl. distrahi: tum alienos interrogari, non suos. Fuit enim fraus ista nimium aperta. quòd si fiducia legis, quæ in dominum seruos torqueri vetat, multos aduersus se salutémque suam conspirare animaduerteret: palam edicere oportuit, Citra hunc casum torqueri non licere. Sed fraudem legi facere, imò vim eam afferre, quid aliud est, quàm contemtionem omnium legum atque despicientiam, summo cum totius Reipublicæ periculo introducere?

Qui liberto patronum accusanti adfuerit, eum ius alios accusandi amittere.

VIII. Ex Dione Nicæo, lib. 60.

CVM quidam libertus Tribuno plebis patronum suum deferret, atque in eum lictorem peteret, & impetrasset: Claudius Imperator facti indignatione motus, hunc sociósque eius supplicio

affecit, edixítque ne quis auxilium eis qui contra dominos ita agerent, ferret: qui tulisset, eum ius alios accusandi amissurum.

IX. Ex Cornelio Tacito, annalium lib. 13.

QVINQVENNIO illo Neronis, nec Garinas Celer Senator, nec Iulius Densus Equester, cui fauor in Britannicum crimini dabatur, inter reos, seruis accusantibus, recepti sunt.

Quibus diebus accusare liceat, vel non.

X. Ex eodem, lib. 4.

INVIDIOSVM perpetuò fuit nomen accusatoris, adeóque M. Bruti apud Romanos: Lycurgi, Athenis, qui accusationem factitasse dicti sunt. Id cùm Calphurnius Saluianus ita adamasset, vt etiam feriarum Latinarum diebus (quarum omnium ratio, in liberis requietem habet litium & iurgiorum, in seruis operũ & laborum) Sextum Marium coram Druso Præfecto vrbis reum postulasset, in exilium actus est.

Quorum reorum accusatio non recipitur.

XI. Ex Valerio Maximo, lib. 7. cap. 2.

CLAVDIVS Nero, & L. Salinator cùm ob nimis asperè actam censuram, à C. 1. Bebio Tribuno pleb. rei pro rostris agerentur, Senatus caussæ dictione decreto suo liberauit: vacuum præstando hunc honorem omnis iudicij metu, ad quem iure suo pertinet rationem exigere, non reddere.

Absens

Absens Reip. caussa olim apud Romanos interim non accusabatur.

XII. Ex Suetonio, in Iulio Cæsare. cap. 23.

CAESAR cùm esset in Gallia, à Lucio Antistio Tribuno plebis postulatus erat contra legem Memmiam, quæ eorum qui Reip. causa abesient, recipi nomina vetabat. Is demum appellato Tribunorum collegio, quòd abesset Reip. caussa, reus ne fieret, impetrauit.

XIII. Ex Cicerone, Verrina 4.

ITEM cùm Cn. Dolabella Philodamum Opuntium damnasset, tum cùm ei legatio Romam à suis ciuibus esset data: rescissum est Romæ illud Dolabellæ iudicium.

Summa integritatis opinione quosdam id assecutos, vt inter reos vel sua nomina non reciperentur, vel certè protinus sine vlla inquisitione dimitterētur.

XIIII. Ex Valerio Maximo, lib. 2. cap. 5. & lib. 3. cap. 7. & ex Plinio, de viris illustribus.

QVAM Tullius eleganter pro Q. Roscio Comœdo, vt ignis in aquam coniectus continuo restinguitur & refrigeratur: sic referuens falsum crimen in purissimam & castissimam vitam collatum, statim concidit & extinguitur. At constat sibi quidem innocentia: sed nunquam potest sibi constare fama (vt rectissime noster Quintilianus ait, declamat. 335.) neque multi hanc fœlicitatem ac beatitudinem inter homines adepti sunt,

sunt, vt sola de se parta virtutis & optimi viri opinione, omnem erga se suspicionem & accusationem procul ab hominum & iudicum auribus & animis summouerent. Hoc tamen & Q. Metello & M. AEmilio Scauro accidit: quorum tanta auctoritas fuit, vt etiam delicti suspicionem tegere potuerit. Ille iam senex, cùm diceret caussam de Repetundis, ipsiúsque tabulæ ab accusatore postulatæ, ad nomen inspiciendum circumferrentur in iudicio: vniuersum concilium ab earũ inspectione oculos auertit, ne de aliqua re quæ in tabulis relata esset, viderentur hæsitasse. Itaque absolutus est. nec enim in tabulis aut rationibus, sed in vita Q. Metelli argumenta sincerè administratæ Prouinciæ legẽda sibi Iudices crediderũt: indignum rati, integritatem tanti viri exigua cera & paucis literis comprobari. Scaurus etiam senex, cùm à Vario Tribuno plebis argueretur, quasi Socios & Latium ad arma coëgisset: vel (vt Valerius ait) cùm pro rostris accusaretur, quòd à Rege Mithridate ob Remp. prodendam pecuniam accepisset: ita Populum interrogauit, Varius Sucronẽsis Marcum Aemilium Scaurum Regia mercede corruptum, imperium Populi Ro. prodidisse ait: M. AEmilius Scaurus huic se affinem culpæ esse negat. vtri creditis? Huius dicti admiratione Populus commotus, qui summam virtutem rei & continentiam; accusatoris nequitiam & vilitatem nosset, Varium ab hac accusatione depulit. Sed huiusmodi iudicia non facile ad exemplum trahi solent: non iudicij ini-

quitate:

quitate: Nam & quid diuinius, quàm quod in hanc sententiam in Phœnice Euripides ait:

Iam sæpe, lectus acris litis arbiter,
Cùm multa concurrissent dicta testium,
Statui diuersum, caussa adductus vnica.
Et ego quidem sic (ratio vt ipsa postulat)
Inquiro vera, mores intuens viri, &
Quotidianæ vitæ consuetudinem.
Namque improborum cui placet sodalitas,
Is qui fiet vir, non rogo: sciens satis,
Sodalium illum conuenire moribus.

& hanc rationem Areopagitæ potissimum secuti sunt. Ergo trahi non debent in exemplum hæc tam celeberrima iudicia, non sui nouitate, sed Metellorum AEmiliorumq; raritate atque infrequentia.

Reis prodesse ad absolutionem, nimiam accusatorum vel potentiam, vel infamiam: vel eiusdem criminis societatem.

XV. Ex Valerio Maximo, lib. 8. cap. 1.

CAIVS Cosconius Seruilia lege (cuius de pudicitia caput aliquod fuisse interpretor) reus, & sine vlla dubitatione nocens: tamen cùm Valerij Valentini accusatoris sui recitasset in iudicio carmen, quo puerum prætextatum, & ingenuam viginem à se corruptã poëtico ioco significauerat: iniquum esse Iudices existimarũt, eum victorem dimittere, qui palmam non ex alio ferre, sed de se dare merebatur. Magis ergo Vale-

rius

rius in Cosconij absolutione damnatus, quàm Cosconius in caussa sua liberatus est. Simile sane iudicium Christi de adultera esse dici potest. nam etsi, vt hominũ natura est, omni vitio prorsus carere non possumus: eo certe carere necesse est, quo quis alium accusat. vt is si causam alteri de religione velit dicere, quem suo poëmate constat sine Deo ac sine religione esse.

Cauendum est accusatori ne dum alium accusat, ipse in delictum incidat, quia facile damnatur, qui noxius alium accusat.

XVI. Ex Cicerone, pro C. Rabirio: & Valerio Maximo, lib. 8. cap. 1.

L. Saturninus seditiosissimus Tribunusp. à Senatu hostis iudicatus & interfectus est. Cùm igitur paulo post, C. Decianus P. Furium hominem omnibus insignem notis turpitudinis, summo studio bonorum omnium pro rostris accusaret, atque in concione, quadam actionis suæ parte, de morte Saturnini queri ausus esset: neq; reum damnauit, & insuper vox illa sua temeraria ei exitium attulit. ipse enim Decianus accusator, non Furius damnatus est. nam eo qui damnationem ipse mercatur, accusante: alterum si non virum optimum, at satis certe bonum ciuem, capite damnari, neque iustum neque honestum videri posse.

Iudex hoc debet inprimis in accusatore deprahendere, quo animo accuset.

XVII. Ex Valerio Maximo, lib. 8. cap. 1.

QVIN-

QVINTVS Flauius à C. Valerio AEdile apud Populum Romanum reus actus, cùm iam quatuordecim Tribuum ſuffragijs damnatus eſſet: proclamauit ſe innocentem opprimi. Cui cùm Valerius æquè clara voce reſpondiſſet, nihil ſua intereſſe, nocénsne an innoxius periret, dummodo periret: hac ſola occaſione à reliquis Tribubus abſolutus eſt. Certo enim iudicio & animi dolore, non impetu: aut propenſa in Remp. voluntate, non cæca iracundia, quemlibet ad accuſandum accedere oportere: reíque malitia fretum, non opibus, potentia, gratia & auctoritate ad alterius circumueniendam innocentiam.

Idem etiam in Teste: testis an accusatoris partes suscipere videatur.

XVIII. Ex Cicerone, pro M. Fonteio: & Valerio Maximo, lib. 8. cap. 5.

IDEOQVE Cn. & Q. Cepionibus, L. & Q. Metellis teſtibus in Q. Pompeium nouum hominem, Iudices ſapientiſsimi non crediderũt. nam eorum virtuti, generi, rebus geſtis fidem & auctoritatem in teſtimonio, cupiditatis atque inimicitiarum ſuſpicio derogauit. M. AEmilij Scauri, cuius iniurati nutu, propè terrarum orbis regebatur, teſtimonio, neque in C. Fimbriam, neq; in C. Memmium neque in C. Flauium, neque in C. Norbanum creditum eſt. Noluerunt enim ij qui iudicabant, hanc patere inimicitijs viam, quem quiſque odiſſet, vt eum teſtimonio poſſet tollere. L. Craſſus, cuius etiam ſermo teſtimo-

nij authoritatem habebat, testimonio ipso, quæ in M. Marcellum inimico animo dixit, probare non potuit.

Denique hoc Iudex curare debet, vt æqua conditione litigetur.

XIX. Ex eodem, pro A. Cluentio.

APVD C. Orchineum Prętorem, locus ab Iudicibus Fausto Syllæ de pecunijs residuis non est constitutus: nō quò illi aut exlegem esse Syllam, aut caussam pecuniæ publicæ contemptam atque abiectam putarent: sed quod accusante Quintio Tribunopl. conditione æqua disceptari posse non arbitrabantur.

XX. Ex eodem, pro Murena.

P. Africani accusatoris nimia dignitas, Lucio Cottæ profuit. Noluerunt enim sapientissimi viri, qui tum rem illam iudicabāt, ita quenquam cadere in iudicio, vt nimijs aduersarij viribus abiectus videretur.

XXI. Ex Valerio Maximo, lib. 8. cap. 5.

NEQVE aliam ob caussam Cn. Cornelius maiestatis reus, Q. Metello, L. Lucullo, Q. Hortensio, M. Lepido: P. Clodius incesti & sacrilegij accusatus, M. Tullio Cicerone testimonium dicentibus, absoluti sunt: quàm ne vel testium vel accusatorum amplitudo magis, quam obiectum crimen caussæ nocuisse videretur.

Recriminatione vti interdum licet.

XXII. Ex C. Plinio nepote, lib. 6. epist.

LVSTRI-

LVSTRICVS Bructianus, cùm Montanum Atticinũ Comitem suum in multis flagitijs deprehendisset, ad Traianum Cæsarem accusauit. Atticinus contra & Bructianum Præsidem suum accusabat. Etsi in odium prioris accusationis id facere videretur, atque recriminando magis quã accusando: tamen recepta cognitio est, amboque simul & caussam dicere & accusare iussi. ita enim visum est potentiam Præsidis, Comiti suo in accusando non nocere; & æquiore iudicio certari inter summam & humilem personam, si ambo rei, ambo accusatores essent.

DE CVSTODIA ET EXHIBITIONE REORVM.

Tit. 8.

Illustres personæ caussam dicunt satisdatò: non in vinculis.

I. Ex Dionysio Halicarnasseo, lib. 10.

CAESO Quintius Lucij Quintij Cincinnati filius, cui genus illustre & vita nulli secunda fuit: à Virginio Tribuno pl. accusatus est ad Populum læsæ maiestatis, quòd hominibus coactis multitudinem summouisset: quo minus legem Terentillam Virginius ferret, de decem mittendis Legatis in Græciam, legum petendarum caussa. In hoc iudicio quæsitum est, an reus in vinculis causam diceret, an vero satisdatò. Placuit, pecunijs satisdari, corpúsque esse liberum.

Certe à patre Cincinnato alijsque vadibus pecunia exacta est, cùm filius ad diem non stetisset.

Si reus ad diem morbo excusatus non venerit, stipulationem non committi. cæterum in eximijs personis, omnem morbum, sonticum esse videri posse. & vt Reip. intersit, omnes posse legibus interrogari. iuuat tamen atque ad exemplum pertinet, non temerè interrogari, quorum in Rempub. merita sunt amplissima.

II. Ex Tito Liuio, deca. 4. lib. 8. & Appiano, in Syriaco.

P. SCIPIONI Africano duo Q. Q. Petilij Tribuni pleb. diem dixerunt, & pecuniæ captæ à Rege Antiocho reum accusarunt, vti conditionibus gratiosis & mollibus, pax cum eo Populi Romani nomine fieret. Inprimis excellentissimi viri, multúmque de Republica bene meriti, recepta atque admissa accusatio est. Neminem enim tantum eminere ciuem debere, vt legibus interrogari non posit: nihilq; tam æquandæ libertatis inueniri, quàm potentissimum quemque posse caussam inter reos dicere. Nam quid tuto cuiquam, nedum summa Reip. permitti posit, si ratio reddēda non sit? In eum vim haud iniustam esse, qui ius æquum pati non posit. Iussus itaque Scipio causam dicere, sine vlla criminis mentione orationem adeo magnificam de rebus à se gestis exorsus est, vt satis constaret neminem vnquam neque melius neque verius laudatum esse. hácque commemoratione, quòd dies

dies accusationis in eundem inciderat, quo cum Annibale & Carthaginensibus, signis collatis in Africa benè ac feliciter pugnauerat: Populum ab auditione causæ ad vota & preces & supplicationes, cùm ipse in Capitolium præisset, relicto ac deserto iudicio, conuertit. Tribuni cùm reliquum esset, vt apud Populum sine populo agerent, diem inuiti produxerũt. Scipio interim vrbe profectus est, certo consilio (vt quidem vulgò ferebatur) ne ad causam dicendam adesset: non delicti conscientia, sed quia maior animus & natura erat, ac maiori fortunæ assuetus, quam vt reus esse sciret, & summitteret se in humilitatem & sordes reorum ac supplicum, Patria cedere, quàm cum Tribunopl. humilimo contendere de innocentia sua, maluit. Sane vbi dies venit, absensque citari cœptus est, L. Scipio frater morbum causam esse cur abesset, excusabat. Tribunipl. qui diem dixerant, hanc excusationem non accipiebant. iubebant eum ex villa ad caussæ dictionem efferri, extrahi. reum morbo sontico non impediri, vt ex lege 12. tabularum diem dissisum esse oporteat. Cùm reo placuit iumentum dari, id eò fecisse Decemuiros, ne causatio ista ægri corporis, perpetuam vacationem daret iudicia detrectantibus. Scipionem non debilitate, sed eadem superbia non venire, qua iudicium & Tribunos plebis & concionem reliquisset. Alios ergo Tribunos L. Scipio appellauit. Hi ita decreuerant, Si morbi caussa excusaretur, sibi placere eam caussam accipi, diemq; à collegis pro-

duci. Quinimo quòd iam Petilij magis allatrare magnitudini Scipionis, quàm veris criminibus in eum agere viderentur, & magis à M. Catone inimico Scipionis comparati, quàm sua sponte accusare: T. Sempronius Gracchus, cui vel inimicitiæ cum P. Scipione intercedebant, ita decreuit, se P. Scipionem priusquam redisset accusari non passurum. tum quoque vbi venerit, si se appellasset, auxilio ei futurum, ne caussam dicat. Ad id fastigium rebus gestis, honoribus Populi Ro. P. Scipionem Deorum hominumq; consensu peruenisse, vt sub rostris reum stare, & præbere aures adolescentium conuitijs, Populo Ro. magis deforme quàm ipsi sit futurum. Hoc nomine à Senatu gratiæ ingētes T. Sempronio actæ sunt, quòd Rempub. priuatis simultatibus potiorem habuisset. quo facto iudicauit, omnes æquè legibus accusari posse, non æquè inter reos diu retineri posse.

III. Ex Tito Liuio, ibidem. Valerio Maximo, lib. 4. cap. 1. & Aulo Gellio, lib. 7. cap. 19.

ID ferè semper in confessis, iudicatis & custodiendis reis obseruatū est, vt qui in aliqua dignitate positi essent, hi ne vinculis publicis continerentur. Hæc enim tota res, vel pro criminis quod obijcitur, qualitate, vel propter honorem, aut propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personæ, vel pro dignitate eius qui accusatur, æstimari solet. Itaque cùm L. Scipio

Asia-

Asiaticus, P. Africani superioris frater, de peculatu à Q. Terentio Prætore damnatus esset, quòd plus ab Antiocho, vt comodior pax ei daretur, quàm in ærarium retulisset, accepisse diceretur: vel (vt Aulus Gellius ait) M. Minutius Augurinus Trib. pleb. multam ei irrogasset, & iudicatæ pecuniæ satisdare non posset: Prætor eum in vincula duci iussit. P. Scipio Africanus fratris sui nomine Tribunorum collegium appellauit. Petebat vt virum consularem, triumphalémque, a Collegæ vi defenderent. non id tam Corneliæ genti quàm vrbi Romanæ erubescendum, L. Scipionem virum clarissimum in carcere, inter fures nocturnos & latrones pati esse: ibi in robore & tenebris expirare: nudum ante carcerem deinde projici. Aduersus ea Terentius Prætor, siue ille fuit Augurinus, rogationem Petilliam ex Senatusconsulto, & iudicium de L. Scipione factum recitabat. se, nisi referatur pecunia in publicum, quæ iudicata sit, nihil habere, quàm vt prehendi iudicatum, & in vincula duci iubeat. neque aliter contineri lege 12. tabularum. Octo Tribuni cognita caussa ita decreuerunt: Quod P. Scipio Africanus postulauit pro L. Scipione Asiatico fratre, cùm contra leges, contráq; morem maiorum Tribunus plebis hominibus accitis, per vim, inauspicatò sententiam de eo tulerit, multámque nullo exemplo irrogauerit, prædésque eum ob eam rem dare cogat: aut si non det, in vincula duci iubeat: vt eum à Collegæ vi prohibeamus. & quod contrà

Collega postulauit, ne sibi intercedamus, quo minus suapte potestate vti liceat: de ea re nostrum sententia omnium data est: Si L. Cornelius Scipio Asiaticus Collegæ arbitratu prædes dabit, Collegæ, ne eum in vincula ducat, intercedemus. si eius arbitratu prædes non dabit, quo minus Collega sua potestate vtatur, non intercedemus. Ergo cùm Augurinus Trib. pleb. L. Scipionem prædes non dantem prahendi & in carcerem duci iussisset: tum Tiberius Sempronius Gracchus Tribunus plebis, licet P. Scipioni Africano inimicus grauis, ob plerasque in Rempub. dissensiones, esset, iurauit palàm, in amicitiam inque gratiam se cum P. Africano non redisse: atque ita decretum ex tabula recitauit: Cùm L. Cornelius Scipio Asiaticus triumphãs, hostium Duces in carcerem coniectauerit, alienum videtur esse à dignitate Reipublicæ, in eum locum imperatorem Populi Ro. duci, in quem locum ab eo coniecti sunt Duces hostium. Itaque L. Cornelium Scipionem Asiaticum à Collegæ vi prohibeo.

AD LEGEM IVLIAM MAIESTATIS. TIT. IX.

Huius criminis prima caussa est, affectatæ tyrannidis: in quo hoc speciale fuit, ædes nocentium euerti, æquari solo.

I. Ex M. Varrone, lib. 4. de lingua Latina: Cicerone, pro domo sua: & Plinio, de viris illustribus.

bus, alijsque infinitis auctoribus.

COMMVNE hoc fuit Romæ iudicium in eos qui regnum appetisse dicerentur, ædes eorum publicari & euerti. Spurij Melij regnum affectantis domus est complanata, Populo iudicante: & AEquimelium area dicta est. ipse à Seruilio Hala, iussu atque imperio L. Quintij Cincinnati Dictatoris interfectus est. In Vacci pratis, domus fuit M. Vacci, quæ publicata & euersa est, quo facinus illius memoria & nomine loci notaretur. M. Manlius cùm ab ascensu Capitolij Gallorum impetum repulisset, ideoque Capitolinus, & à suis omnibus ciuibus Patronus appellatus ac farre donatus esset: non fuit contentus beneficij sui gloria. Cùm primùm suppressisse Gallicos thesauros argueretur, & addictos propria manu liberare: regni affectati suspicione in carcerem coniectus, Populi consensu liberatus est. Sed rursus in eadem culpa, & grauius, cùm perseuerasset, regnum appetisse est iudicatus. damnatus, & de saxo Tarpeio præcipitatus est. Ergo & domus eius euersa, duobúsque lucis conuestita visa est quondam. bona publicata sunt. Gentilitas eius, Manlij cognomine, iurauit, ne quis postea Capitolinus vocaretur. M. Flaccus, quia cum Caio Graccho contra salutem Reip. fecerat: & Senatus sententia interfectus, & eius domus diruta & publicata est: in qua porticum fecit aliquantò post Q. Catulus de manubijs Cimbricis. Sed & macellum à Macel-

lo dictum est, cuius quæ illic esset antea domus, publicè fuerit diruta.

Gallorum affectatæ tyrannidis vetus suppliciũ, ignis.

II. Ex Iulio Cæsare, lib. 1. de bello Gallico.

ORGETORIX apud Heluetios nobilissimus atque ditissimus fuit. is regni cupiditate adductus, coniurationem nobilitatis fecit, vt regno occupato, totius Galliæ imperio potiretur. Ea res vt Heluetijs per indicium enuntiata est, moribus suis Orgetorigem ex vinculis caussam dicere coëgerunt. Damnatum pœnam hanc sequi oportebat, vt igni cremaretur. Sed cùm dies constituta caussæ dictionis aduenisset, hominibus armatis, ne caussam diceret, se eripuit. Itaque ciuitas cùm ob eam rem incitata, armis ius suum exequi conaretur, multitudinémque hominum ex agris magistratus cogerent (vocarent Arierabandum, vt loquimur) sibiipsi mortem consciuit.

Hîc suspiciones atque indicia affectatæ tyrannidis enumerantur. Porrò humaniorem esse sententiam, quæ damnatorum filios innoxios seruat.

III. Ex Dionysio Halicarnassæo, lib. 8. & Tito Liuio, deca. 1. lib. 2.

SPVRIO Caßio diem dixere perduellionis, & affectatæ tyrannidis ad Populum, Cæso Fabius, & L. Valerius Quæstores. Eum haud satis habuisse, ius ciuium Romanorum Latinis concedere, ni hoc amplius, agri ab Hernicis ademti par-

tem

tem diuiduam Latinis, alteram Populo Ro. diuideret. item legem Agrariam proposuisse inconsulto Senatu, & collega suo Proculo Verginio non approbante, nedum maiori parte Plebis. Vt cōmoda vtilisq; lex ea fuerit: tentasse nihilominus suam hanc vnius facere munificentiam atq; liberalitatem, quæ totius Senatus omniúmque magistratuū esse debuerit. Iussisse, multitudinis sibi conciliandæ caussa, vt pro Siculo frumento pecunia accepta Populo diuideretur. Pestilentibus istis muneribus viam regno fieri, largitione periculosas libertati opes ab eo strui. denique ne iam coniecturis agatur, ei pecuniam Hernicos Latinósque contulisse: pro Coriolano duce, Cassium parari. Hac probè instructa accusatione, Populi iudicio damnatus, de saxo Tarpeio deiectus est. ædes eius publicè dirutæ: bona publicata sunt. Sed cùm de liberis eius interficiendis ageretur, durior & immanior ista sententia visa est, parentum noxa innoxios premi. hos itaque liberari Senatus censuit.

Non est affectanda seueritatis aut clementiæ gloria.

IIII. Ex Valerio Maximo, lib. 5. cap. 2. Dione Nicæo, lib. 62. Plinio, de viris illustribus.

IN libera ciuitate nihil vnquam committēdum est, quod præter morem maiorum esse videatur: miniméque sunt præ alijs omnibus captandi honores insoliti, ac præter modum. quia cæca hæc gloriæ cupiditas, aliquid de se plus quam de ciue sentientis, coniecturæ atque suspicionis ha-

bet. quod in Furio Camillo est animaduersum. Is non tam adeo quòd prædam Veijs domitis iniquè diuisisse videretur, quàm quòd albis equis præter morem in triumpho vsus esset: à L. Apuleio Tribuno pl. accusatus, Populi suffragijs in exilium actus est. Ardeam concessit. Verùm aliquid tantis in Rempubl. Furij Camilli beneficijs concedi poterat. Itaque Populus Ro. hac damnatione cùm nimium iura tueretur, ingrati crimen non euitauit.

Ne priuati ex nimia potentia aliquid tandem contra communem libertatem suscipiant, Athenis legem de Ostracismo, Syracusis de Petalismo latam esse.

V. Ex Diodoro, lib. 11.

TYNDARIDES inter Syracusios nobilissimus ac potentissimus, viam muniens ad vsurpãdam tyrannidem: pauperes ære dirutos, atque infimos quosque, specie misericordiæ alebat, sustentabat: sed eo certè animo, vt eorum opera ad regnum occupandum fideliter vteretur. Re indicata & cognita, quia regnum affectasse probaretur, capite damnatus est. At cùm à iudicio in vincula duceretur, qui ab eo ali ac nutriri consueuerãt, postquam stipato agmine eos adorti sunt, qui reum ducerent: conuenêre primores ciuitatis, istósque omnes seditiosos, ac rerum nouarum cupidos, simul cum Tyndaride ad supplicium rapuerunt. Cæterum quia Syracusani sæpius iam in ea pericula incidissent, multósque stimularet indies ambitio ac libido occupandæ

tyran-

tyrannidis: qualem Athenienses legem de Ostracismo tulerant, & ipsi de Petalismo tulerunt.

Diligentissima ratio periculosæ coniurationis vindicandæ.

VI. Ex Xenophonte, lib. 3. rerum Græcarum.

A CINADONE insidias strui aduersus Agesilaum atque Remp. Lacedæmoniorum, ad Ephoros delatum est. Igitur ab indice tota coniuratione perspecta: & vbi post diligentem inquisitionem vera sibi afferri existimarunt: censuêre non paruum concilium (quod appellabant) sed omnes seniores conuocari oportere. Hi decreuerunt, Cinadonem cum quibusdam validis iunioribus Aulonem mittere, vt Aulonitas quosdam cum Hilotis in Scytala descriptis, compræhenderet, & Lacedæmonem adduceret: inter quos & mulierem quandam, quæ cum pulcherrima esset, Lacedæmonios omnes qui illuc appulissent, corrumpere ac peruertere dicebatur: item & tres currus Cinadoni dari, ne custodiæ pedibus iter facere cogerentur. Ita enim sine suspicione ac sine tumultu, re cum ijs ipsis quos secum deduceret, ab Ephoris composita, extra vrbem Cinadonem capi posse: illic satius esse reum in conscios interrogari, quòd ij interim ignari quid de Cinadone accidisset, neque in vrbe seditionem agitarent, aut certe detecta coniuratione non aufugerent. Itaque Cinadon in itinere à suis ipsius comitibus comprehensus, conscios indicauit. quorum nomina cùm in vrbem statim allata

lata essent, iussi sunt appræhendi, inter quos fuit Tisannenus vates. Habita quæstione, cùm Cinadon nihil non confessus esset, atque interrogatus, cur tantum facinus molitus esset, nihil aliud respondisset, quàm voluisse se nulli Lacedæmone concedere, siue opibus siue potentia: is sociјq; manibus post tergum reuinctis, per ciuitatem vndiq; traducti, atque flagris cæsi, interfecti sunt.

Si iudicij mora, præsens periculum allatura est, posse noxios re inter principes ciuitatis summatim ac breuiter cognita, damnari & interfici, non expectato Populi aliorumq; legitimo iudicio. Cæterum vbi plurimi sunt conscij, quid agendum.

VII. Ex Cicerone, in L. Catilinam: Salustio: Dione, lib. 37.

PATEFACTA coniuratione Catilinæ, quæ contra Remp. suscepta esset, inprimis mandatum est Consulibus Ciceroni & Antonio, viderent ne quid Resp. detrimenti caperet. deinde Catilina lege Plancia de vi publica accusatus, priusquam caussa perageretur, nouo timore allato, vrbe à Senatu excedere iussus: cùm postea bellũ parare diceretur, ideóque in Manliana castra recessisse, de vi damnatus est, hostísque Populi Ro. cum Manlio iudicatus. Cæteræ multitudini Senatus diem statuit, antequam sine fraude liceret ab armis discedere, citra cõdemnatos rerum capitalium. De Lentulo Prætore, vbi ante omnia magistratu se abdicare coactus est, quid de

eo,

eo, quid de Cethego, L. Statilio, L. Caſsio, qui ſibi procurationem incendendæ vrbis depopoſcerat: M. Cepario, P. Furio, Q. Manlio Chilone, P. Vmbreno, aliјſque coniuratis fieri placeret, referri cœpit. Cenſuit C. Iulius Cæſar, publicandas eorum omnium pecunias: ipſos in vinculis habendos per municipia; quæ maximè valerent opibus: neu quis de his poſtea ad Senatum referret, néve cum Populo ageret. qui aliter feciſſet, Senatum exiſtimare oportere, hunc contra Remp. & ſalutem omnium facturum. nam vt iniuſſu Populi in caput ciuis Romani animaduertatur, Porcia lege prohiberi. Contrà M. Porcius Cato, quia cætera maleficia tum perſequi poſſumus, vbi facta ſunt: hoc niſi prouideatur ne accidat, vbi euenerit, fruſtra leges implorantur: nec ibi manſuetudo aut miſericordia nominanda ſit, quæ in miſeriam conuerti poteſt: cenſuit, cùm eorum nefario conſilio Reſp. in maxima pericula veniſſet, híque indicio T. Vulturјј & Legatorum Allobrogum conuicti confeſsíque eſſent, cædem, incendia, aliáque ſe fœda atque crudelia facinora in ciues Patriámque parauiſſe: de confeſsis, ſicuti de manifeſtis rerum capitalium more maiorum ſupplicium ſumendum. id poſſe Conſules ſine Populi iuſſu, ex clauſula, VIDEANT NE QVID RESPVBLICA DETRIMENTI CAPIAT. Placuit D. Syllano, placuit Ciceroni Conſuli, & omnes in hanc iere ſententiam. Sed & illud nominatim adiectum eſt, Si qua pœna minus legitime exacta

ɛ̃ta eſſet, placere id omne ratum eſſe: quíque eius nomine vllum in ius poſtea vocaret, is pro hoſte haberetur. Itaque in reos animaduerſum eſt: indicibus ex ærario præmia data ſunt, & decretæ ſupplicationes: quod nunquam antea fuerat vſurpatum.

Non ſemper tutum eſſe, omnium hominum inter reos nomina recipere.

VIII. Ex ijſdem auctoribus.

PLANE & in cauſſa Lucij Tarquinij indicis, conſulente Cicerone, ſapientiſsimè ac prudentiſsimè iudicatum eſt. Is enim cùm M. Craſſum hominem nobilem, maximis diuitijs, ſumma potentia inter ſocios coniurationis nominaſſet: quia in tali tempore, tametſi verum eſſet indicium, tanta vis hominis magis lenienda erat, quàm exagitanda, ita à Senatu decretum eſt, Tarquinij iudicium falſum videri: eúmque placuit in vinculis retinendum, neque amplius poteſtatem faciendam, niſi de eo indicaret, cuius conſilio tantam calumniam mentitus eſſet.

Cauendum eſt, ne boni æquè ac mali, nimia accuſationum frequentia, de ſalute ſua deſperent: neque minorum Magiſtratuum eſſe, maiores coërcere.

IX. Ex Dione, ibidem.

IN L. Vectio Equite hoc pariter ad quietem & concordiam pulcherrimè obſeruatum eſt. ideo

quia

quia ex propoſita impunitate liberius omnia diceret, ne innocentes pro noxijs, nimióque plures in tabella deinceps Vectius nominaret: cenſitum eſt, vt quos in poſterum deferre vellet, hos palam in Senatu nuncuparet, eorumq́ nomina publicè ab eo ederentur: ne dum alij iuſto metu, alij conſcientia, alij falſa ſuſpicione ob taciturni indicium de vita ſua laborent, ex deſperatione tumultus occaſio noua naſceretur. Is Vectius, cùm etiam poſteà apud Nonium Nigrum Quæſtorem, Iulium Cæſarem Prætorem nominaſſet per calumniam, inductus à Catulo & Piſone, qui graues cum Cæſare inimicitias exercebant: pignoribus captis & direpta ſupellectile malè multatus eſt, atque in carcerem coniectus: item & Nonius Quæſtor, quòd compellari apud ſe maiorem poteſtatem paſſus eſſet.

Numos ſua ſub imagine percutere, affectati regni eſſe argumentum. quod ſi potentiores in hoc crimen inciderint, ſatius eſſe eos inopinantes opprimi, quàm peragi ſolenni iudiciorum ordine.

X. Ex Herodiano, lib. 1.

CVM poſt obitum Marci, Commodus adhuc adoleſcens Imperator à patre relictus eſſet, is Perennem Italicum hominem, militaris alioqui diſciplinæ peritiſsimum, Prætorianis præfecerat. Hic vt ſibi omnem auctoritatem atque imperij vim aſſumeret, abutens Imperatoris adoleſcentia, delicijs ganeiſque hunc corrumpi facile

cile patiebatur: quia dum voluptatibus indulgeret, necesse esset imperij summam in alium reijci. Sed & antea nobilissimis, locupletissimis & Imperatori coniunctissimis omnibus per falsas accusationes supplicio affectis, vbi qui facinus suum impediret, reliquum esse neminem existimauit: tum de imperio cogitare cœpit. Itaque hoc inprimis Commodo persuasit, vt filium suum adolescentem Illyricis exercitibus præficeret. Ipse magnam vim pecuniæ contrahebat, qua cùm opus esset, corruptis Prætorianis vteretur. Interea certe quidã Philosophi habitu cùm insidias prodidisset, neq; id alijs argumentis quàm aut sorte quadam aut diuinandi ratione confirmare videretur: Perennis ipse compræhendi hominem, atque pro furioso & vaniloquo, igne cõburi iussit. Sed cùm postea clam Perenni filio, atque ignaro etiam patre, quanquam erat Præfectus, nonnulli milites aliquot numos de recenti sub illius factos imagine, Commodo attulissent: omni deniq; insidiarum ordine patefacto, illi quidem maximis muneribus affecti sunt: cæterum missi qui noctu Prætorianorum Præfecto nihil tale minus cogitanti, & horum omnium inscio, caput obtruncarent: deinde in Illyricum ita ad filium accurrerent, vt eorum diplomate famam quæ Romæ accidissent, anteuerterent. hi Commodi literas perquam familiariter ad eum scriptas afferunt. iubent vt magna proposita spe Romam reuertatur. Is vt attigit oram Italiæ, ab ijs quibus Imperator negotium dederat,

occi-

occiditur. Postea Commodus duos Præfectos sapientissimè constituit. quia tutius sit omnino, tantam illam potestatem non vni committere, sed dissectam in partes, imbecilliorem eo pacto efficere, si quid aduersus Principem nefariè suscipitur.

Huius criminis secunda caussa est, Proditionis: cuius dolo malo ciuitas, exercitus in insidias deductus, hostibúsve proditus erit.

XI. Ex Herodoto, lib. 7. & ex Strabone, lib. 1. de situ orbis.

APVD Amphictyonas (qui conuentus fuit totius Græciæ) Ephialtes Lacedæmonius (quem & Diodorus Siculus lib. 11. Trachinium appellat) proditionis accusatus est, quòd Xerxi Persarum regi, aduersus Lacedæmonios Thermopylas oppugnanti, tramitem incognitum, occultum & auium indicasset: eiúsque dolo malo factum esset, cur totus Lacedæmoniorum ille exercitus, cum ipso reqe ac duce Leonida in insidias deductus, hostibúsque proditus esse diceretur. Conuictum nihilominus pecunia non capite multarunt. inuidia id quidem magis (vt opinor) quàm legibus: ne si atrociter rem vindicassent, nō tam de Ephialtis proditione, quàm de Lacedęmoniorum, vbi fraus aberit, inuincibili virtute, ac fortitudine pronunciasse viderentur: ideóque totius Græciæ principatum ad eos pertinere. in quo tamen perpetua fuit Græcorum omnium inter se, nec non ad euersionem vsque misera

contentio. An ideo verò, quòd in liberis populis raro ſit iudicium capitis? primúmque in Areopago actum eſſe Plinius notat, naturalis historiæ lib.7.cap.56.

Vt hominis, ita etiam ciuitatis, Populive memoriam damnari poſſe.

XII. Ex M. Vitruuio Pollione, de architectura lib.1.

CARYA ciuitas Peloponneſi, cum Perſis hoſtibus aduerſus Græciam conſenſerat, ſuæ ac totius Patriæ libertatis, Sacrorũ, legum, fœderum immemor. Igitur quantum in ea fuit, vniuerſam Græciam Xerxi prodiderat. Verùm ea tam celebri parta victoria, Græci communi conſilio Caryatibus bellum indixerunt, & tandem oppido capto, viris interfectis, deleta ciuitate, etiam matronas in ſeruitutem abduxerunt. Sed & hoc conſtitutum eſt, vt hę earúmque filiæ, licet ſeruitutem ſeruientes, attamen neque ſtolas neque matronales habitus deponerent: vti non vno triumpho Caryates ducerentur, ſed iſto exemplo inſolitæ ſeruitutis, eáque perpetua contumelia, pœnas in æternum pendere viderentur.

Hæc accuſatio non extinguitur morte: ſed & à mortuo incipit. Præterea proditorem indemnatum iure occidi poſſe, modò proditor eſſe approbetur.

XIII. Ex Plutarcho in Alcibiade.

PHRYNICVS dux Atheniẽſium, cum Aſtyoco Lacedæmoniorum duce de prodendo exercitu,

tu, omníque Athenienſium claſſe & apparatu communicauerat. Id cùm reſciſſet exul tum Alcibiades, rem tamen alijs Athenienſium ducibus renunciâti, non eſt fides adhibita: propterea quòd graues ſcirent eſſe inter Phrynicum & Alcibiadem inimicitias, vt hæc potius admonitio, inimici vlciſcendi atq; opprimendi cauſſa, quàm vllam ob patriæ ſollicitudinẽ & amorem (à qua per iniuriam certe pulſus erat Alcibiades) proficiſci videretur. Attamen cùm quidam inuentus eſſet familiaris Alcibiadis, Hermon nomine, qui in medio foro Phrynicum occidiſſet: re à Populo ampliſsime perſpecta & cognita, quia iure ſe Hermon occidiſſe affirmabat: non in Hermonem, ſed in Phrynici memoriam animaduerſum eſt. nam & Phrynicus mortuus proditionis damnatus eſt, & Hermoni conſcijſque præmia ſunt à Rep. conſtitura.

Dictum eſt, dolo malo: quia poteſt aliqua eſſe proditio vtilis, ſalutaris, & pio conſilio facta.

XIIII. Ex Xenophonte, rerum Græcarum lib. 1. & Plutarcho, in Alcibiade.

DEFECERANT Byzantij ab Athenienſibus: præſidiúmque Lacedæmoniorum, quorum dominatui ſubditi eſſe mallent, intra mœnia ſuſceperant. Vrbem ingenti manu obſedit paulo poſt Alcibiades: quam cùm omni arte & machina, poſtremò commeatu & inopia premeret, Anaxilaus Alcibiadi prodidit, ijs conditionibus, vt nemini Byzantio ſua defectio fraudi eſſet. Verùm

apud Lacedæmonios proditionis reus caussam dicere coactus est, respondit se non Lacedæmonium, sed Byzantium esse. igitur ciuitati suæ quę periclitabatur, se magis consulere debuisse quàm vrbi Lacedæmoniorum, quæ in pacato tutóque esset, quam neque obsideret hostis, neq; ita muro & fossa circundedisset, vt auxilij externi nulla spes relinqueretur. Byzantios in ea caussa fuisse. commeatuum omnium summam penuriam habuisse: aut si quid tantilli fuerit, hoc vniuersum præsidio Lacedæmoniorum ac Bœotorum diuidi consueuisse: dum interim Byzantij, vxores eorum ac liberi, fame, siti, miseriáque omnes interirent. ideo salutem vrbis suæ prodidisse non videri: quinimo a clade & certo interitu liberasse. Denique minime conueniens esse, id si non gloriosum, at Byzantijs vtilissimum, à Lacedæmonijs repræhendi, quibus perpetuò potior fuit vtilitatis, quàm honesti ratio. Placuit igitur Anaxilaum eo iudicio liberari.

Qui hostes dolo malo consilio iuuerit. nam & hæc summa proditio est.

XV. Ex vita Thucydidis.

ANTIPHON, is cuius nimia eloquentia, nimiáque in dicendo auctoritas ita Iudicibus suspecta fuit, vt non sinerent eum facilè pro alijs postulare: & de quo id dicitur, Neminem illius vsum esse consilio, cui non in alea Iudiciorum optimè semper aliquid euenerit: temporibus belli

belli Peloponnesiaci missus ab Atheniēsibus Legatus ad Lacedæmonios cum Archeptolemo & Onomacle, accusati & conuicti sunt, e re Lacedæmoniorum vtilissima consilia, pro Atheniensibus deteriora protulisse. Quamobrem sic in eos animaduerti placuit, vt eorum etiam ædes solo æquarentur, gens familiáque tota partim necaretur, partim infamia perpetua notaretur.

In depræhensos statim indicta caussa posse animaduerti, maioris mali vitandi caussa.

XVI. Ex Plutarcho, in Agesilao.

IN summis periculis, iuris ordine atque accusationum formulis non vtimur: interdum etiam inauditos atque indicta caussa condemnamus, interficimus: videlicet cùm in ipsa ordinaria inquisitione & legitimo supplicio, metus est, ne crescentem seditionem excitet, citiúsque cogat post dissimulationem erumpere, quàm antea sedari ac supprimi possit. Hac igitur ratione vsum esse Agesilaum à Plutarcho relatum est, ex consilio tamen & auctoritate Senatus, eorúmve qui Ephori dicebantur, cùm à Thebanis, duce Epaminonda, vrbs Lacedæmon obsideretur. Etenim admonitus quosdam ciues Lacedæmonios de proditione cogitare, noctúque in vnam domum conuenisse: depræhensos absque vlla alia iudicij forma (quod nunquam anteà Lacedæmone vsuvenerat, quenquam indicta caussa condemnari) statim necari iussit.

Proditionis crimen & aduersus Socios committitur: quos quia in fide continere ad summam Reip. pertinet, ideo durius vindicatur.

XVII. Ex Polybio, lib. 1. Epito. Liuiana, lib. 12. Valerio Maximo, lib. 2. Paulo Orosio, lib. 4. cap. 3.

CVM in præsidium Rheginorum legio Campana cum Præfecto Decio Iubelio missa esset, milites allecti Rheginorum opulentia, ita fidem violarunt, vt occiso Iubelio & in eius locum sua sponte M. Cęlio suffecto, Rhegium occupauerint: ciues alios vrbe, alios opib⁹, alios vita priuarint. Hoc turpiter admissum, perfidè & cõtra Ius gentium, mandauit Senatus Genutio Consuli vt seuerè vindicaret. Is vrbe obsessa, captisque omnibus de aliis quidem supplicium sumsit: trecentos vero milites ciues Romanos, quia magis eorum iudicium ad Senatum Populúmque Romanum pertinere videretur, Romã deportauit. Hos licet M. Furius Flaccus Trib. Pleb. denuntiaret ne in ciues Romanos aduersus morem maiorum animaduerteretur, attamen Senatus ita hoc modo puniri decreuit, vt quinquageni per singulos dies virgis cæsi, securi percuterentur, néve eorum aliquis sepeliretur. sed & eos lugeri vetuit.

Quo plus inter se hostes diuersis linguis ac moribus vtuntur, eo minus à se inuicem corrumpi possunt.

XVIII. Ex Iustino, lib. 20.

HANNO Dux eius belli fuit, quod cum Dionysio

nysio Siciliæ tyraño Carthaginenses habuerunt. Is cùm inter Pœnos Suniatore illa tempestate potentissimo, inimico vteretur: Suniator odio illius, Græcis literis, non lingua Punica Dionysio aduentum exercitus, segnitiémque Ducis familiariter prænuntiauerat. Sed literis interceptis, proditionis damnatus est: facto etiam Senatusconsulto (quod certe notandum est) ne quis postea Carthaginensis aut literis Græcis, àut Græco sermoni operam daret: ne aut præsens aut per literas loqui cum hoste posset sine interprete, sine arbitro.

Legatos innoxios esse, si sub specie legationis, proditionem moliantur. Indicibus præmia danda sunt. Si ad plurimos delictum pertineat, est aliquando relinquendus pœnitentiæ locus.

XIX. Ex Dionysio Halicarnasseo, lib. 5. & 6. Tito Liuio, deca. 1. lib. 2. Plutarcho in vita Valerij Publicolæ.

EIECTO Tarquinio, missis ab eo legatis, inter eos & Vitellios Aquiliósque primæ nobilitatis adolescentes (erant Aquilij ex sorore Collatini) de accipiendis clam, nocte in vrbem Regibus, Consulibúsque interficiendis, Bruto & Collatino conuenerat, in societatem consilij accitis Tito & Tyberio ipsius Bruti liberis. Cùm scriptæ literæ ad Tarquinios vt pignus fidei essent, seruo deferente, & accusante P. Valerio, manifestum crimen reddidissent: depræhensis Legatis, coniuratisque, sine tumultu re omni transa-

cta, de Legatis, de bonis Tarquiniorum, de proditoribus iudicium haberi cœpit. Quod ad legatos attinet, etsi commisisse videbantur vt hostium loco essent: ius tamen Gentium valere placuit: neque tam considerari, quid Legatis merito patiendum, quàm Romanæ virtuti concedendum esset. Præterea huius facinoris noxam magis penes eos esse, qui legationem imperarunt, quàm qui obierunt: quia ijs parere necesse fuit. Itaque Aulus Posthumius Dictator, non aliam rationem paulo post secutus est, victis Latinis ad Regillum lacum, aduersus Legatos Volscorum, qui falso legationis nomine exploratores aduenerant. Semper enim præualere oportere ius gentium, quarum omnium, vbicunque Legatos violatos esse intellexerint, hæc prior erit perpetuo coniectura & opinio (quæ sane vitanda est) iniuria, quàm iure violatos esse. De bonis, quæ reddenda Populus ante voluerat, placuit referri ad Patres integrum nepotium. Hi tum vetuere Tarquinio reddi, vetuere & in publicum redigi. ager exceptus est, quem Marti consecratum Martium appellarunt. Denique citantur rei. accusat apud Coss. Valerius. Illos, eo potissimum anno patriam liberatam, patrem liberatorem, ortum ex domo Iunia Consulatum, Patres, Plebem, quicquid hominum Deorumq; Romanorũ esset, induxisse in animum, vt Superbo quõdam regi, tum infesto exuli, proderent? Literas Iunij recognoscunt. itaque iussi à patre caussam dicere, postquam nihil negarunt: ibi se Brutus,

cui

cui de liberis pœnæ capiendæ ministerium Consulatus imponebat, & quem exactorem supplicij fortuna dederat, vnde fuit inprimis spectator amouendus: aut se nunquam satis inhumanum, aut nunquam satis admirabilem præstitit. Hunc nec ciuium preces, nec filiorum commiseratio, neque ætatis excusatio dimouet. iubet lictores supplicium sumere. deligatos ad palum sedente Bruto nudatos virgis cædunt, securíque feriunt. De Aquilijs fuit contentio. cœpit enim Collatinus eorum nomine primùm deprecari: posteà verò, quia infestiore Bruto vteretur, quasi iure agere. Dicere, periculum imminere ne tota ciuitas conturbetur, si quicunque visi essent aliquid de reditu exulum cogitasse, eos omnes capitali pœna ducerent affici oportere. iam verò absurdissimum esse, Tyrannos exilio duntaxat, amicos vero tyrannorum, capite condemnari. Hîc Brutus rem ad Populum rejicit. Se quidem de liberis suis magis pro patria potestate, quàm pro Imperio statuisse. de alijs, quando à Collega prohiberetur ne pares pœnas exigeret, qui paria cum filijs consilia inissent: populum pro maiestate sua iudicaturum. Quare aduocata concione, Valerius accusator grauiter ostendit, non hoc clementiam esse, aut erga ciues beneuolentiam: sed cum Tyrannis reconciliationem esse. Collatino sanguine & amicitia coniunctos, non æquo iure vti cum Iunijs, atque cum proditoribus mitius agere, quid aliud esse, quàm & legem & iusiurandum de non admittendis vnquam re-

gibus, violare? ipſum etiam antea Collatinum conſuluiſſe, bona tyrannis reddenda eſſe. In alijs delictis, vbi perpetrata ſunt, ſolere iraſci omnes: in proditionis autem tantummodo ſuſpicione, prudentius eſſe, fruſtra etiam metuendo, ſeuerius animaduertere: quàm nimis ſecure agendo, quod deinde in perniciem vergat, benigniores eſſe videri velle. Itaque omnibus Populi ſuffragijs, Aquilij cæteríque proditores pari ſupplicio affecti ſunt. & vt in vtramque partem arcendis ſceleribus exemplum nobile eſſet, indici præmium datum eſt, pecunia ex ærario, libertas & ciuitas: Valerio, Conſulatus. atque etiam conſtitutum (quod apprimè ciuitatem ad concordiam adduxit) vt Romanis qui cum tyranno profugerant, reditus in vrbem ſine metu, ſineq́ delicti alicuius recordatione permitteretur: certe viginti dierum tempore præfinito, intra quod ſi non redirent, pœna ſtatuta eſſet, exilium perpetuum, cum bonorum omnium publicatione.

Suſpicio ſuſpicione tollitur: vnius noxa, alterius innocentia, quos credibile eſſet fuiſſe delicti participes.

XX. Ex Valerio Maximo, lib. 8. cap. 1.

A. Attilium Calatinum, Soranorum oppidi proditione reum admodum infamem, imminentis ac certæ damnationis periculo, Q. Maximi ſoceri fides, integritas, cognita virtus, maieſtatisq́ ac ſecuritatis plena affirmatio, ſubtraxit. iurauit enim ſi in eo crimine ſontē illum ipſe comperiſſet,

risset,

risset, diremturum se fuisse affinitatem. Igitur Populus Romanus (non enim aliis iudicantibus fortasse licuisset) penè iam exploratam sententiam suam, vnius iudicio concesit: indignum ratus, eius testimonio non credere, cui, difficilimis Reip. temporibus, exercitus se credidisse meminerat: cuiusque generum tanti & tam acerbi criminis, quod nunquam vnius esse potest, non facile condemnaret, quin aliqua semper ad socerum delicti suspicio perueniret: quem de ista proditione, si vllum alium, nihil ignorasse verisimile videretur.

Huius criminis tertia caussa est, eius qui principem, Magistratum, eúmve qui imperium potestatémve haberet, occiderit, fecerítve dolo malo quo hi occiderentur: in quo etiam inimicorum securitas atque ratio vertitur.

XXI. Ex lib. 2. Regum cap. 4. Flauio Iosepho, lib. 7. cap. 2.

POST longas contétiones inter Saulem & Dauidem, mortuo Saule, adhuc graue bellum erat Dauidi cum Isbosetho filio Saulis, propter regnum patrium, quod à se indignissimè auferri, vt ei quidem videbatur, molestè ferebat. Igitur duo Tribuni tandem extitere, Rechab & Baana: vel, vt Iosephus ait, Banaoth & Than. Hi, quòd sentirent Regis sui Isbosethi res in peius vertere, defectionem meditati, gratissimum facturos se existimarunt, si dolo interfecti regis caput amputatum

putatum ad Dauidem attulissent. Sed impium eorum facinus, atque parricidio coniunctam proditionem, vir strenuissimus, vir religiosissimus abominatus est. Isbosethum nihilo deliquisse, si iure optimo secum de Imperio contenderet. ideóque ne quidem à suis interfectum voluisse, nec placere turpi proditione, sed æquo Marte hostem vincere. Aliud esse victoriam, aliud latrocinium: & alterum fortis ac magnanimi Principis, alterum ignaui, timidi, & abiecti lanistæ aut gladiatoris, qui tergum non iugulum postulet: alterum leonis, alterum vulpeculæ. Itaque Tribunis, manus, quibus amputassent: pedes, quibus ad se caput attulissent, iussit quoque amputari, postremo interfici.

Supplicium interdum maximè legitimè sumi, cùm illegitimè sumitur.

XXII. Ex Diodoro Siculo, lib. 11. & Iustino, lib. 3.

ARTABANVS apud Xerxem regem Persarum cùm plurimum posset, illiúsque custodiæ ac militibus Prætorianis præficeretur: inijt tandem Regis occidendi, regnique in se transferendi consilium. Ergo re communicata cum Mithridate quodam eunucho, clam noctu istius opera intra cubiculum regium ingressus, Xerxem interficit: nec non Artaxerxi filio persuadet, vt fratrem Darium maiorem natu maturè aggrediatur, quem patrem apud eum falsò occidisse accusat, vt citius regno potiretur. Artaxerxes deceptus, Darium

rium interficit: parricidium parricidio vindicat. Tum ratus Artabanus præclarè sibi cœpta consilia succedere, rem septem filijs suis robustissimis aperit: hortatur vt simul omnes Artaxerxé, qui vnus ex Regijs filijs superest, feriant. Sed proditis insidijs, Artaxerxes timens Artabani numerum filiorum, in posterum diem paratum exercitum armatumq́ esse iubet, recogniturus & numerum militum, & in armis industriam singulorum. Itaque cum inter cæteros & ipse Artabanus armatus assisteret, Rex simulat se breuiorem loricam habere: iubet Artabanum secum commutare. exuentem se ac nudatum gladio traijcit: tùm & filios eius corripi iubet. ita præclare & cædem patris, & necem fratris, & se ab insidijs Artabani vindicauit.

Qui sciens aliquid parari aduersus salutem Principis, non renuntiauerit, is reus quoque est læsæ maiestatis. Porro cum de iniuria Principis agitur, non suam sed aliorum cognitionem esse oportere.

XXIII. Ex Quinto Curtio, lib. 6.

DYMNVS apud regem Alexandrum non multæ auctoritatis nec magnæ potentiæ fuit. Is cùm Nicomachi adolescentis amore deperiret: remotis arbitris, atque exacto iureiurando quòd quæ commisisset, silentio tegeret, Nicomacho amasio suo narrauerat, Alexandro Magno ad diem tertium paratas esse insidias: se istius facti consiliјq́ fortissimos viros ac illustres habere participes,

ticipes, Demetrium, Peculaum, Nicanorem, Aphobetum, Loceum, Diosemum, Archepolim, Amyntam. Itaque vel metu, vel amore, vel precibus exoletum impulerat, vt etiam operam polliceretur. Sed cum ab hoc sermone Nicomachus statim quæ acceperat, ad fratrem Ceballinum paulò maiorem natu detulisset: Ceballinus Philotæ filio Parmenionis Equitum Præfecto, atque inter alios Regi admodum familiari & amico rem narrat, vt sine cunctatione Alexandro nuntiaret: Philotas dimisso Ceballino cum egregia laudatione, etsi protinus Alexandrum adiisset, multosq́ inuicem de aliis rebus sermones habuissent, attamen nihil eorum quæ de Ceballino cognouerat, nuntiarat: neque item postero die, quanquam denuo à Ceballino admonitus, ne mandata de indicio suo negligeret. Quare Philotas Ceballino suspectus esse incipit: ideóque Motroni coniurationem indicat. Re Alexandro nuntiata, Dymnum vocari iussit: Ceballinum etiam necti, quia dies tertius erat ex quo Nicomachus rem ei detulisset: nec potuisse tandiu continere quod de salute sua resciuisset, nisi vel corrupta fide, vel delicti conscientia. Sed postquam clamitare cœpit, eodem momento se ad Philotam decurrisse, institisse vno die & altero, vt regi denuntiaret: intereáque Dymnus haud ignarus quam ob caussam accerseretur, mortem sibi consciuisset: Philotas venire iussus est. Ceballinus (inquit Alexander) vltimum supplicium mereretur, si in caput meum

præpa-

præparatas insidias biduo celauisset: neminem enim tale indicium supprimere, nisi autorem aut participem. Quid de te Philota? quàm maius est hoc dissimulationis facinus, quo propiore gradu amicitiæ me contingis? Ad hæc Philotas intrepidus, Ceballinum profectò non hominis, sed meretriculæ ac scorti sermonem ad se attulisse: itaque tam leui autori non credidisse, veritus ne iurgium inter amatorem & exoletum non sine risu aliorum, pro coniuratione detulisse videretur. nunc quia Dymnus seipsum interemit, qualecunque indicium fuit, apparere proculdubio non facile contemni debuisse: sed orare se, vt præteritam vitam potius, quàm culpam, silentij tamen, non facti vilius, intueretur. Ergo Alexander reconciliatæ quidem gratiæ pignus dextram porrexerat, atque contemtum magis quàm celatum indicium esse, videri sibi ab initio dixerat. itaq; cœnæ, vt semper antea, familiariter Philotam admiserat. Sed postquam aduocato consilio amicorum (cui tum Philotas non affuit) introductus Nicomachus, eadem ordine suo exposuit, Craterus alijque consiliarij censuere (cum aliqua tamen inuidiæ nota) parcere Philotæ Alexandrum non debuisse: nunquam enim sperandum esse, vt, qui tantum facinus ausus est, venia mutari posit. Quædam nos beneficia odio prosequi: vt meruisse mortem, confiteri pudet. Indignum esse, filium Parmenionis Magistrum Equitum, hoc ipsum mendacio respondisse, ne index alium internuntiũ quæreret, Alexandrum sermo-

ſermoni ſuo non vacaſſe. contrà verò Nicomachum etiam religione Deûm aſtrictum, conſcientiam ſuam exonerare feſtinauiſſe. Philotam, conſumto per ludum iocúmque pene toto die, grauatum eſſe pauca verba ad caput Regis pertinentia tam longo & forſitan ſuperuacuo ſermoni inſerere? Quod ſi pueris non crediidiſſet talia deferentibus, cur igitur biduum extraxerit, ac ſi indicio fidem habuiſſet? dimitti Ceballinum debuiſſe, ſi delationem eius improbaret. Sed in ſuo quidem periculo, licere magnum animum gerere: vbi vero de ſalute Principis agitur, omnes credulos eſſe oportere: & vana quoque deferentes audire, admittere. Itaque in conſcios quæſtionem haberi cenſuerunt. Quare poſtero die vocata concione, Dymni cadauer in medium affertur: & cùm vetuſto more Macedonum, Rex ipſe de capitalibus rebus inquireret, maluit Alexander accuſatoris quàm iudicis partes ſuſtinere. Rem multitudini aperit, Parmenionem qui tum Mediæ præerat, huius ſceleris ducem eſſe: miniſtros, Philotam, Peucolaum, Demetrium atque hunc Dymnum habuiſſe. teſtes citat Nicomachum, Motronem, Ceballinum. Philotæ ſilentium arguit: in eo latuiſſe facinus, auidámque regnandi libidinem. Sed & Parmenionis interceptam epiſtolam recitat, quam ad filios Nicanorem & Philotam ita ſcripſerat, vt ſiue ad filios perueniſſet, à conſcijs poſſet intelligi: ſiue intercepta eſſet, falleret ignaros. Et quòd à Dymno Philotas inter participes ſceleris nominatus

non

non fuiſſet, potentiæ non innocentiæ ſignum eſſe, quòd ab ijs etiam timeretur, à quibus prodi poſſet. Vt reus autem liberius cauſſam diceret, & Populus ſuffragium ferret, ſubduxit ſe Alexander. Tum Philotas, Inprimis Nicomachum de ſe nihil dixiſſe, neque id Dymnum potuiſſe præterire, ſi, vt Rex falsò exiſtimat, caput coniurationis eſſet. quinimo Philotam vel falsò nominandum, quo facilius qui tentabatur, impelli poſſet. Id ſolum obijci, quod rem delatam tacuerit, quod tam ſecurus audierit. Id vero ante omnia ſibi ab Alexandro condonatum eſſe: & dextram amplexum, & conuiuio adhibitum. ſi ſibi reo crediderit, abſoluiſſe: ſi pepercit, dimiſiſſe. Nunc ſi iudicium ipſius Alexandri ſeruari non placeat: rem ad ſe delatam à puero, qui non teſtem, non pignus indicij exhibere poterat: impleturus omnes metu, ſi cœpiſſet audiri: amatoris & ſcorti iurgio interponi aures ſuas pati noluiſſe. Præterea fidem rei ſuſpectam habuiſſe, quòd non ipſe Nicomachus detuliſſet, ſed fratrem potius ſubornaret. timuiſſe, ne negaret Nicomachus, mandaſſe ſe Ceballino: ipſe vero videretur multis amicorum Regi periculo fuiſſe. Quòd ſeſe Dymnus interfecerit, id verò diuinari non potuiſſe. Et ſi hercule conſcius Dymno tāti ſceleris fuiſſet, biduo illo proditum ſe intelligens, non potuiſſe fieri vt tandiu diſſimularet. Ceballinum nullo negotio de medio tolli potuiſſe. Iam cùm ad ſe delato indicio ſtatim, ſolus, ac ferro quidem accinctus, Regis cu-

 biculum

biculum intrauerit, cur distulisset facinus? Denique quàm timide, cunctanter ac pedetentim tale quid Regibus indicari debeat, habere se patris Parmenionis exemplum: qui cum audisset venenum à Philippo medico parari Alexandro, deterrere eum voluit epistola, quo minus id medicamentum biberet, quod ei medicus dare deliberasset. At Regem nihilominus non credidisse: nullam auctoritatem patris sui literas habuisse. Rex in concionem reuersus, cum audiret Philotam à multitudine obrui, consilium in posterum diem distulit. Interim denuo amicos conuocat. Cæteris placebat, more maiorum, reum lapidibus obrui: sed in sententias Ephestionis, Crateri & Cœni itum est, vt tormentis veritas exquireretur. Proposito cruciatu, etsi fatebatur, placuit tamen, vt quæ confiteretur, eadem etiam in tormentis pronunciaret. Interim cùm Equitum nobilissimus quisque, & ij maximè qui Parmenionem propinqua cognatione contingebãt, postquam Philotam torqueri fama vulgauisset, legem Macedonum metuentes, qua continebatur, vt eorum etiam proximi qui Regi insidiati essent, cum ipsis necarentur: alij sese interficerent, alij in deuios montes vastásque solitudines aufugerent, ingenti per totum exercitum diffuso metu atque formidine: Rex edicto pronunciauit, remittere se legem de coniunctis damnatorum. Cæterum Philota semel atque iterum quæstioni adhibito, & cum omnia eadem ex tormentis & extra, præsente & absente Alexandro
fatere-

fateretur : is & Demetrius signo dato more patrio lapidati sunt. Ille charissimos habuerat tres fratres, Amyntam, Simiam, Polemoné : nam ad ampla & honorata ministeria, illius maxime suffragatione peruenerant. horũ minimus natu Polemon, cùm Philotam torqueri comperisset, aufugerat. Rex non dubitabat, eos vltimi consilij quoque fuisse participes : itaque inuestigari ac comprehendi iusserat. Adijciebat enim Alexander, & hos sibi olim suspectos esse, matris suæ Olynthiæ literis, quibus esset admonitus, vt ab his salutem suam tueretur. cæterum se qui inuitus antea deteriora credere consueuit, nunc manifestis indicijs persuasum, iussisse apprehendi. Nam pridiè quam detegeretur Philotæ impius animus, quin in secreto cum eo fuissent, negari non posse. fratrem verò qui aufugerit cùm Philotas torqueretur, aperuisse suæ fugæ rationem. denique & Amyntæ quædam verba enuntiata superbius, in suspicionem & coniecturam trahebãtur. Nihilominus Amyntam & Simiam causam pro se dicturos, Alexander vinculis soluit : habitum quoque restituit, vt sine præiudicio dicere viderentur. Aiebat itaq; Amyntas, durum esse, asperiora verba in crimen trahi. id disciplinam militarem exigere, vt Duces interdum humanius, interdum seuerius milites alloquãtur. Amicitiam sibi fuisse cum Philota, atque adeo expetisse, non negare. huius sibi periculi (si periculo esse debet) autorem esse Alexandrum. Nam Philotam cum apud se fuisse, cuius gratia ab omnibus ex-

peti, ira timeri posset. Omnes, vel Alexandrò præeunte, iurauisse, eosdem se inimicos amicósque habituros, quos ipse haberet. Igitur si hoc crimen est, paucos innocentes esse, imò neminem: omnes enim Philotæ amici esse voluerunt: nec totidem quot volebant, potuisse. Si à conscijs amici non diuidantur, nec ab amicis quidem separari eos oportere, qui amici esse voluerunt. Quòd mater Alexandri aliquid de se ac fratribus vt inimicis rescripserit, id sibi nocere non debere: quia nec metus sui causam, nec auctorem adscripserit, quo facto dictóve mota adeo trepidas literas ad filium dederit. Sed ipsum certe fuisse Alexandrum, qui tunc reos iræ matris obtulerit, dum suis potius vtilitatibus quàm muliebri gratiæ obedire imperaret. Dum hæc diceret Amyntas, qui fugientem Polemonem consecuti erant, vinctum afferunt. Is cùm nihil pro se deprecaretur, modo ne fratrum innocentiæ fuga imputaretur sua, miserationem mouit. quanquam & fugæ occasionem non in conscientia poneret, sed in metu & rigore legis de coniunctis damnatorum, quibus tamen Alexander clementissime ac sapientissime pepercerat. Reos placuit absolui. Reliquus erat Parmenion pater Philotæ, de quo propter potentiam & auctoritatem, & Mediæ cui præerat oportunitatem: vindicta vix absque seditione sumi poterat. Igitur antequam de morte filij quid audire posset, mittit Alexander Polydamanta, qui hominem ex insidijs interficeret. Sed & Lyncestes Alexander

der multò antèquam Philotas Regem Alexandrum voluiſſet occidere, à duobus indicibus delatus, tertium iam annum cuſtodiebatur in vinculis. Nam & cum in Philippi Regis patris Alexandri cædem coniuraſſe cum Pauſania, pro cõperto habebatur. Sed quia primus Alexandrum Regem ſalutauerat, ſupplicio magis quàm crimini fuerat exemptus: præterea & Antipatri ſoceri eius frequens expoſtulatio iuſtam Alexandri Magni indignationem morabatur. Cæterum recruduit ſoporatus dolor, quòd veteris periculi memoriam, præſentis cura renouaſſet. Igitur Lynceſtes e cuſtodia eductus, atque iuſſus ſaltem eam dicere, quam toto triennio meditatus erat defenſionem, ita quædam hæſitans ac trepidus pronunciauit: ad vltimum etiam non memoria ſolum, ſed & mente atque ingenio deſtitutus eſt, vt iſta trepidatio delicti magis argumentum, quàm memoriæ vitium eſſe videretur. Itaque cùm adhuc aliquid dicere conaretur, pro confeſſo, qui proximè aderant, hunc lanceis confodiunt.

De egregijs perſonis omnino rectius priuatim, quàm publicè ſupplicium ſumitur: maxime cùm non in ſubditum noſtrum animaduertimus. & domino paruiſſe interdum veniam meretur.

XXV. Ex Appiano, in Mithridate.

ATTILIVS ciuis Romanus, poſt damnationem exul ad Mythridatem Regem Populo Romano infeſtiſsimum, ſibi vero antea familiarem

 ſe con-

se contulerat: sperás, eò quòd suá opera aduersus Rempub. vteretur, nactus apud eum fidem & auctoritatem, fore vt ex insidijs Regem aliquando occideret, itaque & reditum & multæ remissionem impetraret. Hoc enuntiato consilio, in carcerem ducitur, & qui cum eo conspirauerant, itémque omnes Attilij serui. De Attilio ita decreuit, vt quando ciuis Romanus Senatorijq́ue ordinis esset, de eo non palam, sed priuatim supplicium sumeretur: de coniuratis, suo more. Sed quod ad seruos attinet, dimitti placuit, cùm non sua sponte, sed domino parendo deliquissent.

Qui aduersus salutem Principis conspirauit, omnium tribunalium iudicio, si ratione dignitatum ad plura pertinet, damnari debet.

XXVI. Ex Appiano, lib. 3. bellorum ciuilium.

Q. Gallius Prætor accusatus est, quòd suadente M. Antonio in mortem Octauij Cæsaris conspirasset. Conuictus, & dignitate à Collegis spoliatus est, & domus à Plebe direpta, & iudicante Senatu, morte damnatus est. Sed Augustus, qui, quò peruenit, aspirabat, vt simul & securitati suæ, & humanitatis opinioni consuleret, iussit eum duntaxat ad M. Gallium fratrem qui ab vrbe aberat, proficisci, neque ab eo vnquam discedere. Verùm in itinere curauit, vt ita de composito occideretur, vt de facto, quid ei accidisset, nihil vnquam certi afferri posset.

Exemplũ quo & in filios nocentis animaduersum est.

XXVII.

XXVII. Ex Dione Nicæo, lib. 58.

L. AElius Seianus fortunæ ac viciſsitudinis humanæ vnicum ſpecimen, apud Tyberium tanta fuit auctoritate, vt ei pro collega in imperio haberetur. Sed elatus hoc faſtu potentiáque, cœpit Tyberium præ ſe nihili facere, Prætorianos alióſque omnes ſibi conciliare. Tyberius re cognita, cautè ac pedetētim depreſſum hominem, atque in ordinem redactum, literis tandem in Senatu accuſauit. De ea re ita cenſuerunt, Placere AElium Seianum capite multari: corpus in Gemonias proijci: eius liberos omnes interfici: Apicatæ vxori veniam dari.

Damnati amicum fuiſſe, non nocere.

XXVIII. Ex eodem.

POSTQVAM in Seianum animaduerſum eſt, multi familiaritatis atque amicitiæ cauſſa, quam cum Seiano habuiſſent, rei poſtulati ſunt. inter alios cauſam dixit in Senatu M. Terentius Varro. Is amicitiam vt negaret, tantum certe quidem abfuit, vt etiam oſtenderet, eum ſe maximo ſtudio coluiſſe, quem ipſe Tyberius in tanto honore habuiſſet. qui ſi recte fecit vtens eius amicitia, neque ſe quoque in eo deliquiſſe. contrà, ſi Imperator, qui habet omnia certiſſima atque exploratiſsima, deceptus eſt: quid mirum ſi in eundem errorem inciderit? cùm vnumquemque maximè conueniat, omnes eos quos Princeps in honore habet, ſectari, colere, amplecti, nihil anxium quales ij eſſe poſsint: at-

que ſolum hunc præfigendo amicitiæ ſuæ finem ac terminum, quòd Imperatori approbantur, ibi eſſe pœnam oportere, vbi & noxia eſt: neque affinitatem vel amicitiam hoc vnico nefarium admittere. Senatus reum abſoluit, verbíſque etiam accuſatores ipſos increpuit.

In hoc crimine, filij accuſatio recipitur: ſerui in caput domini torquentur: & deſtitutam accuſationem etiam cogitur filius exequi: ſed filio accuſante pater mitius punitur.

XXIX. Ex Cornelio Tacito, Annalium lib. 4.

Q. VIBIVS Serenus, Tyberio imperante, ab exilio in iudicium retractus eſt accuſante filio, quòd Principi paraſſet inſidias, & concitores belli in Galliam miſiſſet, pecuniam miniſtrante Cæcilio Cornuto Prætorio viro. hunc ſceleris conſcientia mortē ſibi attuliſſe. Nominabat accuſator & Cn. Lentulum & Seium Tuberonem primores ciuitatis, atque Imperatori amiciſsimos: eos criminis eſſe participes. Sed hi quidem, quorum alter extremæ Senectutis erat, alter defecto corpore, ſtatim exemti ſunt. Porro & ex ſeruis cùm in patrem quæſitum eſſet, aduerſa quæſtio accuſatori fuit. itaque Serenus cùm infracto animo vltores Deos in filium appellaret: ſe Principis cædem ac res nouas vno ſocio cogitaſſe, non eſſe veriſimile, ſi naturam, ſi magnitudinem ſceleris inſpicimus, Filius accuſator cùm vecors impietate, tum vulgi rumore per-

perterritus, robur & ſaxum & parricidarum pœnas minitantium, vrbe ceſſerat & accuſationem deſeruerat. Sed Rauenna retractus, exequi coactus eſt: & placuit tandem Vibium relegari: quia durius eſſe videbatur, patrem, filio accuſante, more maiorum interfici.

Etiam in hoc crimine, pœna, rei qualitate aliȷ́ſq; circunſtantijs exacerbatur aut minuitur.

XXX. Ex Dione Nicæo, lib. 60.

ASINIVS Gallus Druſi frater vterinus, etſi Claudio Auguſto inſidiatus eſſet: non tamen extremo ſupplicio, ſed exilio duntaxat mulctatus eſt, ideo quia neque ad ſuum facinus exercitum parauerat, neque pecuniam contraxerat: ſed multa duntaxat inſania, quaſi generis ſui cauſſa à Romanis vltro imperium accepturus eſſet, ad hanc ferociam eum protraxerat. item quòd ſtatura minima, ac ſumma deformitate præditus, deſpiceretur, ridiculusq́; magis quam metuendus eſſe videretur.

Ad Principem, anteceſſoris ſui Principis mortem vindicare, pertinet, etiamſi iure aut merito interemti.

XXXI. Ibidem, & ex Flauio Ioſepho, lib. 19. antiquitatum cap. 3.

NVNQVAM prodeſt malum exemplum. etiamſi in præſenti, occaſione quadam delectat: in futurum tamen altius nocet, vt elegantiſsime noſter Quintilianus ait. Quapropter etſi à Caſ-

ſio Cherea, & Lupo, aliiſque merito Caius Imperator ob nimiam crudelitatem, & impia facinora occiſus eſſe dici poſsit: attamen & ipſe Claudius, qui factum antea laudabat, poſtea imperium adeptus, in percuſſores animaduertit. quia ſi Caius interfici debuit, à Cherea Tribuno non debuit, cui ſalus Principis pro officio committeretur. in hoc, genus aliquod eſſe proditionis. Denique paucorum ſupplicio, ſecuritati Principum omnium conſulendum.

XXXII. Ex Dione, in Seuero. Herodiano, lib. 2. & Eutropio, lib. 4.

SEVERVS quoque cùm ad imperium perueniſſet, eos qui Pertinacem occiderant, morte multauit: milites omnes ſceleris conſcios veſtimentis militaribus exutos nudóſque dimiſit: Equitibus arma equóſque abſtulit. cæterum ab vrbe centeſimo lapide omnes abeſſe iuſsit, aut certe vt capite pœnas luerent. Omnino quæ Principi affertur iniuria, omnium aliorum Principum iniuria eſt: quia non tam perſona, quàm dignitas læditur. Meminerant Claudius ac Seuerus Imperatores, quòd Quintus Cæpio Conſul ei qui Viriatum latronum ducem interfecerat, & ideo præmium peteret, olim reſponderat, Nunquam Romanis placuiſſe, Imperatorem à ſuis militibus interfici.

Minus id crimen tolerari debet, quod veluti adiutrice fide publica perficitur.

XXXIII. Ex Herodiano, lib. 3.

IMPA-

IMPATIENS consortis est regnandi cupiditas. itaque Seuerus Imperator cùm tabellarios aliquot ex ijs qui literas Imperatorias perferebant, cum literis mandatísque ad Albinum delegasset, ita vt post publicè ac palam redditas literas, quædam habere se dicerent, quæ apud eum remotis arbitris loquerentur; & tum facto impetu, Albinum interficerent: sensitæ atque intellectæ sunt insidiæ. Igitur Albinus in compræhensos tabellarios animaduerti iussit.

Seria in ludicris ponere, & magistratus personam induere, qui non sit, periculosum est.

XXXIIII. Ex Herodiano, lib. 1.

VERIS initio, stato solenníque die, Romani Matri Deorum pompam celebrabant. in ea passim omnibus ludendi licentia permissa erat, sic vt quas quisque vellet personas indueret: nullam non magistratuum quoque imaginem adeo repræsentaret, vt non sæpe à falsis veri dignoscerentur. Hunc diem Maternus captare Imperatori Commodo renunciatus est, vt is conscijsque sui stipatorum persona suscepta, se hastatis immiscentes, vt pars Imperatorij comitatus esse crederentur, nullo præcauente, ac repente impetu facto eum trucidarent. Is ergo antea proditus, capite multatus est: & qui eiusdem factionis essent, hi suis etiam pœnis affecti sunt.

In hoc crimine quò quis proximior est, eò seuerius in eum debet animaduerti.

XXXV. Ex Herodiano, lib.1.

LVCILLA Cōmodo Imperatori maxima natu soror fuit. ea, postquam Commodus ipse Crispinam vxorem duxit, huic in posterum primo loco cedere, ita iniquo animo tulit, ac si illius honor in suam contumeliam vergeret: vt consilium ceperit cum Quadrato & Quintiano alijsque Senatoribus, in Senatu Commodi interficiendi. Re patefacta, & comprehenso Quadrato in ipso facinore, Lucilla cæteriq; coniurati damnati sunt.

In bellis ciuilibus qui diuersas partes sequuntur, aliquam veniæ occasionem habent.

XXXVI. Ex Dione, in Seuero.

SEVERVS Imperator posteaquam Nigrum prælio vicit, eósque damnare inciperet, qui illius partes secuti essent: Casſius Clera Senator accusatus id fecisse se non negauit, imò liberrimè ostendit, cùm casu euenisset, vt partes Nigri sustineret, necessariò quod ei sors obtulisset, se secutum esse. ipsum etiam Seuerum noluisse quenquam eorum qui cum eo erant, & suam causam defenderent, proditorem ad alios transfugere. Seuerus licentiam hominis admiratus, libertatémque loquendi, dimidiam ei partem bonorum concesſit.

Læsæ maiestatis reus est, qui pecunia corruptus arcere hostem recusauerit: bellum cùm posset, non confecerit.

XXXVII.

XXXVII. Ex Diodoro Siculo, lib. 11.

Siciliam Tyrrhenis infestantibus, Syracusij sibi Præfectum classis Phaylum elegerant, quem nauibus instructis in Tyrrheniam nauigare præceperant. Hic cùm primo aduentu insulam aliquã depopulatus esset, continuóque magna pecunia à Tyrrhenis accepta in Siciliam rediſſet, nulla alia re hâc tota expeditione egregie gesta: proditionis accusatum Senatus Populusque Syracusanus in exilium abire voluit, iussit.

Deniq; omnino munera ab hoste accipere, pœna huius legis prohibetur.

XXXVIII. Ex Demosthene, Philippica 3. AEschine, contra Ctesiphontem. Isocrate in Panegyrico.

A REGIBVS omnibusq; alijs dominandi cupidis quemquã liberæ ciuitatis ciuem, munera pecuniámque accipere, tanto odio fuit, vt id maximis pœnis in omni Republica afficeretur, nec deprecationi vnquam aut veniæ locus esset. Nam quid hoc aliud habet, quàm promptum & paratum animum ad legum, libertatis, ac patriæ proditionem? Si iudex à litigatoribus, Proconsul à Prouincialibus, corruptionis vitandæ caussa, munera, dona accipere prohibetur, imò & ab ijs emere: quam multo minus id ciui ab hoste, non subdito à non domino, permittendum? Certe vt parum pudica est mulier, quæ ab alio quàm à marito accipit: ita is parum vere ciuis, qui se alij quàm ciuitati suæ ac suis deuinciri sinit.

finit. Ita est profecto, vt nemo à quoquam munera accipiat, nisi erga illum beneuolentiam præ se ferat. Memorabile ad hanc rem omnino est Atheniensium iudicium. Quidam Artinius Pythonaclis filius è Lelea oppido Asiæ, iussu Regis cui obtemperare necesse habebat, è Media aurum in Peloponnesum attulerat, Græcos emendi, corrumpendi, ac sollicitandi caussa. Is quanquam nec ciuis Atheniensis erat, neque Athenas venisset vt vllum ciuem Atheniensium corrumperet, sed in Peloponnesum duntaxat: neque hunc in sua potestate haberent, sic vt in eum possent animaduertere: attamen cùm totius Græciæ curam ad se maxime pertinere existimarent, certe Græcis omnibus communem eam esse, ne vlla sui parte Græcia non vi sed pecunia tentaretur: vtque non solùm ciuium animos ab ijs corruptionibus auerterent, sed & extraneos omnes siue hostes siue peregrinos admonerent, quo cum suo malo & periculo tale quid vnquam in vniuersa Græcia aggrederentur: placuit Populo Senatuiꝗ Atheniensium de Artinio cognosci. Eum itaque absentem cum omni sua gente ac cognatione, quòd aurum e Media in Peloponnesum aduexisset, ignominiosum, hostemꝗ Populi Atheniensium & sociorum pronunciarunt: videlicet vt ex eorum legibus à quolibet impunè occidi posset, quíque omnes eum cognatione attingerent. præterea cautum est, vt incisum hoc Populiscitum ærea pila in arce collocaretur.

XXXIX. Ex Dinarcho contra Demosthenem.

Timo-

Timotheus dux Atheniensium illustrissimus, à Chijs & Rhodijs pecuniam acceperat. id cùm fateretur, nihil ei profuit ad liberationem, Lacedæmonios ad Corcyram nauali prælio superasse: nec quòd filius Cononis esset, à quo Græciæ libertas restituta esset: Samus, Methonæ, Pydna, Potydæa, aliæque viginti vrbes captæ. Centum talentis multatus est.

Docere in vulgus ea quæ Populum ad seditionem possint conuertere, pœna huius legis prohibetur.

XL. Ex Dione, in Vespasiano.

CVM Demetrius Cynicus Stoicæ disciplinæ magister, alijque multi occasione Philosophiæ multa publicè differerent, inutilia ijs qui audiebant, quinimo & Reip. perniciosa: quia multos occultè ac veluti ex insidijs in varias sententias adducerent: aut de vnius imperio, aut de statu Populari, horum vter melior esset: Demetrius cum Hostilio in insulam à Vespasiano relegatus est: cæteri omnes huius sectæ Philosophi, vrbe abire iussi. Atq; cum nihilominus paulo post Diogenes clam in vrbē ingressus, apud Populum acerbius atq; arrogantius de summa Reip. verba fecisset, eodem iubente Imp. virgis cæsus est. & quando Eratem Cynicum ne ista quidē pœna deterruisset, ei capitale fuit. Nempe vt ciuis atq; viri boni est, præsentem statum Reip. nolle commutari: ita prudentis imperatoris est, cauere ne assiduitate harum in contrarias partes scholasticarum disputationū, abstrahatur aliò ciuium animus,

mus, rerumq́ue innouandarum cupidiores fiant.

Qui de Prouincia, cùm ei successum fuerit, non decesserit: exercitum iussus dimittere, non tradiderit. sed in hac re quoque distinctio est, doli mali aut fidei bonæ.

XLI. Ex Xenophonte, lib. 7. rerum Græcarum. Cicerone, lib. 1. de inuentione, & Appiano, in Syriaco. Probo in Epaminonda.

MISSVS à Thebanis Epaminondas opem Arcadibus Messenijsq́ue laturus aduersus Lacedæmonios, vt eorũ præsidijs vrbes liberaret, Arcadum Messeniorumq́ue induceret: ex medio itinere ad caussam dicendam atq́ue diluẽdam accusationem euocatus non paruit: ei qui sibi ex lege Prætor successerat, exercitũ non tradidit: tandiuq́ue cum imperio mansit, hoc est, quatuor mensibus, quandiu Arcades Messeniósque à tyrannide ac ditione Lacedæmoniorum eruisset. Iam reuersus ipse, & Pelopidas, alijque omnes Præfecti ac Tribuni capitis accusati sunt. Nominatim lege contineri, QVI VI ET INVITO POPVLO ALTERIVS EXERCITVM RETINVERIT, EI CAPITALE ESSE. Sed aliorum quidem admissa defensio atque excusatio est. recusantes se ac inuitos, & oratione persuasos, vt sub Epaminonda militarent. testem in eo ipsum habere ducem. Itaque eos absolui placuit.

Pro Epaminonda dicebatur, omnes leges ad commodum Reip. referri oportere, & eas ex vtilitate

licitate communi, non ex ſcriptione quæ in literis eſt, interpretari. Ea virtute & ſapientia maiores fuiſſe, vt in legibus ſcribendis, nihil ſibi aliud, niſi ſalutem atque vtilitatem Reipublicæ proponerent. neque enim id quod obeſſet, ſcribere voluiſſe: etſi ſcripſiſſent, cùm eſſet intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Neminem leges legum cauſſa ſaluas eſſe velle, ſed Reipublicæ: ideo quòd ex legibus omnes Reſpublicas optimè putant adminiſtrari. Quam ob rem igitur leges ſeruari oportet, ad eam cauſam ſcripta omnia interpretari conuenire: hoc eſt, quoniam Reip. ſeruiimus, ex Reip. commodo atque vtilitate leges interpretari. Nam vt ex Medicina nihil oportet putare proficiſci, niſi quod ad corporis vtilitatem pertinet, quoniam eius cauſſa eſt inſtituta: ſic à legibus nihil conuenit arbitrari, niſi quod Reipub. conducat, proficiſci: quoniam eius cauſa ſunt comparatæ. Quòd ſi Epaminondas Reip. profuit, quo modo eodem facto, & communibus fortunis conſuluiſſe, & legibus non obtemperaſſe dici poteſt? Quid autem magis vtile Thebanis fuit, quàm Lacedæmonios opprimi? quid magis Epaminondam Thebanorum Imperatorẽ, quàm victoriæ Thebanorum conſulere decuit? Contra Epaminondam hoc dicebatur: Iudices qui ex lege iurati iudicant, legibus obtemperare debere. obtemperare autem legibus non poſſe, niſi quod ſcriptum eſt in lege, id ſequantur. quod enim certius legis ſcriptor teſtimonium voluntatis ſuæ relin-

quere potuit, quàm quod ipse magna cum cura atque diligentia scripsit? Epaminondam non ex eo quod apertissimè scriptum est, sed ex eo quod suæ causæ conuenit, sciptoris voluntatem interpretari. atqui hoc licere, cùm per se, tum exemplo perniciosum esse. Quid porro si victus esset Epaminondas? non ergo ex euentu, sed quo consilio quid fecerit, examinandum. vtilius esse Reipub. suas leges perpetuo seruari, quàm semel hostes vincere. Itaque Iudices pronunciarunt, Cum Epaminondas legem violasset, videri capite puniendum. Reliquum erat vt Populus ad eum relatione facta, sententiam sibi placere diceret, idque iudicium sciscerct, cuius Iudices auctores essent. At ibi Epaminondas cùm & deliquisse se, & aduersus Reipub. imperium, quos absolui placuit, secum detinuisse fateretur: nihilque se animaduersionem morari ac diffugere pronunciauit, minime de vita solicitus, modo certe in memoriam aliorum quæ tanta & innumera beneficia Reip. Thebanorum contulisset, huius argumenti epitaphium tumulo inscribi
„ vellent: Hîc iacere, quem, vbi hostes Lacedæmo-
„ nios ad Leuctras ingenti & memorabili prælio
„ fudit fugauítque: ciues suos, ne non suis legibus
„ vterentur, seruitute liberauit: ipsi sui ciues, dum
„ suis iam nimium legibus abutuntur, & dum le-
„ gitimè iudicant, iniquissimè occiderunt: tanta cepit omnium animos suiipsius indignatio, perpetuæque in posteros metus ignominiæ: tanti etiam viri admiratio, vt ius æquo & bono, lex

gratiæ

gratiæ & honesto cesserit. Sæpe igitur virtus & magnificentia, in quo grauitas & auctoritas est, plus proficit ad misericordiam commouendam, quàm humilitas ac deprecatio.

Qui parendi necessitatem habent, nunc venia, nunc minore pœna digni sunt.

XLII. Ex Dionysio Halicarnasseo, lib. 11. & Plinio, de viris illustribus.

DECEMVIRI Romæ multis iniquè perpetratis (in quibus notissimum est Appij Claudij de Virginia facinus) & cùm imperia sibi inuito Senatu Populóque Romano prorogassent: tandem magistratu se abdicare iussi, omnes accusati aut manum sibi attulere, aut damnati in carcere necati sunt, (qualis fuit Appius) aut mortem exilio commutarunt: omnium certe bona, siue absentium siue mortuorum, in publicum redacta sunt. Cæterum ex omnibus libidinis eorum proteruiæque ministris, vel quia se imperio & vi maiore tuebantur, vel quia ad nimio plures hoc crimẽ pertineret, vnus ille Marcus Claudius qui suppositus ab Appio Virginiam sibi asserebat, iudicium subire coactus est. & tamen quia id ipsum apparebat, dicto audientem Magistratui fecisse, non morte, sed exilio multatus est.

Qui hostes dolo malo sollicitauerit aduersus Rempublicam.

XLIII. Ex Paulo Orosio, lib. 7. cap. 37. & 38. & ex Pomponio Læto, in Theodosio.

THEODOSIVS Honorium & Arcadium, quos ex Flacilla filios susceperat, consortes antea quidem Imperij fecerat. Sed moriens, quia nondum ætas matura Imperio esset, testamento Rufinum Arcadio, Honorio Stiliconem adiunxit; quorum consilio Arcadius Constantinopoli, Honorius Romæ res gererent. At cùm Rufinus primùm aduersus Arcadium, Alaricũ Gotthorum regem sollicitasset hoc animo, vt sub eo metu & rebus cito turbulentis, diadema Orientis non ambitu, sed quasi necessitate capiti suo imponeret: atque etiam Stilico alia & secretiore via filio suo Eucherio tyrannidem pararet: itaque & postremo Sueuos, Vvandalósque & Alemannos ad inferendum bellum Honorio malitiose attraxisset: ambo perniciosi tutores detectis insidijs ac dolis damnati sunt: Stilico Romæ cum filio in foro Pacis occisus est, Rufini caput cum dextra manu ante portas Constantinopolis appensum, affixum est.

AD LEGEM IVLIAM DE ADVLTERIS COERCENDIS, ET stupro. Tit. X.

Diuinæ coniecturæ, propter eam quam vnusquisque de religione opinionem habere debet, sunt certæ probationis loco.

I. Ex

I. Ex Diodoro Siculo, lib. 1.

SOSOSTRES Rex Aegyptiorũ, luminibus orbatus, consulto oraculo responsum acceperat, fore vt ei tum visus restitueretur, cùm in eam mulierem faciem intendisset, quæ pudicè cum marito suo viueret. Id expertus in vxore, alijsque plurimis, nihil profecit: donec ad infimam & abiectam hortulani vxorem peruenisset. nam tum certe sanatus est. Itaque citra vllam aliam inquisitionem, vt sui Numinis erga Populum religionem confirmaret, quam aut casu, aut illicitis artibus, aut sane diuinitus in se expertus esset: placuit ei vxore repudiata, in eam aliásque omnes impudicas & corruptas mulieres animaduertere, hoc modo: iussit eas in villã conuenire, ibíque simul cum villa conflagrare. cæterum quam pudicam nactus erat, duxit in vxorem. Aegyptij deinceps locum illum, Sacram glebam appellarunt.

Grauitas stupri, ex tempore & loco interdum crescit.

II. Ex Dinarcho, contra Demosthenem.

THEMISTIVS Aphidnæus, quòd Initijs Eleusinijs Rhodiam citharistriam violasset, Athenis capite multatus est.

Qui prostituit, quàm qui abutitur, atrociùs delinquit

III. Ex eodem.

EVTHYMACHVS, quòd puellam Olynthiam prostituisset.

Scelus suum Numini adscribere summa stultitia est: & esse aliquos etiam partus abominandos.

IIII. Ex Halicarnasseo, lib.1. Liuio, deca.1. lib.1. Plinio, de viris illustribus, Iulio Floro, lib.1.

AMVLIVS filiam Numitoris fratris sui maioris natu, Rheam nomine, & cognomine Siluiam, Vestæ Sacerdotem ideo designauerat, vt ex ea prolis spe omni intercepta, regno sine controuersia potiretur. Sed cùm accidisset vt vi compressa vterum gereret, ideóque consilio matris simulans aduersam valetudinem, à sacris abstineret: postquam res Amulium non latuit, puellæ custodibus appositis, Numitor ipse atque illius vxor vt sceleris participes accusantur. Hi dilatione accepta, didicisse se aiunt filiæ vim allatam esse, neque id ab homine, sed à Deo aut Genio quodam. ita enim qui vim Rheæ Syluiæ attulerit, eidem narrasse, ac prædixisse, hanc geminos parituram esse. Itaque postulabant expectari partum, vt euentus, fraus humana, an diuina sit prouidentia, detegeret. Igitur cùm geminos edidisset, Numitor Dei opus identidem allegabat, inque puellam innoxiam minime sæuiendum esse. Attamen non placuit hoc commentum, atque ex totius concilij sententia visum est, lege vtendum esse. Iubent Rheam, cuius corpus pollutum esset, virgis cæsam interfici: & quod natum esset, in profluentem aquam ejci, projci.

Interdum etiam Reges obnoxios esse legibus.

V. Ex

V. Ex Dionysio Halicarnasseo, lib. 3. Tito Liuio, lib. 1. deca. 1.

GRAVISSIMA hæc Senatus Populíque Romani sententia fuit, quæ propter Lucretiæ stuprum, aliáque infinita ac tyrannica facinora, de imperio abrogando Tarquinio Superbo Regi pronunciata est: vxore ac liberis Tarquiniísque omnibus eiiciendis vrbe, Italia, finibus: hac cum maxima sanctione, vt si quis vnquam de reducendo Rege cum Populo ageret, ei capitale esset.

Potestate ad iniuriam abuti non licere.

VI. Ex Valerio Maximo, lib. 6. cap. 1.

TITVS Veturius, filius eius Veturii, qui in Consulatu suo Samnitibus, ob turpiter ictum fœdus, deditus fuerat à Senatu: cùm propter domesticam ruinam, & graue æs alienum, Cælio Plotio creditori se nexum dare, multùm adhuc adolescens, coactus esset: seruilibus ab eo tandem verberibus affectus, quia stuprum pati noluerat, querelam ad Consules detulit: à quibus hac de re certior factus Senatus, Plotium in carcerem duci iussit. Nam in quocunque statu positam Romani sanguinis pudicitiam, tutam esse oportere. Longè diuersam addicti & serui conditionem esse: & quam ob causam dominus vel seruo suo carere possit: in addicto creditorem non solum amissione pecuniæ, sed etiam pœna coërcendum.

Esse nõnulla crimina, quæ fama & cæco potius, quàm manifesto testimonio conuincuntur. cæterum impudicis, concionibus interdici.

VII. Ex AEschine, in Timarchum.

SI QVIS pudicitiam prostituisset, patriáque bona luxu amisisset, huic legibus Atheniensium interdicebatur ius apud Populum concionandi. Nam qui rem suam priuatam malè administrauerit, fieri non posse, vt publicam benè administret: vtque idem priuatim sit improbus, ac publicè optimus. Sed & inhonestum esse, hunc cum Populo agere, qui orationis habendæ prius, quàm degendæ vitæ rationem duxerit. Denique viri boni orationem quãuis nudam ac simplicem, multum persuadere: contrà, hominis improbi atque luxuriosi, licet ornatam, contemni ac negligi. Itaque ab AEschine Timarchus impudicitiæ & prodigalitatis accusatus est, ne deinceps contra leges apud Populum concionaretur. Citabat huius criminis testem vniuersum Populum Atheniensem, & quæ iamdiu constans ac perpetua suscepta esset de reo, famam & opinionem. præterea (quod reuera adducebatur) apud hos, quos nominabat, certæ ac notæ impudicitiæ viros, relictis paternis ædibus diu & familiariter vixisse: quod sine crimine, nedum probri suspicione fieri non potuit. Demosthenes contra pro Timarcho, in eo erat maximè, vt diceret pudicitiæ damnum in ea ciuitate vitio verti non debere, in qua meretricium esset ve-

ctigal

ctigal institutum huiusmodi, vt à Senatu ipso singulis annis locaretur. quare si quid in eo genere sit admissum, id magis Publicani esse vt inuestiget, quàm accusatoris, vt in iudicio reprehendat. aut sane si nihilominus hoc nomine Timarchum arcessiri placet, adducendum esse redemtorem, qui illud vectigal à Timarcho exegisse se ac collegisse interrogatus respondeat. Denique non sufficere, generaliter impudicè versatum esse reum allegare: nisi & locus, & quibus, & quo pretio pudicitiam prostituerit, designabitur. Nec conueniens esse vt Famæ fides adhibeatur. sic enim esse vulgus; vt ex veritate, pauca, ex opinione, multa æstimet. Itaque & vulgo Mercurium Antocidis vocari, qui non sit Antocidis, sed Aegiæ Tribus donarium: & ædes in Colono quæ Dæmonis dicuntur, falsum habere cognomen: neque enim esse Dæmonis. & alia pleraque huiusmodi, in vulgus persuaderi, quæ sint falsissima. Timarchum male audisse, non propter facinora, sed ob formæ præstantiam, quam in crimen adducere nimis sit inuidiosum. Porro esse repugnantia, quem decoxisse, & corpore quæstum fecisse. AEschines denuo referebat, rem non esse huiusmodi, vt qui simul patrarint, ijdem testimonium dicant: sed eam esse, vt ex præterito & anteacta vita magis quàm ex præsenti æstimari debeat: quam Iudices non ex oratione, neque ex testibus, sed ex sua animi sententia & conscientia iudicent. Non enim necesse esse, impudicitiam syngraphis ostende-

re. ideóque in legibus de impudicitia, pactionum non fieri vllam aliquam mentionem. De rebus mutis & inanimis, quia in ijs non sunt vllæ vel honestæ vel inhonestæ actiones, quemlibet ita verba facere, & rumores spargere, vt de ijs liberè sentiat: verùm, de vita hominum & oratione & actionibus, famam vix vnquam aberrare, & quæ verissima sunt proferre, & futura plerumq; prædicere. ideóque Famæ, vt maximæ Deæ, veteres aram consecrasse: & Famam ita definisse, vt nihil aliud sit, quam sensus totius ciuitatis. Quare qui nefariè ac turpiter viuunt, hos solos de Fama detrahere, quod eam flagitiorum suorum testem atq; accusatricem immortalem sint habituri. Deniq; turpe esse Timarcho, interrogare vbi scelus commiserit, non etiam si vllum omnino commiserit, vel fateri, vel inficiari. Iudices reum condemnarunt. itaque in exilium abijt.

Delicti atrocitate, & ob rei memoriam, in locum in quo scelus commissum est, veluti in conscium animaduerti.

VIII. Ex Flauio Iosepho, antiquitatum lib. 18. cap. 4.

DECIVS Mundus antiquæ nobilitatis adolescens, cùm Paulinæ matronæ honestissimæ atque pudicissimæ, quam vxorem duxerat Saturninus, misero amore caperetur: ac nihilum seu pollicitationibus, cæterísque alijs amatorijs artibus, in adeo rara fœminæ castitate proficeret: de salute sua desperabat. Itaque anus liberta

(quam

(quam Isidem appellabant) nimium de Patroni sui filio sollicita: cùm certo sciret nunquam pecunia Paulinam expugnari posse: eandem autem præ cæteris Dijs omnibus Isidem colere, neque alia sacra, aliósve sacerdotes frequentius adire, suspicere: putauit libertina, sibi sacerdotum lenocinio vtendum esse: qua sciret eos eius auaritia, nullum non ius religionis ab ijs violari posse. Nec opinione sua decepta est. Itaque sacerdotes mercede adducti, seniori delegant facinus. hic credulæ atque religiosæ mulieri, suo fastu atque auctoritate sua facilè persuadet, Deum Anubim forma sua captum, eam ad cœnam & amplexum appellare. itaque vt in templo pernoctet ei necesse esse. Paulina quid Deo denegaret? id verò in summo bono collocat. igitur cùm & ea de re multos sermones cum marito habuisset: Saturninus hoc tribuit tandem siue religioni, siue vxoris suæ pudicitiæ, vt Dei mandatis obtemperaret: in templo Isidis vna nocte obdormiret. Ergo Paulina in templum venit: paratur ei lectus à sacerdote. sed Deus ille, fuit Decius. res denique ita comparata, vt Paulina sese crederet à Deo complexam. atque id non celabat vel maritum, vel alias sibi notas atque familiares vicinorum matronas. Tenebat omnes summa admiratio: soláque fidem faciebat eximia, probata & experta Paulinæ pudicitia. itaque magis credere, quod de Alcmena, & Rhea Syluia narratur. Verùm triduo post, cùm Decius Mundus insultás mulieri, fucum factum obijce-

obijceret: res ad Tyberium defertur. qui cognita veritate diúque discussa, postremò conscios omnes sacerdotes cruci affixit, itémque libertinam tãtæ impietatis artificem. Templum (quod maius est) subuerti ac dirui, atque Isidis imaginem in Tyberim proijci: cæterum adolescentem relegari iussit, quem iudicabat ætate & amore impulsum magis, quàm certo animi iudicio deliquisse.

Grauius est crimen, quod sub specie religionis committitur.

IX. Ex AEschine, in epistolis.

NEQVE dissimile fuit, quod longe antea euenisse dicitur. Apud Ilienses in terra Troiana mos erat patrius, vt, quæ virgines eo anno nupturæ essent, hæ ad Scamandrum fluuium accederent, ibiq; lotæ, hæc verba veluti sacra, solennia atque legitima pronunciarent, Cape o Scamander meam tu virginitatem. Ergo inter alias, quædam virgo nomine Callirrhoë, illustri orta familia, ad fluuium venerat lauandi caussa. Sed interea Cimon, qui Callirrhoës pudicitiæ iamdudum insidiabatur, se, clam alijs omnibus, in frutice Scamandri occultauerat, caput arundinibus redimitus: vt fuco facto, Deus esse videretur. Itaque cùm ex more, Callirrhoê verba illa recitasset, hoc ornatu prosiliens è fruticibus Cimon, respondisse dicitur, En Scamander, accipio lubens, tibi Callirrhoë charus atque amantissimus: quare puellam rapuisse & occul-

occultasse. Verùm quatriduo post detegitur scelus. Nam cùm Veneris pompa duceretur, atque recens factæ mulieres, huic, pro instituto, interessent: Callirrhoë cum nutrice ambulans, Cimonem itidem cum aliis spectantem forte cùm vidisset, honorem ei vt Deo præbuit: nulliusq; mali sibi conscia, Ecce nutrix (inquit) hic Scamander, cui meam virginitatem dono dedi: nutricem itaque exclamasse. Hac ratione diuulgato facinore, cùm turba accessisset vt Cimonem apprehenderet, is fuga supplicium elusit.

Et Principem de adulterio vxoris suæ cognoscere.

X. Ex Dione Nicæo, lib. 60.

MESSALINA vxor Claudij, cùm eò luxuriæ prorupisset, vt sese nunc in palatio, nunc in lupanari prostitueret: multis etiam maritis quasi legitimè nuberet: tandem inquisitione facta, ob id à marito vltimo supplicio damnata est.

Esse, cùm iniuriæ vindicta vel in accusatoris redit infamiam.

XI. E Xiphilino in Domitiano. Iustino, lib. 7. & 9.

CONTRA cùm vxor Domitiani Imperatoris, cum Paride saltatore adulterium commisisset: Domitianus animo incertus, vxorémne lege Iulia condemnaret, an factum dissimularet, ne in ore vulgi versaretur: sententiam Vrsi secutus est: eam duntaxat repudiauit. & ita factum est,

vt ei

vt ei adulteram retinuiſſe non poſſet imputari: an verò etiam propter adulterium repudiaſſet, incertum haberetur. quam rationem & antea Philippus pater Alexandri Magni in cauſſa Olympiadis ſeruauerat. Sane ita ſe res habet, vt in cauſſa ſummorum Principum & magnorum virorum, domeſtica mala & infortunia ſupprimi & ignorari, ſatius atque vtilius ſit. Cæterum de Paride, quaſi ab alio, & ob aliam cauſſam, curauit vt is interficeretur. Itaque Dion ipſe, lib. 55. refert de Auguſto, eum notatum fuiſſe, quòd impudicitiam filiæ ſuæ diuulgaſſet. nam eum ſibiipſi & infamiam & orbitatem attuliſſe: quia filiam relegare tum neceſſe habuit: quam alioqui, ſaluis hominum linguis, potuiſſet imperio domeſtico, cura ac diligentia priuata compeſcere. Imo vero Rex Macedonum Amyntas vxori ſuæ Eurydicę, quanquam in ſcelere depręhenſæ, peperciſſe dicitur, propter communes liberos.

Adulterij pœna eſt capitis.

XII. Ex Ammiano Marcellino, lib. 23.

CETHEGVS Senator, ſub Valẽtiniano, cùm adulterij reus delatus eſſet, ei caput amputatum eſt.

In genere pœnæ repræſentatur interdum delicti acerbitas.

XIII. Ex Flauio Vopiſco, in Aureliano.

ADVLTER hoc maxime offendit, quòd mutuam

tuam hanc amicitiam, quæ mulieri erga maritum arctissima esse debet, fœda illa communione dissoluit ac distrahit. Quare Aurelianus Imperator, in vindicando militis sui cuiusdam, cum hospitis vxore adulterio, videtur hanc supplicij rationem habuisse. Ita enim puniuit, vt duarum arborum capita prius inflecteret, postea ad pedes militis alligaret: postremò ferri suo impetu dimitteret, vt scissus ac distractus à se, ille vtrinque pendens, reliquis disciplinæ publicæ pulcherrimum exemplum ederet.

AD LEGEM IVLIAM DE VI PVBLICA, TIT. XI.

Interdum necesse esse, & innoxiorum pœna tumultum sedare atque reprimere.

I. Ex Dionysio Halicarnasseo, lib. 10.

PERFECERANT Cælij, Posthumij, Sempronij, inter Patritios nobilissimi adolescentes, ne à Tribunis plebis lex Agraria promulgaretur. Hoc adeo plebs indigne tulit, vt ijs die dicta à Tribunis, ac lite bonis æstimata, si iudicio Senatus obstitisset, vi aliquid molitura videretur. Itaque quando capitis non anquireretur, nec vitæ, sed pecuniæ duntaxat detrimentum in iudicio versabatur: Senatui visum est, permitti iudicium seditionis vitādæ caussa, vt paucorum damnatione furor plebis componeretur. ergo damnati sunt absentes. Sed cùm reorum bona sub

ſub haſta veniſſent, ea patres redemere à licitatoribus, damnatíſque reſtituenda eſſe cenſuerunt.

Qui cum telo ambulauerit, hac lege tenetur.

II. Ex Cicerone, Verrina 7. & Valerio Maximo, lib. 6. cap. 3.

OMNIVM in Sicilia Prætorum, poſtquam ibi M. Aquilius occiſus eſt, inſtituta atq; edicta fuerunt eiuſmodi, vt ne quis cum telo ſeruus eſſet. Itaque propter ſeueritatem exempli narratur, L. Domitium Prætorem in Sicilia, cùm aper ingens ad eum allatus eſſet, admiratum requiſiſſe quis eum percuſsiſſet. cumq; audiſſet, paſtorem quendam fuiſſe, eum ad ſe vocari iuſsiſſe. Illum cupidè ad Prætorem quaſi ad laudem atque ad præmium accurriſſe. quæſiſſe Domitium, quî tãtam beſtiam percuſsiſſet. illum reſpondiſſe, venabulo: ideóq; ſtatim iuſſu Prætoris in crucem eſſe ſublatum: quia & ipſe Domitius ad exturbanda latrocinia, quibus Prouincia vaſtabatur, edixerat, ne quis telum haberet, & cum telo ambularet. Ratio publici imperij hanc plerunque ſeueritatem exigit: præſtátque in hoc metu & diſciplina publica, crudeliorem ſe in animaduertendo, quàm in prætermittendo diſſolutum exhibere.

Vis etiam latronum in hoc iudicium cadit.

III. Ex Dione, in Seuero.

BVLAS homo Italus fuit. is, cùm Seuerus Imperator

perator varijs bellis occupatus esset: per Italiam sexcentorum latronum manu comparata, prædam agere instituit. Sed tandem comprehensus & à Papiniano Iurisconsulto Præfecto Prætorio interrogatus, cur latrocinium factitasset, respondisse fertur, Et tu cur Præfectus es? Ideóque placuit eum damnari ad bestias.

AD LEGEM CORNELIAM DE *SICARIIS ET VENEFICIS.* Tit. XII.

In homicidio quod in turba & à multitudine commissum est, quæ seruanda sit pœnæ exigendæ ratio.

I. Ex Herodoto, lib. 5.

VICTI Athenienses graui exorto bello inter eos & AEginetas, ad vnum vsque omnes interfecti sunt. Is cùm solus Athenas redijsset, ægrè tulerunt omnium vxores qui in acie occubuerãt, incolumem hunc vnum videre ac superstitem. Igitur vnaquæque de viro suo quasi vbinã is esset, déque vniuersa & communi clade quæsitura, hunc circumfusæ ambiunt, fibulísque & acubus vestium suarum compungentes, tandem interficiunt. Visa est, ac merito, Atheniensium magistratibus, graui accepta clade hæc grauior cædes. Igitur diu multumque inter eos actum est, qua pœna id vindicari posset. Profecto quia ad nimio plures hoc crimen pertinebat: in omnes animaduerti non oportere, sapientissime videbatur. in vnam etiam aut alteram capitis an-

quirere: id quidem æquum verúmque esse posse, si ea inter cæteras agnosceretur (quod fere in his popularibus delictis non accidit) quæ vel ferire inchoasset, vel cuius certe ictu ille potissimum perijsset. attamen aliquid vel dolori concedendum, si hanc maxime cognouissent. Igitur nec damnari vllam, nec omnes absolui placuit. Id modò constitutum est, vt eo in posterum vestimenti genere mulieres omnes vterĕtur, cui componendo, fibulis & acubus non opus esset.

In Græcia, ne quidem ætate vel imprudentia homicidium excusabatur.

II. Ex Xenophonte, lib.4. de Cyri minoris expeditione.

DACRONTIVS Spartanus, & puer adhuc, & imprudens, puerum alterum Laconico cultro percussum occiderat. Ob id certe exilio damnatus est. nam & apud Græcos exilio voluntario fortuiti casus luebantur. & cùm nullum homicidium impunitum esse debere existimarent: exilio puerorum, non tam eorum iniuriam puniebant, quæ certe sine animo nocendi nulla esse potest: quàm parentum incuriam atq; ignauiam, qui si diligentiam præstitissent, filij vtique non peccassent.

Lege Cornelia tenetur, qui fecerit vt quis innocens circumueniretur, damnaretur.

III. Ex Xenophonte, lib.1. rerum Græcarum: & Valerio Maximo, lib. 9. cap.8.

VICTO

VICTO nauali pugna Callicratide Lacedæmoniorum duce, & cùm eo prælio Athenienses vigintiquinque naues cum viris ipsis amisissent: placuerat Ducibus Atheniensium Cononi, Diomedonti, Leonti, Pericli, Eresinidi, Aristocrati, Archestrato, Protomacho, Thrasyllo & Aristogeni, Theramenem & Thrasybulum cum quibusdam alijs Præfectis, ijs qui naufragium fecissent, auxilio mittere, vt aut viuos recolligerent, aut mortuos sepelirent: quæ cura semper apud omnes Græcos potissima fuit. Id vero tẽpestate impediti Theramenes & Thrasybulus inuiti prætermiserant. Attamen hi decem reuersi Imperatores, sententiam dicente Timocrate, nec non ipso Theramene accusante, à Senatu decretum est, vt statim e vinculis rationem redderent, cur naufragis opem non tulissent, mortuos sepulturæ non tradidissent. Hi tempestatis excusationem afferebant. præterea si quos hoc nomine accusari aut supplicio affici oporteat, culpam esse in Theramene & Thrasybulo, qui quod eis imperassent, non præstiterunt. Quod ad se attinet, curæ ac diligentiæ suæ testem habere omnem exercitum. Cùm in noctem incidisset hæc tumultuaria accusatio, ita vt manus quibus eleuandis Populus quod vult iubet ac decernit, inspici non possent: placuit rem in alium diem reijci: interim vero arbitraturum Senatum, quæ pœna Ducibus dici debeat. Postridie Senatus, cum Theramenes & Callixenus rem omnibus artibus & occulta calumnia in inuidiã

 protra-

protraxiſſent, cenſuit eam, vti ſi plane cognitâ eſſet ac perſpecta, iudicio Populi committi oportere, hac conditione, vt ſi damnari placuiſſet, Vndecimviris occidēdi traderentur, bona publicarentur, & eorum decima Deo voueretur. Sed extitit Euryptolemus Callixenum accuſans: indignum eſſe, prius iudicium dici, quàm legum ordine reis & aduerſus reos cauſam dicere permitteretur. Legitimam hanc ſiue damnationem ſiue abſolutionem eſſe non videri, cuius aduerſus leges, & extraordinarium fuiſſet iudicium: in quo reus ad defendendum ſuos ac legitimos dies non habuiſſet. Legem eſſe, vt ſi quis Populum Athenienſem læſerit, vinctus coram Populo cauſſam dicat, & ſi noxius eſſe reperiatur, publicatis bonis in Barathrum proijciatur: vt ſi qui ſint ſacrilegi, proditores, hi in foro prius more maiorum accuſentur: ſi conuicti ſint, ne in Attica ſepeliantur. Illa aut altera lege Duces accuſentur, certe iuris ordinaria forma, non ſtatim ac nullo interuallo, peragi oportere: ne poſtea innoxios & indemnatos occidiſſe pœniteat, præſertim poſt tantam Populo Athenienſi adeptam victoriam. Hoc certe eſſe in accuſatione, quòd defuncti prælio nauali, rem ita optime geri cenſuerunt, aſtipulante etiam Thraſybulo, ſi, cùm parte nauium hoſtes perſequerentur, pars altera Thraſybulo & Therameni ad ſubſidium naufragorum relinqueretur. itaque vel horum noxam, vel nullius eſſe. Quapropter cenſere ſe, vt de reis ſecundum leges iudicaretur, & bis de vnoquo-

vnoquoque ſortitio fieret, non vt Senatui placuit, vnicis ſuffragijs de vniuerſis ducibus Populus ſententiam ferat. Sed auctore Callixeno, & accuſatorum factione & opibus, cùm dicerent indignum eſſe, ſi quæ Populus facere vellet, vnius hominis ſententia prohiberetur, etſi Euryptolemus ſolus plus valeret, quàm conſentientis Senatus auctoritas: factum eſt, vt ſciſceret Populus, ſe & de Ducibus, & de ijs qui intercederent quò minus ſuffragia fierent, ſimul iudicium laturum. Quare Iudicibus imperatum eſt, vt primi ſententiam dicerent. Hi antea quidem negarunt, ſe contra leges ſuffragia laturos, ſed poſtea timore periculi tulere omnes, præter Socratem Sophroniſci filium. Itaque decem ſtrenuiſsimi Duces & innoxij, damnati ſunt. ex quibus ſex qui præſentes erant, occiſi ſunt. At paulo poſt, tanta iniquitate iudicij perſpecta, Populus iuſsit, vt, à quibus ſeductus ac ſubornatus eſſet, hi capitis arceſſerentur, & vades darent quoad iudicarentur. At Callixenus cibi abſtinentia ſibi mortem attulit: reliqui orta ſeditione, abierunt in exilium, priuſquam damnarentur.

Hac lege coërcetur qui pecunia corruptus damnauit innocentem, aut iniquè iudicauit.

IIII. Ex Herodoto, lib. 5. & Valerio Maximo, lib. 6. cap. 4.

SISANNES, cùm pecunia atque largitione corruptus, inique iudicaſſet, hunc Cambyſes Rex

Persarum faucibus strangulari, ac vellicato cadauere, pellem, quo sederat, tribunali intendi ac consterni iussit. Huic cùm idem postea filium Sisannis Otanem præfecisset: Memento, ait, quo ex loco iudices. Familiare fuit alioqui supplicium Persis, cutem viuis etiam hominibus detrahere, nunc solidam, nũc particulatim. Cæterum de hac re ita scribit Ammianus Marcellinus lib. 23. Quod supersedere coria damnati ob iniquitatem Iudicis, Iudex alius cogebatur: aut finxit vetustas, aut olim recepta cõsuetudo cessauit. Loquitur enim Marcellinus de suis atque Imperatoris Iuliani temporibus.

Neminem licet vel iniuria accepta occidere, si aliter nos seruare & iure vlcisci possumus.

V. Ex Cicerone, Verrina 3.

PHILODAMVS, Lampsacenorum in Asia, genere, honore, copijs, existimatione facile princeps: cùm in hospitiũ Rubrius, iussu C. Verris Legati, apud eum deductus esset: & vocatis ab eo comitibus, id agi atque id parari intelligeret, vt filiæ suæ vis afferretur: filium seruosq; suos ad se vocauerat, noctuq; Lampsaceni omnes eò conuenerant. Ibi, lictor Verris Cornelius, qui cum eius seruis à Rubrio collocatus esse dicebatur quasi in præsidio, ad auferendam mulierem, occiditur: serui nonnulli vulnerãtur: ipse Rubrius in turba sauciatur. Legis Corneliæ rei Philodamus & eius filius apud C. Neronem Prouinciæ Præsidem accusantur. Iniuria negari non po-

terat,

terat, ſed quia dicebatur non oportere eſſe ne in vlciſcenda quidem iniuria, cuiquam hominis occidendi poteſtatem: cùm primo cauſſam ampliaſſet, altera demum actione patrem filiúmque reos ex ſua conſilijq́ꝫ ſui ſententia condemnauit. & certe ſecuri percuſsi ſunt, vt à Cicerone relatum eſt, ſed oratoriè ad crimen eleuandum.

Quos liceat iure interficere.

VI. Ex Cicerone, pro Milone. Plutarcho, in Bruto, Appiano, lib. 4. bellorum ciuilium, Velleio Paterculo. Dione Nicæo, lib. 46. & 47.

QVOD Iulium Cæſarem Brutus & Caſsius interfecerint: in Senatu primùm tũ cùm omnium antecedentium malorum & iniuriarum obliuionem M. Cicero perſuaſit, iure eos feciſſe pronunciatum eſt. nam honores ex ſua voluntate præſtabat, qui à Populo antea deferebantur: nec Senatui ad ſe venienti aſſurgebat: aliáque regia ac pene tyrannica faciebat. Idem poſtea, Octauij, Antonij, Lepidi coniuratione facta, Brutus à Cornificio, ab Agrippa Caſsius repetiti & accuſati, damnati ſunt abſentes. igni & aqua interdictum eſt, & bona eorum publicata. Sed in hoc poſtremo iudicio, liberas ſententias Iudices non habuiſſe, certum eſt: pleroſque potius metu, aut fauore, ſtudióve Cæſaris impulſos, quàm ex animi ſui ſententia iudicaſſe, argumento eſt Iulius Coronas Senator, qui quòd M. Brut. ſolus aperte ſuo calculo abſoluiſſet, ideo poſtea proſcriptus eſt. Sed an omnino iure Cæſar ſit occiſus, ſi quæratur,

ratur, decisum esse arbitror ab Atheniensibus, quibus nihil erat cur non religiose iudicarent. Nam cùm Brutus & Cassius Athenas aduenissent, magnificentissime accepti sunt, æreísq; statuis communi decreto ob Tyrannicidium donati sunt, iuxtáque Harmodium ac Aristogitonem egregij pariter non facti, sed consilij conatúsque duntaxat autores, Plebs nominatim poni iussit. Videtur & P. Scipio Africanus huic quæstioni præiudicium attulisse. nam quondam interrogatus à Carbone Tribuno pleb. quid de T. Gracchi cæde sentiret, respondit, Si is occupandæ Reip. animum habuisset, iure cæsum. Certe Iulium Cæsarem Remp. occupasse negare non possumus. Iam & qui à propinquis suis damnatus est, num iure cæsus dici potest? atqui Piso Cæsaris socer, & L. Cęsar propinquus censuerunt eum defuncti etiam hominis honore carere oportere. Dolabella Cos. columnam in foro, id est, titulum eius euertit, ac forũ expiauit. Ergo iure quidem interfectus est: sed non vtiliter pro Reipub. Romanæ temporibus.

Is homicidij postea facti conscius esse arguitur, qui de eo antea poëmate cecinit.

VII. Ex Dione Nicæo, lib. 57.

C. LVTORIVS Priscus, Eques, Poëta nobilis ægrotante adhuc Druso Tyberij filio, carmina de morte illius scripserat. Indignissimum hoc meritò Senatui visum est. Quid enim aliud ex eo dici aut conijci potuit, quàm his versibus liquidò

quidò Priſcum perſuadere vnicuique voluiſſe, aut mortis illius cum AElio Seiano & Liuilla Druſi, ſe conſcium eſſe : aut quidem certe cupidum? quorum vtrumque pœnam meretur. quare à Senatu condemnatus, vita deceſsit.

Non auditur perire volens.

VIII. Ex Cornelio Tacito, lib. 13.

OCTAVIVS Sagitta, Tribunus, Pontiæ mulieris alteri nuptæ amore vecors, ingentibus donis adulterium, mox vt maritũ omitteret, emercatus eſt, ſuum matrimonium promittens. Vbi mulier vacua fuit, reperta ſpe ditioris coniugis, promiſſa exuit. Octauius poſtquam ſpernitur, noctem vnam ad ſolatium popoſciſſe dicitur, qua delinitus, modum in poſterum adhiberet. Statuitur nox, & Pontia conſciæ ancillæ cuſtodiam cubiculi mandat. Ille vno cum liberto, ferrum nocte occultum infert, ac nihil metuentem ferro tranſuerberat. accurrentem ancillam vulnere abſterret, cubiculóque prorumpit. Poſtera die manifeſta cædes erat, nec multum ambiguus percuſſor. quippe manſitaſſe vnà cõuincebatur. Sed libertus ſuum illud facinus eſſe ingenuè profitebatur : ſe patroni inimicitias vltum eſſe. & iam commouerat quoſdam magnitudine exempli : donec ancilla refecta ex vulnere, negotium omne aperuit. quamobrem poſtulatus apud Conſules Octauius à patre interfectæ (poſtquam tamen Tribunatu abierat) ſententia Patrum, lege Cornelia de ſicarijs condemnatur.

De veneficis. Minæ præcedentes, quæ suis omnibus coniecturis & euentu confirmantur, certam veneficij probationem adferunt.

IX. Ex Tito Liuio, decade 4. lib. 10.

QVARTA Hostilia, vt venefica mariti sui C. Calpurnij Pisonis, eò maximè damnata est, quòd Fuluio Flacco filio suo ijs comitijs repulsam passo, quibus Piso vitricus Consul designatus erat, exprobrasse diceretur, ei iam tertiùm petenti negatum Consulatum esse: ideóque tunc illum monuisse, vt quartam petitionem pararet. se effecturam, qui Consul intra duos menses efficeretur. quod acciderat, vt & maritus Hostiliæ intra hanc diem moreretur, & in eius vitrici locum ipse Q. Fuluius Flaccus sufficeretur.

Quæ sibi partũ abegerit, crimen huius legis contrahit.

X. Ex Cicerone, pro A. Cluentio. & Tryphonino Iurisconsulto, lib. 10. disputationum.

MVLIER quædam Milesia, quòd ab hæredibus secundis accepta pecunia, partum sibi ipsa medicamentis abegisset, rei capitalis damnata est. neque iniuria, quæ spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, hæredem familiæ, designatum Reipublicæ ciuem sustulisset. Itaque & hæc marito iusta caussa diuortij fuit, si sua ope vel industria vxor abortum fecerit.

Pœna veneficij, vltimum supplicium.

XI. Ex Suetonio Tranquillo, in Galba. cap. 9.

LEX 12. tabularum ijs qui ad legitimam pupilli

pilli hæreditatem admitti possent, tutelam hac ratione ac prouidentia detulit, vt qui sperarent hanc succesionem, ijdem tuerentur bona ne dilapidarentur, quasi in rem suam procuratores dati. At contrà Solon legislátor Atheniensium, id ante omnia præclarisimè statuisse dicitur, ne is tutor curatórve pupilli esset, ad quem eo mortuo bona peruenirent: néue qui tutor curatórve esset, cum matre pupillorum habitaret. idem videlicet metuens, quod cùm accidisset, Galba Imperator seuerisimè vindicauit. Nam tutorem, quòd pupillum cui substitutus hæres erat, veneno necasset, cruce affecit: implorantiq; leges, & ciuem Romanum se testificanti: quasi solatio & honore aliquo pœnam leuaturus, mutari crucem, multóque præter cæteras altiorem, & dealbatam statui iusit. Nempe parricidium est, omníque scelere crudelisimum facinus, cui parentis loco sis, eius vitæ nedum bonis insidiari velle.

¶ *Pro venefico habetur, qui amatorijs poculis vtitur.*

XII. Ex Ammiano Marcellino, lib. 28.

MARINVS Romæ causarum defensor fuit, Valentiniani, Valentis ac Gratiani temporibus. is accusatus quòd Hispanillæ malis artibus affectasset matrimonium: vltimo supplicio damnatus est, Maximino annonæ Præfecto, per delegationem iudicium exercente.

AD

AD LEGEM POMPEIAM DE PARRICIDIIS. TIT. XIII.

Lege Pompeia punitur is primùm, qui patrem occiderit, aut ei dolo malo insidias parauerit.

I. Ex Plutarcho, in Artoxerxe. Iustino, lib. 10.

IN causa priuatorum nihil tam insigne haberent hæc iudicia: Ille aut ille ex parricidio damnatus est: nisi sic vt antiqui & Græci & Romani adnotarunt, quis inter eos primus, Naturæ, hoc est, parenti manus attulerit: primus vxorem suam repudiauerit: cum nouerca, iurgio contenderit: iudices pecunia corruperit, aliáque huiusmodi. Sed & cùm in tantis viris, Regibus ac Principibus, hoc omnino memorabile, tum eximia nequitia quodammodo admirabile est exemplum. Artoxerxes Persarum rex, Darium, Ariaratem & Ochum filios legitimos habuit: ex pellicibus, centum & 15. vel vt alij volunt. 160. Darium maiorem natu iam antea sibi successorem esse velle, pronunciauerat. Is post insigne paternæ pietatis documentum, leuiter offensus, abducta videlicet à patre muliercula, interficiendi patris consilium capit. Verum sceleratus profecto fuisset, si solus parricidium cogitasset: sed eò sceleratior fuit, quòd in societatem facinoris assumtos quinquaginta fratres fecit parricidas. Sed hoc quale ostenti genus, in tanto populo non sociari modo, verum etiam sileri parricidium potuisse? vt ex quinquaginta liberis nemo inuentus

uentus ſit, quem aut paterna maieſtas, aut veneratio ſenis, aut indigentia patris à tanta immanitate reuocaret? Adeóne vile paternum nomen apud tot numero filios fuit, vt quorum præſidio tutus etiam aduerſus hoſtes eſſe debuerat, eorum inſidijs circumuentus, tutior ab hoſtibus, quàm à filijs haberetur? Sed & à Tyribazo adductus & agitatus regni cupiditate, aduerſus patrem conſpirauerat. Id vbi Artoxerxi renunciatum eſt, nec rem indiciumq́ue neglexit, quia de ſua ſalute ageretur: neque etiam tantum, tam ſceleratum, audax atque inhumanum facinus, de Dario maximè, ſibi temerè perſuaſit. Ergo effracto cubiculi pariete ita ſe compoſuit, vt introeuntes percuſſores, & ipſe ſuis oculis cernere, & ſine ſuo damno commodiſsimè vitare poſſet. Nec fallax indicium fuit. Itaque in Tyribazum & alios quidem ſtatim animaduerſum eſt. Coniuges quoque omnium cum liberis, ne quod veſtigium tanti ſceleris ſupereſſet, interfici placuit. in Darium vero, quia ſceleri ipſe non interfuiſſet, pater ſeueriſsimè ac diligentiſsimè inquiri iuſſit: magiſtratuúmque non ſua cognitio facta eſt. Conuictus, omnium Iudicum ſententijs damnatus, & nihil morante patre, obtorto collo iugulatus atque interfectus eſt. Contrà, Seuerus Imperator filio ſuo Antonino veniam dedit, etſi palam gladium ſtrinxiſſet, vt eum manu ſua trucidaret. Alter Imperatoris perſonam induere: alter patris non exuere maluit.

An filius

An filius de noxio parente piè aut iure vnquam supplicium sumat. & quæ antiqua Persarum pœna in veneficos.

II. Ex Plutarcho, ibidem.

AT quid ex aduerso? vnquám ne filius de patre aut matre, auo aut auia supplicium iure postulabit? dicemúsque nihil in tam miserabili quæstione interesse, suam, alienam, an publicam iniuriam persequatur? priuatus sit, an in summo gradu constitutus? Nam filium à patre ob iustum crimen damnari vel interfici, seuerissimum quidem & inhumanum semper esse existimatum est. Sed tanto iure patriæ potestatis, facilius ferri aut excusari cœpit. Quinimo si vllum aut iudicem, aut etiam profectò carnificem filius ferre debet ac perpeti: quem patre sentiet vnquam æquiorem, adeo facilem, adeo gratiosum? Sibi, quàm suis magis est inimica pietas. Ergo si contrà quid euenerit, iustissimum supplicium veteres esse censuerunt, quod à Natura, veritas, ipsúmque ius & æquum extorserit. Verùm in filio alia omnino ratio est. Execratur enim ante omnia hoc ipsa Natura supplicium, quod à filio dè patre sumi aut postulari potest. Huic vitam ac lucem adimat, à quo ipse vltrò acceperit? Iam in parentum mores, liberos inquirere atque animaduertere, præter fas, præter id quod decet, omnémque ordinem ac rationem esse. Parentem, alterum nobis Deum, summum alterum Principem atque Magistratum esse:

esse : à quibus omnibus si quam iniuriam accepimus (quæ iniuria dici posſit) ferre, non vlciſci oportere. Sed quando & hæ ſæpe fiunt iniuræ, & atrociter ita aliquando à recto aberratur ac delinquitur, vt nec ferri nec tolerari posſit : quinetiam nulla perſonarum habita ratione plecti ac vindicari debeat, quia ſit hoc ipſum aliquando tam contra naturam, quàm pietatem lædere : meritò hac diſtinctione vti placet, vt certè publicam iniuriam, quale eſt Patriam prodere, liceat filio aduerſus patrem non ſolum ſine ſcelere, per ſe, aut iudicio proſequi: ſed etiam vt præmio affici posſit, qui cum vel ſua manu occiderit, quem, quòd omnes interfici voluit, leges ſepeliri ac lugeri vetant. Sin verò ſuam exequi velit aut aliorum injuriam : priuati, eiúſve qui ſummum imperium obtineat, ius diuerſum conſtituendum eſſe. Priuato, alienam perſequi, capitale eſſe oportere : ſuam, ſi non capitale ſemper, certè nunquam venia dignum, niſi iure ac iudicio perſequatur : vt potior ſit tamen, nulla vnquam iniuriæ recordatio. At Princeps qui ſubditos ſuos ab iniuria protegre ac tueri debet, ius iuſtitiámque vnicuique reddere : grauiſsimà parẽtum facinora planè vlciſci debet, iudiciáque eo nomine agere non per ſe, ſed per magiſtratus : & tamen etiam eo modo, vt nunquam (meo iudicio) extremum ſupplicium irrogari ſinat. Verùm ſuam iniuriam quam à parente acceperit, optimum Régem aut Imperatorem nunquam vindicare vellem, nedum

rem

rem in iudicium adducere: ſed ita quaſi aliud agendo, in poſterum cauere, ne amplius, ſi maximè velit, nocere poſsit. Hoc adeo exemplo eiuſdem regis Artoxerxis & matris ſuæ Paryſatis manifeſtiſsimum eſt: quæ cum regnandi æmulatione Statiram vxorem filij ſui Artoxerxis veneno ſuſtuliſſet: à reliquis conſcijs, eo quidem genere, quod aduerſus veneficos apud Perſas tum olim vſitatum erat, ſupplicium ſumtum eſt: lapidi caput impoſitum, lapide caſſatum & obtritum eſt. at matrem nec damnauit nec abſoluit. liberè tantùm ac veluti ſponte eam Babylonem ſecedere paſſus eſt, vnde nec ipſa vnquam diſcederet: nec quò ipſe, quandiu illa viueret, venire vellet.

Grauis ac violenta innocentiæ præſumtio eſt, ſomnus, mens quieta, ſecuritas, & æquitas animi.

III. Ex Cicerone, pro Sexto Roſcio Amerino: & ex Valerio Maximo, lib. 8. cap. 1.

T. CLOELIVS Terracinenſis cùm cœnatus cubitũ in idem conclaue cum duobus adoleſcentibus filijs iſſet: inuentus eſt mane iugulatus. Cùm neque ſeruus quiſquam reperiretur, neque liber, ad quem ea ſuſpicio pertineret: id ætatis autem duo filij propter cubantes, ne ſenſiſſe quidem ſe dicerent: nomina filiorum de Parricidio delata ſunt. Nuſquam veroſimile videbatur, auſum eſſe quenquam ſe in id conclaue committere, eo potiſsimum tempore, cùm

ibidem essent duo filij, qui & sentire & defendere facile potuissent. Tamen cum planum Iudicibus esset factum, aperto ostio dormientes eos repertos esse: iudicio absoluti adolescentes, & suspicione omni (qua sola iudicium agebatur) liberati sunt. Nulli enim visum quenquam esse, qui cùm omnia diuina atque humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuerit: propterea quòd qui tantum facinus commiserunt, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possunt.

Qui iusto dolore matrem occiderit, nec absoluendus nec puniendus est.

IIII. Ex Valerio Maximo, ibidem.

APVD M. Popilium Lenatem Quæstorem parricidij quædam, quòd matrem fuste percussam interemisset, accusata est. Sed cùm abundè constaret, eam veneno necatorum liberorum dolore commotam, quos auia filiæ infensa sustulerat, parricidium parricidio vindicasse: pronunciatum est, ream videri neque damnari neque absolui posse. alterum enim vltione dignum, alterum absolutione indignum esse.

Et parricida maritus est, qui vxorem interfecerit. cæterum ad arguendum facinus, plurimum adfert conuictum mendacium.

V. Ex Cornelio Tacito, Annalium lib. 4.

IACTA in præceps Apronia Plautij Siluani Prætoris, cùm in nullum alium suspicio cade-

ret, neque esset vllus qui de facto quicquam vel audisse vel vidisse se diceret: Siluanus ad Tyberium Imperatorem adductus est. Huic de morte vxoris interroganti, quia turbato animo & quasi à somnio rediens respondisse visus est, Vxorem sponte sibi mortem consciuisse: quæstionem exercens ipse Tyberius, in cubiculum venit, ex quo se Apronia præcipitem dedisse à marito dicebatur. Ibi cùm reluctantis & impulsæ vestigia, pedum, manuum, vnguiúmque contactu fenestris impressa viderentur: ex mendacio conscium esse iudicauit. Sed ob Prætoriam dignitatem hunc ab amicis sententiæ suæ admoneri voluit. itaque Plautius damnationem anteuertit.

Contrà, si vxor maritum, filiúmve interfecerit, crimen huius legis contrahit. sed in omni delicto ad damnationem aut absolutionem, refert, quo animo quid quisque commiserit.

VI. Ex Valerio Maximo, lib. 8. cap. 1. Aulo Gellio, lib. 12. cap. 7. Ammiano Marcellino, lib. 29.

MATERFAMILIAS Smyrnæ, virum & filium interfecit, cùm ab ijs optimę indolis iuuenem, quem ex priore viro enixa fuerat, occisum esse comperisset. Dolabella Proconsul in Asia, quia, vt Popilius Lænas, neque liberare duabus cædibus contaminatam, neque punire iusto dolore impulsam facile posset, hæsitans quid inter vltionem & scelus statui oporteret: rem ad se delatam

latam reiecit Athenas ad Areopagi cognitionem: quorum Senatorum æquitas, Deorum quoque iurgia dicitur terminasse. Sed Areopagitæ quoq; non minus sapienter, quàm Dolabella mansuetè, inspecta causa, & accusatorem & ream in centum annos vadati sunt: hac mora, & damnandi atque absoluendi dilatione, ablegantes à se, & sequentibus iudicibus, extincta morte accusatione, adimentes obscurum ac difficile iudicium.

Parricidium committitur etiam in fratrem aut sororem, sed & potest ea quæstio incidere, vtrum iure, puta soror indemnata, à fratre interfecta sit.

VII. Ex Regum lib. 2. cap. 4. Flauio Iosepho, lib. 7. cap. 7.

AMMON filius Dauidis, Thamarem sororem vi corruperat, ideóque à fratre Absalone, cùm biennio pòst, sororis pudicitiæ vlciscendæ causa, per insidias interfectus esset: Rex indignissimè tulit, quanquam raptoris atque incestuosi, ab eo tamen exactum supplicium, à quo minime oportuit. Itaque longo interuallo vetuit Absalonem in conspectum suum adduci: quæ pœna ijs, quibus parentes Deorum loco sunt, omnino certe ipsa morte grauior est: nec tamen contra naturam, vt pater in filium, hoc est, in sua viscera sæuiat, atque inhumanior esse videri posit.

VIII. Ex Cicerone, lib. 2. de inuentio. & pro Milone. Dionysio Halicarnasseo lib. 3. Ti-

to Liuio, deca. 1. Plinio, de viris illustribus.

HORATIVS occisis tribus Curiatibus, & duobus amissis fratribus, domum se victor recepit. Is animaduertit sororem suam de fratrum morte non laborantem: sponsi autem nomen appellantem identidem Curiatis, cum gemitu, & lamentatione. Indignè passus quòd publicum gaudium, eámque de Albanis victoriam abominari videretur, virginem occidit. Atrox id visum est facinus, cùm omnibus, tum potissimū Patribus. ideóque ad Romulum Regem in ius raptus est. Hoc vrbs Roma primum iudicium de capite vidit. Lex proferebatur, quæ hominem indemnatum necari vetat: si nedum à Magistratu, multo minus à priuato, & minus etiam à fratre. non enim oportere antè supplicium, quàm iudicium interponere. factum virginis excusari potuisse: quia & mulier: & sponsi dura & grauis esset recordatio. facilius virum, iram & indignationem temperare potuisse quam virginem: amissi sponsi eo acerbiorem dolorem, quò nuptijs nihil libentius audiunt. Si furorem excusat Horatius, cum multo magis ignoscere sorori debuisse. Deinde hoc si constitutum sit, vt peccata homines peccatis, & iniurias iniurijs vlciscantur, quantum incommodorum consequetur? Defendebat ex aduerso pater ipse P. Horatius filium adolescentem, vltrò filiam accusans: & pœnam illam, non cædem, dicens esse. se, nisi iure cæsam iudicaret, quæ hostium mortem lugeat, fratrum negligat, Horatium & Populum Ro. vicisse moleste

lestè ferat: patrio iure in filiam animaduersurum fuisse: Rem sic fuisse apertam, vt iudicium de ea re fieri non attineret. Præterea recentia merita filij proferebat. indignum esse, quem modò decoratum, ouantémque victoria incedentem aspexissent: eodem fere die sub furca vinctum inter verbera & cruciatus circumspici. Romulum magna tenebat incertitudo, quem finem quæstioni impositurus esset. Neque enim hunc cædis crimine liberari posse, qui sororem indicta caussa occidisse fateretur: cùm eum leges occidi iuberent: neque rursus tanquam homicidam in eum vindicari posse, qui vnus cum duobus interfectis fratribus pro Patria periclitari voluisset: & patre illum præsertim culpa liberante, cui primam indignationem pro filia, & lex & natura tribuit. Igitur ne ipse tam tristis ingratíque ad vulgus iudicij, aut secundum iudicium supplicij auctor esset: concilio Populi aduocato, Duumuiros Horatio constituit, qui eum secundum legem Perduellionis iudicarent, sic tamen, vt ei Populum appellare liceret. Duumuiri quia ita dati erant, vt secundum legem iudicarent, Horatio perduellionem iudicarunt. Is ad Populum prouocauit. Ibi postquàm diu certatum est, tandem motus Populus Patris Horatij lachrymis, virtute, orbitate & clamoribus magis quàm iure caussæ, filium absolui voluit, iussit. Sed nihilominus vt cædes manifesta, aliquo tamen piaculo lueretur, imperatum patri est, vt filium expiaret, pecunia quidem publica. Itaque

veluti ſub iugum miſſus eſt (quod Tigillum ſororium appellatur) accerſitiſque Pontificibus, Dijs ac Genijs, ſororiſque defunctæ Manes, ijs piacularibus ſacrificijs placati & purgati ſunt, quibus cædes imprudentes expiari lex iubet.

Si quis patronum, patronámue occiderit, is etiam parricida eſt.

IX. Ex Suetonio, in Domitiano cap. 14.

A PATRE, Patronus proximum nomen habet. eum autem hic accipimus qui ex ſeruitute manumiſit. Itaque inter alia iura quæ patronus habet, ijs certe ſimilia quæ parentibus debentur, operarum, bonorum, obſequij, ne ſine venia in ius vocetur, ne de ſua calumnia queratur, & alia huiuſmodi: hæc etiam maieſtas ei tribuitur, vt occiſus à liberto, non ſit Corneliæ legis, ſed Pompeiæ iudicium. Porrò & Domitianus, vt domeſticis perſuaderet, ne bono quidem exemplo audendam eſſe patronorum necem: Epaphroditum à libellis, capitali pœna condemnauit, quòd poſt deſtitutionem Imperij, Nero in adipiſcenda morte, manu eius adiutus eſſe probaretur.

Eſt & aliquod parricidium in eos quos parẽtum loco habet tota poſteritas: neq; hoc crimen ſolum aduerſus viuos ſed & aduerſus mortuos committitur.

X. Ex M. Vitruuio Pollione, lib. 7.

PARVM eſt, filium edere, niſi qui erudiendum [illegible] præſidia ſunt vitæ, quæ, vt dicebat

cebat Aristippus, etiam e naufragio possunt enatare: quibus neque publicarum rerum mutatio, neque belli vlla vastatio nocere potest. Itaq; licet omnium Græcorum hæ fuerint optimæ leges, PARENTES A LIBERIS ALI OPORTERE: Atheniensium hæc propria ac celeberrima fuit, vt eos modò liberi alerent, qui se literis atq; artibus erudissent. Quare & Præceptores nostri vere parentum loco sunt, vt quod in eorum salutẽ à discipulis sit inhumaniter admissum, speciem profecto parricidij habere videri posit. Sed id, quantum ad eos attinet, qui nos singulos separatim instituunt. Verùm de ijs quid dicendum est, qui propter eam quam in aliqua disciplina perfectam cognitionem adepti sunt, atque studio & amore posteritatis, eam scriptis tradiderunt, vt veluti pecuniæ, ita eruditionis suæ non caduca aut pro non scripta esset hæc immortalis hæreditas: eam prærogatiuam adepti sunt, vt parentes totius Reipub. literariæ cognominarentur? Quales fuere Cicero, Demosthenes, Eloquentiæ: Plato, Aristoteles, Philosophiæ: Galenus, Isocrates, Medicinæ: Hieronymus, Augustinus, Theologiæ: Thucydides, Historiæ: Homerus, Poëtarum, parẽtes atq; duces appellati. Quamobrem qui tantorum patrum maiestatem atque auctoritatem lædunt ac deprimunt: & qui cùm iam loqui non posint, vel inuidia, vel cęca æmulatione scripta atque memoriam eorum calumniantur ac iugulant, merito publici parricidij arcesiri possunt. Nam vt erga parentes prima

impietas eſt, contumacia: ſic erga patriam ſumma offenſio eſt, quenquam adeo ſeſe efferre, & maledicentia laudem quærere, vt vel quidem Muſas ἀμούσας præ ſe videri velit. Cùm itaque Zoilus qui Homeromaſtix dici & appellari voluit, e Macedonia Alexandriam veniſſet, atque ſua ſcripta Ptolemæo Regi contra Iliadem & Odyſſeam recitaſſet: Rex indigniſsime tulit, Poëtarum omnium parentem, totiúſque Philologiæ ducem, præſertim mortuum, vexari, calumniari: & cuius abs cunctis gentibus tanta cum admiratione ſcripta ſuſciperentur, ab eo vituperari, qui ne quantus quidem fuerit Homerus, iudicare poſsit. Quare iſte præclarus Homeromaſtix inopia preſſus, cùm ſummiſiſſet ad Regẽ, qui vt aliquid ei tribueretur, ſedulo poſtularet: Ptolemæus reſpondit, Homerũ qui ante annos mille deceſsiſſet, æuo perpetuo multa millia hominum paſcere: itaque etiam debere qui meliori ſe ingenio eſſe profiteretur, non modo ſe vnum, ſed etiam plures alios alere poſſe. Is igitur aliò profectus, cùm identidem patrem illum, Platonem atque philoſophum Poëtarum indignè traduceret, alij damnatum parricidij, alij à Philadelpho in crucem affixum: quidam, lapides in eum coniectos: nonnulli, Smyrnæ viuum in ignem proiectum eſſe aiunt. Quare & ſibi caueant aliorum exemplis, noſtri (ſi Dijs placet) Ariſtotelemaſtiges.

DE MALEFICIS ET MATHEMATICIS ET CAETERIS SIMILIBUS. Tit. XIIII.

Qui mentem & animum Principis, magistratuum aliorúmque iudicum, præstigijs, fuco & malis artibus attentauerit, dignus est morte.

I. Ex C. Plinio Secundo, lib. naturalis historiæ 29. cap. 3.

DRVIDAE nostri antiqua superstitione ac veluti magica solertia ad decipiendũ bellissime accom̃odata, ouum quoddã anguinum certis ceremonijs, certa Luna, solenni ritu singulis annis capiebãt: cui magnam vim, occultos effectus, varias rerum causas, falso tribuebant: certe ad victorias litium, ac Regum aditus valde cõducere. Igitur quidam Eques Romanus e Vocontijs, cum in lite quam exercebat apud Claudium Principem, in sinu id ouum secum ideo attulisse depræhensus esset, vt magicis, certe illicitis omnibúsque alijs potius artibus, quàm iure & lege in iudicio vinceret: grauissimum scelus Claudio visum est: quanquam vt neque in bona caussa vinceretur. Ausum enim esse menti ac religioni suæ, aliorúmque omnium consiliariorum ac iudicum cæcitatem præstigiasq; adducere, ne rectum & iustum perspicere, exq; animi sui sententia iudicare possent? denique in incantationibus externis maiorẽ, quàm in bonitate sua spem atq; expectationem posuisse? Itaque non aliam

ob causam Imperator iussit eum interfici.

Mortis alienæ vaticinatores quibus pœnis coërcendi sint.

II. Ex Suetonio, in Domitiano, cap. 15. & Dione, lib. 56. & Xiphilino, in Domitiano.

NOSTRA omnium interest, quid de nobis futurũ sit, nihil aliud certi cognoscere quàm quod recte factis & optima spe repromittere possumus. Per astrologos prædici quæ futura sint, quando & qua morte simus perituri, etsi lex diuina non prohiberet, inutile tamẽ & perniciosum esse perpetuò existimatum est, vt maxime hi optimi vates sua coniectura vel arte non deciperentur. Tremorem, abiectionem atq; anxietatem inter spem & metum, lætitiam & dolorem hæc hominibus adferunt, quę omnia solent à rebus agendis auocare. Porro etsi desperationem adferunt, cur non audendi voluntatem insigne antea facinus? si non alij, cur non etiam ipsi Astrologo, ne fallax, ne vanus esse reperiatur? Insana certe sunt documenta, quæ nostra credulitas excogitauit, vt acrius torqueremur. Omnino cùm iure sint prohibita, quæ votum captandæ mortis inducere videri possunt: quanto periculosior est atque deterioris exempli hæc publica aut priuata de morte aliena pronunciatio? quæ si in caussa priuatorum vitanda est, in Regibus ac Principibus quanto magis? de quorum interitu citra metum legis Iuliæ ne quidem cogitare possumus: aut mortis aut valetudinis nuncius afferri potest, absque

prompta rerum innouandarum cupiditate? Itaque cùm aliàs sæpè & ab Augusto & à Tyberio vatibus interdictum esset, ne vel absentibus arbitris, vel coram testibus de cuiusquam morte prædicerent: tandem etiam à Domitiano Imperatore Asclerario viuus comburi iussus, & Larginus Proclus capite damnatus est, quòd publicè prædixissent, quo die esset ille moriturus. Sed horũ alter, quia ab eo qui Prouinciæ Germaniæ præerat, Romam missus, quę prædixisset, cõstantissimè Domitiano asseuerasset, breuemq́ diem esse diceret, quo veritas aut vanitas artis iudicari posset: supplicium in hunc diem differri placuit. Et fuit certa diuinatio. itaq; Diui Neruæ beneficio liberat⁹ est, potiti Imperij lætitia magis, quàm iure & legibus: vt nec alia re Flauius Iosephus veniam gratiámque à Vespasiano meruit.

Qui filium præbuerit his artibus erudiendum, æque ac maleficum ipsum, puniendum esse.

III. Ex Ammiano Marcellino, lib. 26.

SVB Valentiniano ad Apronium Præfectum vrbi, Hilarius quidam auriga adductus est, quòd diceretur filium suum vixdum pubescentem tradidisse venefico erudiẽdum, vt secretiora quædã & legibus interdicta ab eo edoctus, nullo alio conscio, filij artibus ad multa interna adminicula vteretur. Culpam similẽ esse, tam prohibita discere, quàm docere. Confessum ac cõuictum capite damnauit. Is cùm laxius à carnifice retineretur, lapsus, ad ritus Christiani sacrariũ aufugerat. eo extractus, pœnas luit.

Qui

Qui libros noxiarum artium describit, quos combu- rere debuit, pro malefico haberi. cæterum à Præ- fecto vrbi Imperatorem appellari.

IIII. Ex eodem, lib. 28.

AMANTIVS Aruſpex aſcitus eſſe dictus eſt ab Hymetio, vt ob praua quædam perficienda Numinibus ſacrificaret. Quæſtione diligentius habita, ex ædibus Amantij chartæ allatæ ſunt, quibus ſua manu ſcribens Hymetius flagitabat, vt Amantius alijque ſacrorum ſolennium con- ſecratores, Numina Geniumq́; Imperatoris Va- lentiniani erga ſe delinirent: atque in extremis tabulis nonnulla continebantur aduerſus aua- ritiam & crudelitatem Principis. denique & à Frontino legebatur imprecationis formula con cepta. Ob id delati & peracti, Frontius virgis cæ- ſus in exilium ad Britannos ablegatus eſt, Aman- tius vltimo ſupplicio damnatus eſt. Hymetius ab Ampelio vrbi Præfecto & Maximino Vicario cùm ad Valentinianum prouocaſſet, Imperator Senatui negotium dedit. Senatus clementiorem ſententiam ſecutus, ad Boas Dalmatiæ locum relegauit. Iiſdem temporibus & Campenſis qui- dam Aruſpex flammis necatus eſt. Sed & Lolli- anus primæ lanuginis adoleſcens, ideo ſolùm ac- cuſatus, quòd noxiarum artium codicem de- ſcripſiſſe diceretur, & timor eſſet ne à Maximino in exilium mitteretur, Valentinianum appella- uerat. Itaque ad Imperatoris comitatum duci iuſſus, acerbiorem ſententiam nactus eſt. etenim

capite pœnas luit. Ideo vero quidam Principes in hoc crimen acerbiores fuere, quòd ad suam salutem id pertinere arbitrabantur.

AD LEGEM CORNELIAM DE FALSIS. TIT. XV.

Falsitas & adulteratio monetæ.

I. Ex Diogene Laërtio, in Diogene.

DIOGENES Iesij mensarij filius, Synopæus fuit. Ambo cùm deprehensi essent de ciuili moneta æs adulterare, exilio damnati sunt.

Accusatio suppositi partus, ad hanc legem pertinet.

II. Ex Cornelio Tacito, lib. 3. Annalium.

LEPIDA, cui super AEmiliorum decus, L. Sylla ac Cn. Pompeius proaui erant, delata est, quòd facto diuortio partum simulauisset ex P. Quirinio marito diuite atque orbo. adijciebãtur adulteria, venena, & quòd ab ea per Chaldæos in domum Tyberij Cæsaris quæsitũ esset. Ream defendebat Manius Lepidus frater. Sed postquã tormentis seruorum patefacta sunt flagitia: placuit ei ex sententia Rubelli Blandi Senatoris, aqua & igni interdici. Scauro qui filiam ex ea genuerat, datum est, ne bona publicarentur.

Falsitas testis ex testimonio ipso maximè deprahenditur, cùm apparet id de quo testatur, reo nullo modo conuenire posse.

III. Ex

III. Ex Dione Nicæo, lib. 7.

ARCHELAVS rex Cappadociæ, in summa senectute, & cùm perpetua podagra laboraret, Romæ sub Tyberio in Senatu caussam dicebat, per calumniam accusatus, res nouas eum moliri ac struere. Temerariam accusationem esse, falso neque verosimili vnius testimonio pronunciatum est: postquam interrogatus iurauit, Archelaum seriò dixisse, vbi domum rediisset, demonstraturum se Tyberio, neruos sibi esse.

Qui edicta proposita dolo malo corruperit, secundum atrocitatem delicti puniendus est.

IIII. Ex Eusebio, lib. 8. cap. 5. & Nicephoro, lib. 7. cap. 5.

A CHRISTO passo ad tempora vsque Diocletiani Imperatoris (hoc interuallum prope 300. annorum fuit) etsi innumera tormenta, infinitas calamitates Christiani subierunt, easque etiam huiusmodi, vt nunc simul 20. millia Christianorum necarentur, nunc integra oppida euerterentur: attamen nusquam omnino legitur, Christianos, licet his viribus, hoc numero, vi & armis aduersus leges, Rempublicam, Magistratum, securitatis suæ caussa vel tantillũ suscepisse. Quin hoc vno argumento, se suámque religionem præ omnibus aliis anteferri, coli & amplecti profitebãtur: quòd nulla ducti æmulatione, nulla dominandi cupiditate, nullo studio nouarum partium, in ea tam pertinaciter atque obnixe perdurarent: sed vnico amore veri ac diuini cultus.

cultus. Christianos se ab eo appellari, cuius sit (vt alia omnia) hoc pijssimum dogma, vti Magistratui pareant: neque alia ratione fidem & doctrinam suam alijs persuaderi velint, quàm recte dictis ac factis. Itaque cùm Nicomediæ in publico proponeretur edictum Diocletiani & Maximiani Imperatorum, crudele atque durissimum aduersus Christianos, videlicet quò templa solo æquarentur, diuinæ scripturæ comburerentur: qui inter Christianos magistratus honoréue gereret, is vt cum infamia in ordinem redigeretur: Christianismum qui serui abiurarent, libertate donarentur, & alia pleraque huiusmodi: quidam, & ille primus omnium Christianorum extitit, qui tantæ seueritatis indignatione motus, ausus sit, cùm etiam vterque Imperator Nicomediæ moraretur, edictum manu accipere, discerpere, proscindere in minutissimas partes. In eum cùm hoc nomine extremo supplicio esset animaduersum, reliqui etiam Christiani iure cæsam esse pronunciarunt.

Aliam scripturam dolo malo alterius chirographo accommodare, capitale est.

V. Ex Ammiano Marcellino, lib. 15.

SVB Constantio Gallo Imperatore, cùm motus exortus esset in Gallia, Siluanus Deuius pedestris militiæ Rector, id inprimis Artebione Magistro Equitum atque præfecto Cubiculi suadente ac procurante, in Galliam ab Imperatore cum imperio atque exercitu delegatus est. AEmulus

mulus enim & inuidus Artebio, putauit se illo abſente facilius aliquid in perniciem eius poſſe comminiſci & exequi. Curauit igitur vt agente res in Gallia Siluano, illius actuarius quidam (Dynamium appellabant) Romam rediens, literas ab eo commendatitias impetraret. Id ei non negauit. Quare dum venit in vrbem Dynamius, interim Artebio per Lampadium Præfectum & Euſebium Excomite rei priuatæ, atque Edeſium Magiſtrum memoriæ, quorum opera ad calumniam vtebatur, diſpergit hos ſermones de Saluiano, quòd imperium ſibi arrogaret, ſeque ab exercitu Imperatorem renunciari poſtulaſſet. Cæterum rei confirmandæ cauſſa, poſtquã in vrbem Dynamius aduenifſet, reſignatis literis ijs quas ad plures ſummæ auctoritatis viros à Saluiano attulerat: notis abſterſis, ſoláque incolumi relicta ſubſcriptione, ea tranſcribi iuſsit, quæ ad Imperium occupandũ pertinerent. Poſtea recitantur in intimo conſiſtorio. Itaque iuſſit Imperator eos quorum nomina literis continerentur, ſi qui eſſent in Prouincia, hos adduci: vocari item Siluanum. Sed cùm optimi quique, & Franci potiſsimum, quorum ijs temporibus in Palatio magna erat frequentia & auctoritas, ægrè ferrent ea de Siluano alijſq; Tribunis tam incredibilia falsò accuſari, per eos maxime qui virtuti ac fortunæ illorum inuiderent: ab Imperatore alioqui credulo, crudeli ac timido impetrarunt, vt de re amplius quæreretur, & Iudices daret. Itaque accidit vt Florentius iudex tum

tum agens pro magiſtro officiorum, literas inter iudicandum diligentius inſpiciens, animaduerterit apices qui apparebant, non ei quæ tum legebatur, ſed alteri ac priori ſcripturæ conuenire. Quamobrem diſcuſſa nube falſitatis, quæſtionem haberi placuit. Lampadius itaq; Præfectura deſtitutus eſt. Euſebium confeſſum ea ſe conſcio facta, Florentius ſuſpendi iuſsit. Edeſium dimiſit, quia nihil non ſemper inficiatus eſt. Artebio non tam quòd ab alijs ſermones acceptos detuliſſe bona fide ſe diceret, nec ſua manu falſum commiſiſſet, quàm commendatione amicorum ipſiusq; etiam Imperatoris, abſolutus eſt. Cæterum indignitate motus Siluanus ſe innocentem accuſari, neq; calumniatorem ſupplicio affici, reuera ſe eius criminis conſcium poſtea præſtitit, de quo accuſabatur.

AD LEGEM IVLIAM REPETVNDARVM. TIT. XVI.

Qui pecuniam accipit quo magis aut minus quid ex officio ſuo faciat, in hanc legem incidit.

I. Ex Dinarcho, contra Demoſthenem. Plutarcho, in vita Demoſthenis. Athenæo, lib. 6. cap. 5. Iuſtino, lib. 13.

HARPALVS homo luxurioſus, ob conſcientiam ſcelerum, ideoq; metu Regis Alexandri, ex Aſia cum ingenti pecunia ſupplex Athenas aufugerat, paratus ſe ſuáque Populo Athenienſi dedere. At cùm Orator Demoſthe-

X nes,

nes primùm in concione, vitandi belli caussa, ne reciperetur, Populo suasisset: postea vero calice ac 20. talentis ab Harpalo delinitus, iussus ad Populum iterum sententiam suam dicere, anginam & faucium dolorem simulasset: imò dictus est, pati argentanginam. Itaque huius pecuniæ nomine à Stratocle insimulatus, ipso Demosthene auctore, neque conditionem recusante, vt quos Senatus deliquisse demonstrasset, ij punirentur: Populus Senatum Areopagum de pecunijs quas Harpalus in vrbem aduexisset, iussit inquirere. Nam Harpalum eijci placuerat, & de pecunijs quęri: vt si ab Atheniensibus earum Alexander rationem posceret, eam redderent. Senatus re inquisita, retulit inprimis, esse apud Demosthenem argenti viginti talenta. Igitur Populo placuit iudicium agi, accusandíque partes tribui Dinarcho. Eleuabat Demosthenes Senatus auctoritatem: multósque alios proferebat, qui quanquam delati à Senatu, tamen Populo suffragia ferente, dimissi & absoluti essent: ideóque ab alijs denuo inquirendum esse. Dinarchus contrà dicebat, Demosthenem officium Senatus quod approbasset, non posse nunc improbare: & quo iure aduersus Archinum aliosque vsus esset, quos sola auctoritate Senatus vrbe expulit, eodem in sua caussa vti oportere. Cæterum quod euenerit, vt aliter nonnunquam Populus decreuerit, sciuerit, quàm ei Senatus auctor esset: id fieri non quòd præiudicium Senatus improbaret, sed quia humanitatis potius

quàm

quàm summi iuris interdum rationem habendam esse sapienter existimaret. Crimen autem eò in Demosthene acerbius esse, quòd cùm leges & Oratori & Imperatori præcipiant, si fidem à Populo ciuibúsque suis sibi haberi velint, dum præesse Populo instituunt: scilicet vt liberos suscipiant, hæreditates intra limites possideant, quæ sint omnia patriæ pignora: in perniciem tamen Reipub. venalis fuerit eius animus, voluntas, oratio. Quid quod olim institutum erat, vt quæ ciui non à patria, sed ab extraneis corona donaretur, quam Hospitalem appellabant, ea ademta ciui, consecraretur? nisi vt nullius animus alienam beneficentiam præferendo, corrumperetur? Itaque Populus reum quinquaginta talentis multauit, atque in carcerem duci iussit. Sed hinc elapsus, in exilium abijt.

Huius legis pro rei grauitate pœna est, exilij: vt si Præfectus socios aut prouinciales compilauerit.

II. Ex Dione Nicæo, lib. 39. & Appiano, in Syriaco.

LEGE cautum erat, ne quis Proconsul aut Præses extra Prouinciæ fines proficisceretur: deinde ne quod suo arbitrio bellum susciperet. Cùm itaque Populus Romanus consultis libris Sibyllinis prohibuisset, ne Ptolemæus rex AEgypti reduceretur: attamen Gabinius pecuniæ cupiditate, Syria prouincia relicta prædonúmque iniurijs exposita, cui tum præerat, Ptolemæum in regnum suum restituit. Qua de re deferenti-

 bus

bus Syriis à Cicerone ad Populum accusatus est. Contemptam religionem esse: spretam Populi Romani auctoritatem. Sed cùm tantis pecuniis ac sordibus damnationem euitasset, vt Populus in Iudices facti ignominia irruere conatus sit: de Repetundis lege repetitus, licet tum Cicerone defendente, quòd ex Prouincia quater millies sestertiûm eoque amplius compilasset, exilio multatus est.

Lege hac tenetur, qui ob hominem condemnandum, iudiciúmve capitis pecuniaq́ue faciendũ pecuniam acceperit. Aduocatorum laudandorum vetus & praeclara ad excitandos animos consuetudo.

III. Ex Plinio Nepote, lib. 2. epistolarum.

MARIVS Priscus accusantibus Afris lege Iulia repetũdarum, quibus pro Consule praefuit, cùm pecunias cepisse se negare non posset: omissa defensione vtendo clementia legis, Iudices petiit, qui pecuniam siue litem aestimarent, quae iis reddenda ad quos pertineret, de suis bonis exigeretur. C. Plinius & Cornelius Tacitus à Senatu adesse Prouincialibus iussi, dixerunt, Priscum immanitate & saeuitia legis seueritatem excessisse, vt eius criminibus dari Iudices possint, quorum sit Lege & formula conclusa cognitio (nõ erat enim poenae persecutio in arbitrio iudicantis, sed legis auctoritati reseruabatur) cùm ob innocentes condemnandos atque etiam interficiendos, pecunias reus accepisse diceretur. liberum solutúmque iudicium Senatus esse oportere: quantúmque

túmque admisisset reus tantum vindicandum: nec condemnationem simplo aut duplo aut quadruplo præscribendam (quæ ordinaria est pœna legis Iuliæ repetundarum) sed vt vel extra ordinem, mitius aut durius, prout reum deliquisse apparebit, Senatus, exilio, capite aut deportatione iudicet. Verùm quia nondum aderant, a quibus ob hominē necandum pecuniam reus accepisse dicebatur, placuit Mario quidem interim ex antiqua formula Iudices dari: cæterū euocandos quibus argueretur innocentium pœnas vendidisse. Venerunt, qui adesse iussi erant, Vitellius Honoratus & Flauius Martianus: ex quibus Honoratus, trecentis milibus exilium equitis Romani septemq́ amicorum eius vltimā pœnam, Martianus, vnius equitis. Romani septingentis milibus plura supplicia emisse accusabatur. erat enim fustibus cęsus, dānatus in metallum, strangulatus in carcere. Honoratum cognitioni Senatus mors subtraxit. Martianum in Senatum induci placuit, & Mario quidem præsente, quòd æquissimum videretur, commune crimen ab vtroq; defendi: & si dilui non posset, in vtroq; puniri. Re à pluribus patronis coram Cæsare acta, & sæpius dilata ac reiecta in proximum, alium & item alium Senatum, visum est non iam Marium repetundarum pœnæ relinquendum. itaq; censuit Senatus septingenta milia quæ acceperat Marius, ærario inferenda, Mario vrbe Italiáque interdicēdum: Martiano hoc amplius, Africa. Hostilius etiam Firminus Legatus Marij Prisci Pro-

cõſulis, quòd ei ad turpiſsima miniſteria operam ſuam accommodaſſet, ſtipulatuſq; de Martiano quinquaginta millia denariorum probatus eſt, ac ipſe præterea ſeſtertia decem millia accepiſſe. placuit in ſortitione Prouinciæ ne ratio eius haberetur. Denique (quod perlaudabile fuit inſtitutum) Senatuſconſulto adiectum eſt, arbitrari ſenatum, Plinium & Tacitum iniuncta Aduocatione diligenter fortitérque functos eſſe: ideoq; placere erga patronos laudatione & commendatione vti.

Non ſolum in Præſides aut Proconſules, ſed in miniſtros & comites eorum animaduerti. Hoc crimen morte non extingui. & quatenus quis in officio locupletior euaſerit, eatenus Prouinciã videri compilaſſe.

IIII. Ex eodem, lib. 3. epiſtolarum.

CAECILIVS Claſsicus in Bætica Proconſulatum non minus violenter, quàm ſordide geſſerat. Is à Prouincialibus ſic accuſatus eſt, vt verè in eum tota Prouincia incumbere videretur. Sed ſiue fortuita, ſiue voluntaria morte accuſationem anteuertit. Nihilominus, vt erat prouiſum quidem antea legibus, intermiſſum tamen, & poſt longam intercapedinem tunc reductum, Bætica in defuncti accuſatione perſeuerauit: ſocios miniſtróſque detulit, & nominatim in eos inquiſitionem poſtulauit. C. Plinius & L. Albinus qui Bæticis aderant, Claſsicum prius peregerunt: quia ſocij miniſtriq; probari, niſi illo nocento,

cente, non poterant. Is sua manu scriptum reliquerat, quid ex quaque re, quid ex quacunque caussa, accepisset. quare commissi aduersus legem Iuliam Repetundarum facilis probatio & executio fuit. Circa socios ministrosq́ue Fabium Hispanum, Bæbium Probum, & Stillonium Priscum Prouinciales, elaboratum est, quia dicebatur, ministerium non esse crimen, aut certè necessitati veniam dari oportere, eos enim esse Prouinciales, & ad omne Proconsulum imperium metu cogi. Sed cùm nec domini potestas, nec patris auctoritas à grauioribus delictis seruum filiúmque familias excuset: placuit Senatui, bona Classici quæ habuisset ante Prouinciam, à reliquis separari: illa filiæ, hæc spoliatis relinqui: additumq́ue est, vt pecuniæ quas in Proconsulatu creditoribus soluerat, reuocarentur. Non enim eandem rationem esse in Præside, quæ in tutore. quia priuatis neque industria, neque augmentum patrimonij, quod laboribus & multis casibus acquiritur, interdictum est: Præsidibus omnis fere contractus in Prouincia prohibetur. Hispanum & Probum (adeo graue visum est, quòd dubitabatur an omnino crimen esset) in quinquennium relegari placuit: Prisco, in biennium Italia interdici. Cæterum Aduocatorum industriam, fidem, constantiam à Senatu comprobari.

Etiam munera à Prouincialibus accipere lex vetat. Senatus est leges intendere ac mitigare.

V. Ex Eodem, lib. 4. epistólarum.

IVLIVS Baſſus accuſante Pomponio Ruſo & Theophane, cauſſam dixit in Senatu, quòd in Bithynia Quæſtor à Prouincialibus, licet ab amicis, quædam accepiſſet. Accuſatores hæc, furta ac rapinas, ipſe munera vocabat. Sed lex munera quoque accipi vetat. itaque præcluſa reo illiúſque aduocatis C. Plinio ac L. Albino defenſio videbatur, quia Baſſus multis non celaſſet neque ipſi adeo Principi Tyberio, ſe munuſcula natali ſuo, & Saturnalibus accepiſſe, ac viciſsim pleriſq; miſiſſe. Cauſſa tamen per quatuor dies acta eſt, quorum vltimum probationes occuparunt. Cenſuit Bæbius Macer Conſul deſignatus lege Repetundarum Baſſum teneri; ita enim lege ET MVNERA, compræhendi: Cæpio Hiſpo, ſalua dignitate Iudices dandos. putabat enim licere Senatui, ſicut licet, & mitigare leges, & intendere, quare nõ ſine ratione veniam dari tunc oportere facto vetito quidem, non tamen inuſitato: & quia reus vt imprudens & incautus, ita minime malus videretur. Præualuit ſententia Cæpionis.

AD LEGEM IVLIAM DE ANNONA, TIT. XVII.

I. Ex M. Cicerone, pro Flacco.

ATHENIS cæſus eſt virgis Athenagoras Cynicus, qui in fame frumentum auſus erat exportare.

II. Ex

II. Ex Strabone, lib. 5. & ex Suetonio, in Galba, cap. 7.

MILITI, qui per expeditionem annona arctissima residuum cibariórum, tritici modium centum denarijs vendidisse arguebatur: vetuit Galba simul atq; indigere cibo cœpisset, à quoquam opem ferri: itaque fame extabuit. Et apud Prænestinos inualescente fame, Dei iudicio factum est, cùm modius frumenti 200. drachmis venijsset, venditor ipse cum magna sua pecunia interiret: emtor euaderet.

Qui Populi demerendi caussa, in annona deliquerit, vt maiestatis reus puniendus est, hoc est, etiam in liberos.

III. Ex Herodiano, lib. 1.

CLEANDER Phryx genere, ex ea hominum nota, qui publicè per præconem antea veniebant: cum in domum Imperatoriam seruitio traditus, eo scilicet honoris atque auctoritatis prouectus esset, vt & corporis custodiam & cubiculi curam, præterea militum Præfecturam solus obtineret: diuitiæ ac luxus etiam illum ad Imperij spem pepulerunt; ideóque grandi pecunia coacta, plurimum frumenti comparauerat, quod hac industria diu latens in horreo tenuit, vt Populum Romanum atque exercitus antea rerum penuria laborantes, mox sibi magnis largitionibus demereretur. Sed & gymnasium vtique maximum ædificauerat, publicatis etiam balneis, vt ijs artibus Populum inescaret. At id profecto accidit, vt nihilominus infensiore vte-

retur. Cùm itaque totius pestilentiæ caussam in eum vniuersi coniicerent, dum interea Commodus in suburbanis agit, subito magnis clamoribus adeuntes, Cleandrum ad necem postulant. Commodus in alto secessu voluptatibus indulgebat. quamobrem eorum omnium inscio quæ gerebantur, Cleander immittit equites qui obuium quemq; summouerent, vulnerarent, occiderent. Re ad seditionem prolapsa, cùm Cleandri potentiæ metu nemo inueniretur qui quid Commodo nũtiare vellet: tandem extitit maxima natu soror Commodi Fadilla, quæ Imperatorem otium agentem & oscitantem impellit, excitat, & de omnibus certiorem facit. Itaque ad se Cleandrum nihil dum male suspicantem acciri iubet. Huic protinus caput amputatur, & conto præfixum, per vrbem circumfertur. Sed & liberi Cleandri, & quotquot illius amici sociiq; fuerant, omnes ad vnum trucidati, & tractá per vrbem eorum cadauera, ac contumeliose habita, postremo etiam in cloacas abiecta sunt. Ita seditio sopita est.

AD LEGEM IVLIAM PECVLATVS, ET DE SACRILEGIIS, ET DE residuis. Tit. 18.

Huius legis pœna est vltimum supplicium.

I. Ex Diodoro Siculo, lib. 2.

BELESIS Babylonius sacerdos, peritus astrologiæ, diuinandíque artis (hos Chaldæos appellabant) Arbaci Medo prædixerat, fore vt

re vt Sardanapalum regno Assyriorum eijceret. Id cùm ita euenisset, Arbaces præmij loco Belesidem Babyloniæ præfecerat. Sed & quidã olim Sardanapali eunuchus, clam ad eum ex Regia magnam copiam auri argentiq; detulerat: quam vt auerteret, ac nauibus transportaret, quod sine suspicione facere non poterat, finxit dum res adhuc in incerto esset, vouisse se, si Regia simul cum Sardanapalo conflagrasset, cineres ex ea se Babyloniam delaturum, aggerémque propter Beli templum erecturum, quo regni deleti Assyriorum perpetuum monumentum ab omnibus per Euphratem nauigantibus conspiceretur. Arbaces qui putabat omnia simul cum Sardanapalo consumta, facile concesit Belesidi, vt naues præpararet vehendis cineribus, atq; vt omni ad eam rem immunitate vteretur. Sed cùm hoc prætextu innumeram auri argentíque summam eum transuexisse, Arbaci denuntiatum esset: iudices ei constituit, qui de hoc facto cognoscerent. Belesis nihil negare ausus est. quare à Iudicibus capite damnatus est. vtiq; enim Regiam prædam, ad Regem pertinere: neq; ipsum Belesidem quòd eam furtim subduxit, aliter iudicasse. Babylonia Præfectura abundantius ei satisfactum, quàm vt etiam per fraudem & machinationem alijs & tantis muneribus inhiaret, quibus vt neruis totum diu Imperium sustineri potuit. Regem præterea circumuenire & fallere sacerdoti præsertim ac religioso viro, vel hoc solum capitale esse. Atamen Rex magni vir animi,cu-

mi, cupiens Regni principia humanitate ac clementia firmiora reddere, non modo Belesidi pœnam remisit, sed & asportatum aurum argétúmve dono dedit: Præfecturam quam ei antea dederat, habere iussit, cùm diceret, maiora illius esse erga se beneficia, quàm malefacta. sed iustitia prius, tum misericordia vti voluit.

Aliena scripta sibi ascribere, peculatus, plagium, sacrilegium est.

II. Ex M. Vitruuio Pollione, lib. 7.

INTER Reges Alexandriæ & Pergami, hæc (vt Galenus ait) præclara contentio fuit præ ardore ac summo studio literarum, vter maiorem copiam veterum librorum in Bibliotheca compararet. Quamobrem in hac, Pergami ducenta millia narrat Plutarchus Chæroneus in M. Antonio, in altera, Gellius, millia septingenta fuisse voluminum. Sed vti numero vicere Ptolemæi Reges Attalicos: tum eo maxime, quòd cùm nulla alia re magis disciplinæ propagentur, quàm æmulatione & contentione: Musis atque Apollini ludos dedicarunt, quibus vt Athletarum, sic omnium scriptorum victoribus honores ac præmia darentur. His ita institutis, & cùm ludi adessent, Iudices literatos legi placuit, qui probarent ea quæ primò, quæ secundò, quæ deinceps meliora dicerentur. Lecti sunt alij, sed & septimus quidem Aristophanes, qui Præfectus Bibliothecæ, summo studio summáque diligentia singulos libros ex ordine quotidie perlegebat.

bat. Ergo iudices cùm sedissent, & primo Poëtarum ordine ad certationem inducto, dum scripta recitabantur, alij quidem id obseruabant, quibus carminibus applauderet maxime vniuersus Populus. Itaq; sententiam rogati separatim, omnes in eosdem conuenere. neque enim eum optimum Poëtam, Oratorem, esse non videri posse, qui omnibus placeat. Veruntamen Aristophanes cùm ab eo sententia rogaretur, eum primum pronunciari iussit, qui minime Populo placuisset. quo Rex & vniuersus Populus cùm vehementer indignaretur, dixit, Oportere iudicantes non furta, sed scripta comprobare. vnum eum autem esse Poëtam, cæteros aliena recitauisse. itaque memoria fretus, ex armarijs quibusdam innumera volumina protulit, quæ cum ijs conferendo quæ ab alijs recitata erant, coëgit eos furtum de se confiteri. Quare hac de caussa dicitur Ptolemæus, vt cum ijs furti ageretur, imperasse: & cognitione facta, damnatos eos esse summa cum infamia. Mihi vero placet non furtum, sed Peculatum appellare: quia quod totius posteritatis amantissimi illi præclari autores vsui publico suis monumentis consecrarunt, auferri, intercipi, in rem ac nomẽ alterius verti non possit absque publica iniuria, plagio & sacrilegio: quæ extra ordinem certe puniri debent. Porro aliena prædicare pro suis & alijs violandis, non proprijs cogitationibus & inuentis gloriam quærere, impium profecto & mali exempli est. Nam si omnes qui antea fuerunt Oratores, Poëtæ,

Histo-

Hiſtorici, Philoſophi, ſuam ſibi laudem ereptam, alijs conceſſum iri cogitaſſent, inteſtati deceſsiſſent, hoc eſt, eam ſummam eruditionem quam multis lucubrationibus adepti ſunt, inuidioſe poſteritati ſuppreſsiſſent, ne quid ſecundum eorum tabulas poſsideret.

Quæ laus, vt pecunia, ciuitati publicè debetur, eam in ſe vnum collatā, optimus ciuis admittere nō debet.

III. Ex Diodoro Siculo, bibliothecæ lib. 11.

POST rem apud Salaminem bello nauali ſtrenuiſsime geſtam, cùm iudicium fieret tota Græcia de ijs qui cæteris fortius ac præclarius operam nauaſſent: inuidia Lacedæmoniorũ factum eſt, qui ſuffragijs plurimum poterant, vt primæ victoriæ partes non Athenienſibus, ſed AEginetis decernerentur. At ſimul etiam dum metuerent, ne facti commotus indignatione Themiſtocles, conſilium aliquod in ſe ac reliquos Græcos machinaretur: congeminatis eum donis præ omnibus qui fortiter feciſſent, ſibi conciliandum eſſe exiſtimauerunt. Itaq; cùm ea dona Themiſtocles non recuſaſſet, eum Populus magiſtratu abdicauit. Nam iſtud pati ac ferre videlicet in ſe non publico ſed ſolo ſuo nomine tam multos honores atque præmia conijci, & ab alijs præſertim quàm à ſuis ciuibus, vt id maxime nihil infidelis animi habeat: eſſe tamen ambitioſi, & eius qui laudem ac gloriam vniuerſæ ciuitati non alia quaſi ratione præreptam videri velit, quàm vt in ſe vno ſit ea cumulatior.

Gene-

Generali abolitione, ne etiam pecuniæ publicæ persecutio fiat, non continetur.

IIII. Ex Plutarcho, in Catone Vticensi.

LVCIVS Sylla, in altera sua proscriptione, multis pecunias ex ærario concesserat, quòd ipsi suis manibus e proscriptis quamplurimos occidissent. Hi tandem a Catone Vticensi cùm Quæstor esset, in ius vocati sunt, dum pecuniam publicam ab ijs repeteret, quæ penes eos esset, proditione & parricidio acquisita. Dicebatur, Senatum rata omnia esse voluisse, quæ à Sylla Dictatore facta essent. igitur hæc præmia ab eis auferri non posse. Attamen contrà iudicatum est. Nam sufficere si dum à Sylla res gestæ obtinentur, crimina hæc tam horrenda impunitatem vnquam inuenire posśint: non vt etiam contra omnem iuris, æqui boníque rationem, præmio & honore affici debeant.

AD LEGEM IVLIAM DE AMBITV, TIT. XIX.

I. Ex Plinio Secundo, lib. 35. cap. 12.

QVINTVS Coponius vini amphoram ei dono dederat, cuius suffragij latio erat. Certe fictilia vasa tum in magno pretio habebantur. Sed ideo ambitus damnatum esse Coponium, antiquæ notæ atque seueritatis est.

Cum omnes tabellæ vna manu scriptæ reperiũtur, certum est argumentũ munus pecunia paratum esse.

II. Ex

II. Ex Plutarcho, in Catone Vticensi.

M. FAONIVS qui obseruator Catonis, vt Apollodorus Socratis, fuisse dicitur: cùm AEdilitatem peteret, passus est repulsam. At M. Cato qui Faonio fauebat, visus est sibi gratiã, sordes & ambitum depræhendisse. atque venalia fuisse ac corrupta suffragia, postquam animaduertit tabellas omnes vna manu scriptas ac notatas esse. ergo Tribunos appellauit. Nam quî fieri posſit, vt non ementita & corrupta sint ea suffragia, quæ in vna & eadem scriptura conueniunt? aut nisi pecunia comparata, certe falsa & supposita esse necesse est: vt de testimonijs dicitur, quæ eadem manu scripta esse cognoscimus: aut de testibus, qui vnum & præmeditatum sermonem adferũt. Itaque intercessere Tribuni: factúmque est vt denuo comitia haberentur, quibus recte nec vitio habitis, Faonius AEdilis factus est.

Imperium armis potius quàm pecunia comparandũ.

III. Ex Xiphilino, in Iuliano.

OCCISO Pertinace Imperatore, dum ignarus, alioqui multarum rerum peritisſimus, multa simul tuto corrigi non posse, omnia breui spacio emendare conaretur: Didius Iulianus extitit homo pecuniosisſimus, qui Imperium à militibus, licitatione, auctione, pecunia compararet. quod Senatus Populúsque Ro. adeo indigne tulit, vt Seuerum qui in armis esset, Imperatorem appellarint, & Iulianum capite damnauerint.

AD

AD LEGEM FABIAM DE PLAGIARIIS. TIT. XX.

Et huius criminis pœna, est aliquando capitis, non solùm pecuniaria.

I. Ex Dinarcho, contra Demosthenem.

NEMONEM molitorem Athenienses occidendum esse pronunciarunt, quòd Pellenęum puerum ingenuum sciens dolo malo in pistrino ac vinculis habuisset.

AD SENATVSCONSVLTVM TVRPILIANVM, ET DE ABOLITIonibus criminum, Tit. 21.

De calumnia accusatoris cognoscitur etiã post principale iudicatũ. Antiquissima esse iudicia domestica.

I. Ex Diodoro Siculo, lib. 4.

PHINEVS Rex Thraciæ & Cleopatra duos filios habuerunt. Mortua Cleopatra, Phineus Idæam nouercam filijs superinduxit. Hæc calumnijs falsisque accusationibus cùm se à priuignis violatam esse diceret, effecerat, vt hos pater verberibus cæsos in terram effodi viuos imperaret. Pœnam expectabant: & en Argonautæ duce Hercule, qui eò nauibus appulsi, paterna iniquitate accepta, filios supplicio liberari æquissimum esse arbitrabantur. At Phineus non patiebatur de iudicio suo quæri ac recognosci, rectè an perperam iudicasset. Nullum enim pa-

trem de filijs sponte supplicium sumere; nisi paternum in liberos amorē, magnitudo scelerum superaret. Igitur Phineo debellato & occiso, cum exemtis liberis, ijsque regno restituto, de nouerca vindictam sumendam esse omnibus Argonautis videretur: censuit Hercules, istius puniendæ arbitrium ad Scytham patrem Ideæ Scythiæ Regem deferendum esse: aut certe non nisi eo auctore animaduertendum, cuius sit in Ideam proprium atque naturale imperium: neque alia re magis hoc Phinei patris iudicium iniquum fuisse videri posit, quàm contrario alterius patris iudicio. Scytha filiam morte condemnauit. AEquissima enim est calumniantis pœna, talio.

Non quis facile præsumitur manum sibi attulisse.

II. Ex Plutarcho, in Dione.

NIMIA perpetuò gloria inuidiam parit. Syracusæ Dionysij tyrannide opprimebãtur: quas Dion cùm parum aberat quin seruitute liberasset, Sosis, concitato populo, stultos & vecordes Syracusanos esse dicere incipit, qui non intelligerent, hoc agi à Dione, vt pro temulento & crudeli tyranno ac domino, vigilãtem, sobrium atque sapientem experiri posint: non vt dominatus, sed domini permutatio fiat. His sane concionibus quia se pro Dionis inimico & acerbisimo aduersario haberi cognosceret: postero die nudus & sanguinolentus, vtì aliquos fugiens prodit sub oculos ciuium, identidem clamitans, vix se Dionis satellites elapsum. sed & in capite osten-

ostentabat cruda ac recentia vulnera. Itaq; summa inde excitata est erga Dionem populi Syracusani indignatio. Accusationi fidem faciebat hesterna Sosidis aduersus eum habita libertatis fiduciæq; plena oratio. à quo enim hæc potius iniuria, quàm ab inimico? Istud iam vere tyrannidem vsurpantis, non opprimentis, videri posse, & eius qui minus tyrannidem, quàm Dionysium odio prosequatur. Quare citatur Dion. Is cùm protinus Sosidem fratrem vnius esse e Dionysij militib9 indicasset, ideoq; verisimiliter ab eo summissum, qui nihil amplius vi & virtute posit, vt has turbas atque seditiones cieret: postulauit, plagas & vulnera per medios inspici. At hi affirmarunt, videri sibi affectata esse vulnera: non vno ictu & impetu allata: neq; alta sed superficiaria, veluti si vnguibus non gladio facta sint, & ab eo qui sæpius tentando atque recusando sanguinem sibi elicuisset, non qui nolens & ingratus vnum aut alterum ab alio vulnus accepisset. Sed nondum hæc satis innocentiam Dionis arguere videbantur, quia non tam certa sint ista indicia, Sosidem à Dione læsum non fuisse, quam vix credibile quenquam concitandi odij in aduersarium, in se prius sæuire velle. Verùm dum ista querebantur, postquam ex ipsius Sosidis amicis atque familiaribus aliqui manu nouaculam ferentes aduenere: & id narrauerunt, dum per vrbem ambularent, occurrisse se Sosidi ea vociferanti quæ supra dicta sunt, ideóque se conuersos retro abisse, num

aliquos viderent Dionis satellites, neque vllos offendisse se: imo vero vnde primùm Sosidem ad se fugientem aduentare conspexerant, nouaculam hanc humi duntaxat eiectam reperisse: & posteaquam Sosidis serui interrogati responderunt, eum summo mane cum nouacula solum domo exijsse: tum vero calumniam manifestam esse iudicarunt. Eum itaque Populus suis omnibus suffragijs necari voluit, iussit.

Nulla vehementior calumnia, quàm quæ regnandi cupiditate suscipitur.

III. Ex Tito Liuio, decade 4. lib. 10.

PHILIPPVS Rex Macedonum duos filios habuit, Perseum & Demetrium. Perseus cùm in dies magis ac magis Demetrij fauorem atque dignitatem apud Macedonum multitudinem, gratiam atque potentiam erga Romanos amplificari animaduerteret: sibi spem nullam prætterquam in scelere superesse opinione ductus, Demetrium, quem alioqui Philippus non ignorabat, vnde antea Romæ pro obside fuisset, cognita Romanorum virtute, à bello contra Romanos suscipiendo abhorrere, inprimis apud patrem de proditione latenter insimulat, accusat. Eum multa verba, cùm Romæ moraretur, de Regno cum Tito Quintio habuisse. Sed post ludicrum certamen, in quo pars ea quæ à Demetrio steterat, longè superior fuit, ideóque ad cœnam vocatus Perseus non venit, Demetrius à cœna, in qua de certamine multa iocose dicta erant in aduer-

aduerſarios, ad fratrem eundum eſſe pronunciaſſet, illius iræ, ſi quam ex prælio ſuſcepiſſet, hilaritate & comitate leniendæ cauſſa: ignarus Demetrius aliquos de ſuis ferrum abſcõdidiſſe, vt ſeſe defenderent, ſi qua vis eis afferretur ob id quòd miſſum à fratre conuiuij ſermonumq́ſpeculatorem male multauiſſent: noctu ad Perſeum veniſſet: tum palam falſo Demetrium accuſare incipit: Noctu eum veniſſe armatum eo conſilio & animo, vt ſe fratrem interficeret, neque aliud quàm clauſis foribus ſe parietum præſidium habuiſſe. Philippus Demetrium vocari iubet. Duobus filijs duntaxat in conſilio adhibitis, ſedet miſerrimus pater iudex inter liberos, accuſatorem parricidij, & reum: ſeu conficti ſeu confecti criminis labem apud ſuos inuenturus. Re cognita, ita pronunciauit, vt facile appareret, vis nocturnæ crimen reiectum ac remotum; ſuſpectam vero eſſe Demetrij nimiam gratiam cum Senatu Populoq́ Romano: nempe, Non verbis, nec vnius horæ diſceptatione cauſam eorum ſe dijudicaturum, ſed in vtriuſq́ vitam inquirendo: mores, dicta factáque in magnis paruíſque rebus obſeruando. Itaque ſub ſpecie legationis Romam mittit Philoclem & Apellem ſpectatum inquiſitumq́ de ijs ſermonibus, quos Perſeus fratrem cum Tito Quintio habuiſſe inſimulauerat. Sed, quod Philippum latebat, erant hi legati Perſeæ fraudis miniſtri atque participes. Itaque Demetrius cùm interim nullam ſpem haberet, patrem ſibi placari poſſe, cuius obſideri aures à

fratre cognoſceret, fugam ad Romanos meditari cœpit. quod cùm Philippo nuntiatum eſſet, Herodotum Demetrij perquam familiarem apprehendi, Demetrium vero obſeruari iuſsit, dum Legati redijſſent. Hi cùm præmeditata in Macedonia e Roma attuliſſent: ſed & falſas literas T. Quintij Philippo reddidiſſent, in quibus deprecabatur ſi quid adoleſcens, regni cupiditate prolapſus, ſecum negotij habuiſſet: hæ literæ fidem perfidæ accuſationi attulerunt. Quamobrem Herodotus diu excruciatus, moritur. Aduerſus Demetrium nihil palam pronunciari, ſed dolo interfici placuit, ne publica pœna conſilia Philippi aduerſus Romanos aperiret. Itaque à Dida quem ei comitem Perſeus à patre dari antea curauerat, immiſsis percuſſoribus ſtrangulatus eſt. Tandem cùm legatorum fides cœpiſſet eſſe ſuſpecta, & vulgo in curia fremeretur falſas ab ijs literas allatas eſſe: Xychus Legatorũ miniſter rem omnem indicat. Apelles fuga ſibi conſulit. Philocles interficitur. Perſeum, quia tum nimiam potentiam adeptus erat, Philippus exhæredat, Antigonum inſtituit.

Non parum differt calumniator a ſeditioſo.

IIII. Ex Appiano, lib. 2. bellorum ciuilium.

AD Placentiam duce Iulio Cæſare, cùm ſeditio mota eſſet in exercitu, iuſsit ad ſe duodecim ex auctoribus adduci, vt more militari in eos animaduerteret. inter eos cùm aliquis per calumniam nominatus, de innocentia ſua docuiſſet:

falſum

falſum delatorem Iulius Cæſar numero auctorum imponi iuſsit: quòd is vere ſeditioſus eſt, qui iniquo iure aduerſus alium vti velit.

V. Ex Eutropio, lib. 10. Nicephoro, lib. 7. Pomponio Læto.

CONSTANTINVS Magnus Fauſtam vxorem habuit. Hæc Criſpi priuigni amore capta, cùm ad libidinem ſæpius eum prouocaſſet, renuẽtem detulit ad maritum, illum ſibi vim inferre voluiſſe. Conſtantinus fidem adhibuit, ideoq́ Criſpum necari iuſsit. Verùm poſt aliquot annos comperta cauſa, & in vxorẽ capite animaduertit.

Ignis, calumniæ pœna.

VI. Ex Ammiano Marcellino. lib. 15. & 22.

PAVLVS quidam nomine, in complicandis calumniarum nexibus inſignis adeo atque (ſi ita loqui licet) indiſſolubilis fuit, vt ei ſub Conſtantio Auguſto, & Iuliano Cæſare, Catenæ cognomentum ſit impoſitum. At is poſtremò Iuliano Auguſto, ſententia Secundi Salutij Præfecti Prætorio & aſſeſſorum Marmentini, Arbitionis, Agillonis & Neuittæ, viuus exuſtus eſt.

Incidit in hoc Senatuſconſultum & qui ab accuſatione deſiſtit cauſa non probata.

VII. Ex Plinio Nepote, lib. 6. epiſtolarum.

IVLII Tyronis codicillos ex parte veros eſſe conſtabat, ex parte falſi dicebantur. Subſtituebantur crimini Sempronius Senecio Eques Ro-

manus, & Eurythmus Traiani libertus atque procurator. Hæredes communiter ad Cæsarem scripta epistola, petierant, vt cognitionem susciperet. itaque diem dixerat. Sed cùm aliquis ex hæredibus, quasi Eurythmi reuerentia motus, accusationem remitteret: Cæsar inprimis hoc pulcherrime dixit, neque se, Neronem; neque Eurythmum, Polycletum esse, ergo accusatoribus petentibus, dilationem, nec aliud amplius indulgere voluit. Sed tempore etiam exacto, ex pluribus hæredibus cùm duo omnino adfuissent: ideóque postularent, vt vel omnes hæredes quemadmodum simul detulissent, ita agere cogerentur, vel sibi quoque permitteretur ab accusatione desistere: Imperator ex consilij sententia iussit omnibus hæredibus vt agerent denuntiari, aut non agendi caussas singuli prius approbarent; alioqui se de calumnia pronunciaturum.

De Abolitionibus. Abolitione generali publice facta, aliqua nihilominus crimina repeti posse.

VIII. Ex Suetonio, in Cæsare, cap. 11. & Dione, lib. 37.

MVLTA crimina sæpius concedi solent maioris tumultus seditionisque vitandæ caussa (quod fere post bella ciuilia vsuuenit) quæ pacatis rebus interdum pro grauitate & inhumanitate repetita, aut puniuntur aut remittũtur. Sylla, quã-quam lege à se lata de Sicarijs & veneficis, eos excepisset, qui Marianos interfecerant, vel ob relata

relata ciuium Romanorum capita ex lege proſcriptionis pecuniam ex ærario acceperant: & quamuis acta omnia Syllæ Senatus approbaſſet: Figulo tamen & L. Cæſare Conſulibus, Iulius Cæſar in exercenda de ſicarijs quæſtione, aliquos etiam, vt qui Lucretium occiderant, ſicariorum numero habuit: alij contrà, vt tum Catilina, abſoluti ſunt. Quod ſi obijcitur, fidem publicam, ideóque impunitatem his quibus ſemel ſit promiſſa, cuſtodiendam eſſe: reſpondendum eſt, ipſum quoq; Ius, Leges ac Rempublicam ſuas habere formulas, quibus quaſi à Prætore, QVOD VI METVSVE CAVSSA reſtitui poſsit.

Per abſentiam accuſatoris, rei crimen aboletur.

IX. Ex Cicerone, Verrina 4.

STHENIVS Thermitanus, per calumniam coram Caio Verre Prætore accuſatus, quod literas publicas corrupiſſet, Thermis Romā profugerat: atque interim abſens rei capitalis ab alio poſtulatus, Verres nomen eius receperat, edicto propoſito vt Syracuſis ad diē certum adeſſet. Sua die citatus, non reſpondit. Ipſe etiam accuſator M. Pacilius non affuit. & tamen qui abſens reus factus erat, abſente accuſatore condemnatur. Hac de cauſa paulo poſt Romæ ex edicto Tribunorum pleb. quo non licebat quenquam in vrbe eſſe, qui rei capitalis damnatus eſſet, ad Tribunos ductus & accuſatus eſt, quòd Roma non abijſſet. Cicero cauſam Sthenij defendit: Quod judicium de Sthenio abſente factum erat, ratum

non videri: quia nomen abſentis deferri ac recipi non ſoleat. rem enim alioqui iniquiſsimam & acerbiſsimam eſſe. Denique ſi præſens Sthenius reus factus eſſet, ſi manifeſto in maleficio teneretur, tamen cùm accuſator non adfuiſſet, Sthenium damnari non oportuiſſe, ſed e reis eximi. non ergo ducendam hanc damnationem eſſe, quæ contra leges & inſtituta maiorum interuenerit. Ex aduerſo dicebatur, ſufficere ſi quis rei capitalis condemnatus erit: æquè an iniquè, non intereſſe, propter rerum iudicatarum auctoritatem. Præterea nomen Sthenij abſentis, ideo receptum, quòd pro præſente haberetur, qui ne de corruptis tabulis cauſſam diceret: Thermis Romam aufugiſſet. non eſſe hanc legitimam abſentiam. Sed quia conſtabat damnatum eſſe reum cuius crimen deficiente accuſatore aboleri debuit: Tribuni plebis omnium ſententia pronunciarunt, non videri Sthenium edicto impediri, quo minus ei liceret Romæ eſſe.

DE QVAESTIONIBVS. TIT. XXII.

Poſt quæſtionem reo dimiſſo, ſi nouæ probationes afferantur, cauſſam retractari poſſe.

I. Ex Plinio Nepote, lib. 7. Epiſtolarum.

MATER amiſſo filio, libertos eius eoſdémque cohæredes ſuos falſi & veneficij accuſauerat apud Traianum Imperatorem, iudicemque impe-

impetrauerat Iulium Seruianum. Cùm finem cognitioni quæstio imposuisset, quæ secundum reos iudicium dederat: adijt nihilominus mater iterum Principem, affirmans se nouas probationes inuenisse. Imperator motus quæstionum fragilitate & fallacia, præcipit Seruiano, vt vacaret finitam causam retractanti, si quid noui attulisset.

Non esse à tormentis generaliter incipiendum: imò tum ad ea duntaxat veniri oportere, vbi sola confeßio seruorum deesse videtur: quod non accidit præcedente vnius duntaxat testimonio.

II. Ex Paulo, lib. 3. decretorum.

MARITVS quidam hæres vxoris suæ, petebat à Suro pecuniam, quam apud eum deposuisse defunctam se tum marito absente affirmabat: & in eam rem vnum testem liberti sui filium produxerat. Apud Procuratorem desiderauerat & quæstionem haberi de ancilla defunctæ. Surus negabat se accepisse, & testimonium non oportere vnius hominis admitti: nec solere à quæstionibus incipi, etsi aliena esset ancilla. Procurator quæstionem de ancilla habuerat. Cùm ex appellatione cognouisset Imperator: pronunciauit, quæstione illicite habita, vnius testimonio non esse credendum: ideóque recte prouocatum.

DE POENIS, TIT. XIIII.

Inter viros vt propter summam peritiam artis nonnunquam

nunquam reo vita condonatur: sic inter mulieres, propter eximiam pulchritudinem.

I. Ex Plutarcho, in Hyperide.

DEPRECATIONE apud eos solos Iudices vtimur, qui nulla certa pronunciandi formula tenentur, in Senatu, apud Populum, coram Principe, & vbicunque iuris clementia est. In eo genere multa plurimum valent, quæ facilè ab Oratoribus peti possunt. Sed mirum est in accusatione Phrynes amicæ Hyperidis, cùm Athenis de impietate caussam diceret, hanc ipsam defendente Hyperide, id ad liberationem profuisse: quòd cùm Hyperidi proxima damnationi videretur, ea in medium producta, discissa veste mulieris pectora Iudicibus ostenderit. Admirati enim Iudices eximiam eius pulchritudinẽ, quam Plato naturæ priuilegium appellat, Socrates tyrannidem: dimittendam esse censuerunt.

In pœnis, quemadmodum in ciuilibus causis, non quid in vnum, sed quid in commune sit vtile, considerandum.

II. Ex Appiano, in Libyco.

VNQVAMNE Asdrubal & Carthalon Duces Carthaginensium, merito atque ex iusta caussa damnati à suis videbuntur, non quòd reuera temerè, nec parùm lacessiti bellum suasissent, inchoassent aduersus regem Masinissam socium Romanorum; sed ne hinc belli Punici renouandi occasionem vllam sumerent Romani, vel vt sumtam deponerent, cùm istud non publico sed

priuato consilio cœptum esse, Romani Imperatorum pœna & supplicio cognoscerent? An nihilominus noxij erant, licet iusto dolore ac rite bellum susceptum sit: quia vt sapientissimo Duci non quoties lacessitur, aut damnum incursionibus patitur, pugnandum est: ita sit prudentissimi ciuis & magistratus, non semper vi agendum esse, consulere: sed leuiora ferri, ne in maiora & periculosiora incidamus? ergo Masinissæ iniurias potius dissimulandas, quàm ijs vindicandis alium & potentiorem hostem sibi asciscere? Sed libet hæc vere publica iudicia ea miseranda necessitate excusare, qua periculo vnius ciuis, aliorum omnium saluti consulimus: qua, ruina integrarum ædium, ab alijs arcemus incendium: qua deniq; ius priuatorum infringimus, res singulorum publicè occupamus, publicam metientes vtilitatem, & quod magis in vniuersum atq; in commune bonum est, quàm quod in singulos iustum & optimum.

Quod ab accusatore, aut minus verisimile allegatur, totam plerumque accusationem destruit.

III. Ex Valerio Maximo, lib. 4. cap. 1.

BALASIVS Salapiam patriam suam, cùm præsidio Punico esset occupata, Romanis cupiens restituere: Dasium acerrimo studio secum in administratione Reipublicæ dissidentem, & alioqui toto animo Annibalis amicitiæ deditū, quia tamen eo spreto propositum consilium peragere non poterat, ad idem aggrediendum tentare

& allicere

& allicere ausus est. Hoc nomine à Dasio delatus Annibali, vtrique adesse iussi sunt, vt alter crimen probaret, alter defenderet. Cum res pro tribunali ageretur, & huic quæstioni omnium oculi intenti essent: interim dum aliud forte certioris curæ negotium tractatur, Balasius probe dissimulato vultu, atque ad alium sermonem accomodato, & summissa voce, dicitur cœpisse Dasium iterum monere, vt Romanorum potius quàm Carthaginensium partes fouere atque amplecti vellet. Id cùm imprudenter accusator clamasset, se in cõspectu Annibalis aduersus eum sollicitari: tam parùm credibile visum est, atque id vnius & præsertim inimici testimonio duntaxat confirmari & argui, vt desierit fidem facere accusator.

Imprudens de se facta confeßio, magis persuadet.

IIII. Ex M. Cicerone, in Topicis.

STALERIVS in carcere cùm detineretur, neque satis iustæ probationes aduersus eum proponerentur: ea locutus est bonis viris subauscultantibus pariete interposito, quibus patefactis in iudiciúmque prolatis, rei capitalis iure damnatus est: quia imprudens & incauta illa de se confessio, tum cùm nulla suspicio est, tædio vitæ factam esse ab eo qui perire velit, pro re iudicata haberi debet.

Quàm valeant etiam muta testimonia.

V. Ex C. Plinio, lib. 8. cap. 40.

REFERTVR, in Epiro percussorem domini à cane

cane in conuentu agnitum esse, atque laniatu & latratu aſsiduo coactum fateri ſcelus: ideóque & damnatum fuiſſe ego interpretor. Quid enim? fideliſsimi, humaniſsimi animalis leue indicium videri debet? atqui falli aut decipi minus eſt eo veriſimile, quo nullum animal ſagacius, ſolertius eſt: nullum quod præ iſto memoria polleat. Corrumpi atque ſubornari nemo dixerit: quia vel ipſo Apelle arbitro, cum ad mutas quadrupedes prouocauit ab hominibus, in bruta animãtia non veniunt hæ ſuſpiciones. Cur igitur manſuetiſsimum animal huic potius quàm alteri, præſertim ab eo non offenſum, tam miſere ac deperditè oblatraret? Vbi de occiſo conſtat, atq; præterea certum eſt, canem hunc indicem in defuncti dominio fuiſſe, neq; dominum vnquã deſerere ſolitum: etſi rei confeſsio non acceſsiſſet, hic laniatus & latratus non pro certo & naturali argumento eſt? qui venatori latratu ferã indicat, cur non Iudici homicidam? Certe quò minus ſperatæ ſunt probationes, eo magis perſuadent.

Quatenus Iudex teſtibus, vni, aut pluribus, imperfectæ aut perfectæ ætatis fidem habere debeat, in iudicio ſuo, fide, religione, coniectura & ſapientia poſitum eſſe.

VI. Ex eodem, lib. 6. cap. 1. & ex Plutarcho, in Marcello.

Ex paruulorum interrogatione, nedum minorum viginti annis, quos vel citari in teſtimoniũ prohibemus: certa nihilominus plerumq; probatio

batio inducta est, quamuis nullis extrinsecus argumentis accusatio impleretur. atque (quod maius est) id ætatis vno teste reum peragi aliquando accidit. Nam omnino in toto genere probationum, ex eorum qui iudicant, animi sententia, fide, religione pendet, quid aut sibi persuadeant, aut probatum esse putent: quia quæ argumenta ad quem modum probandæ cuique rei sufficiant, nulla certa ratione diffiniri possit: sed
» magis arbitrio relinquatur. In rebus iudicandis
» (inquit Cicero) non minimam artem ad vnam-
» quamque rem existimandam, momentóque suo
» ponderandam, sapientia iudicis tenet. quo fit vt iudicum iudiciorumq; sit maxima semper auctoritas, quemadmodum in prooemio diximus. Id hoc adeo exemplo cognosci potest. M. Claudius Marcellus AEdilis Curulis, & C. Scantinio Capitolino Tribuno pl. diem dixit ad populum, quòd filium vix puberem de stupro appellasset. Is prius asseuerauit se cogi non posse vt adesset, quia sacrosanctam potestatem haberet: ob ídque Tribunitium auxilium appellauit, Sed totum collegium Tribunorum negauit se intercedere, quo minus pudicitiæ quæstio perageretur. Rem Populus ad Senatum reiecit. Itaque cùm nihil amplius haberet quo reus iudicium moraretur, cuius rei nullum testem esse certo sciret præter ipsum adolescentem, audacter de crimine pernegauit. At postquam iuuenem interrogari placuit, visúsque est in rostra productus, ob præsentiam Capitolini defixo vultu suffusus lacrymis,

non

non contumacia, ſed pudore tacuiſſe. valuit in ſuam vltionem verecundum ſilentium: ideóque citatus Capitolinus, vno hoc teſte, qui tentatus erat, pecunia multatus eſt.

Qui contumaciter optimos quoſque iudices reijcit, magnum adfert damnationi ſuæ præiudicium.

V. Ex Plutarcho, in Catone.

NVLLVM ſortiri aut ſubſortiri velle iudicem in reo, ſummæ diffidentiæ: in accuſatore, calumniæ argumentum omnino certe graue eſt. Atqui id vel multis ad damnationem plurimum adiumenti attulit, quòd Catonem eum qui poſtea Vticenſis appellatus eſt, iudicem in cauſſa ſua reieciſſent. Etenim eos innocentes videri non potuiſſe, imò ſatis de ſe confeſſos, qui adeo recti, æqui ac religioſi iudicis, viríque optimi ac integerrimi iudicium recuſaſſent.

Probatio nonnunquam alijs rebus, criminibus, aut coniecturis extrinſecus aſſumtis, pro plena atque perfecta habetur.

VI. Ex Valerio Maximo, lib. 8. cap. 6. & Dione Nicæo, lib. 45.

QVOD accidit, P. Seruilio Iſaurico teſte, hunc protinus atque ferè indicta cauſſa condemnari, poſtquam reo cauſſam in iudicio dicente, præteriens Seruilius, Iudices admonuit, iſtum, quem alioqui non noſceret, ſe pedibus iter faciente, honoris ſui gratia equo deſcendere noluiſſe: tum & alias euenire poteſt, cùm de innocentia rei

valde quidem dubitatur: sed non eousque vt certa condemnatio sequi posit. Nam si tum extra accusationem, aliquod improbi facti exemplum afferatur Iudicibus, peruersæ & corruptæ naturæ indicium, maximéve istius generis, cui crimē quod accusatur, gentile ac familiare dici posit: probatio pro plenissima habetur.

Accidit vt quis ex vna caussa accusatus, ob aliam iudicetur.

VII. Ex Dione Nicæo, lib. 38. & AEmilio Probo, in Miltiade.

IIS quæ nunc dicebamus de condemnandi extra negotium aliquando repetita ratione, conueniens est quod de C. Antonio quondam M. T. Ciceronis collega in Consulatu, à Dione recitatur. Nam in eo id accidit, vt de ijs quorum nomine arcessitus esset, minime conuictus, propter ea damnaretur, de quibus nunquā postulatus erat. Quia Catilinariæ coniurationis accusatus, etsi de crimine non constitisset, damnatus est, quòd Prætor in Macedonia prouinciam vexauerat: agros sociorum ab hostibus spoliatos, reliquerat: Dardanos contra se venientes non sustinuisset: ab acie tunc & dum in Mysia præerat, summa cum Romani nominis ignominia profugisset. Ita & in Græcia Miltiades damnatus est, nō quòd reuera reus proditionis esset: sed quia adeo potens erat, vt viuere priuatus non posset.

Solum Principem præteritorum meritorum caussa, indulgentia vti posse.

VIII.

VIII. Ex Seneca, lib. 5. de beneficiis.

CAVSSAM dicebat apud Diuum Iulium Cæsarem ex veteranis quidam paulo violentior aduersus vicinos suos: & caussa premebatur. Tum, Meministi (inquit) Imperator, in Hispania talum te torsisse circa Sucronem? Cum Cæsar meminisse se dixisset: Meministi sub quadam arbore minimum vmbræ spargente, cum velles residere feruentissimo sole, & esset asperrimus locus in quo ex rupibus acutis vnica illa arbor eruperat, quendam ex commilitonibus penulam suam substrauisse? cum dixisset Cæsar, Quidni meminerim? & quidem siti confectus, qui impeditus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam, nisi ille homo fortis ac strenuus aquam mihi in galea sua attulisset. Tum ille, Potes ergo Imperator agnoscere illum hominem, aut illam galeam? Cæsar ait, se non posse galeam agnoscere, hominem certe posse: & adiecit, iratus quòd se à cognitione media ad veterem fabulam abduceret, Tu vtique non ille es. At reus, merito (inquit) Cæsar me non agnoscis. Nam cùm hoc factum est, integer eram: postea ad Mundam in acie oculus mihi effossus est, & de capite eiecta & eruta ossa. Nec galeam illam si videres agnosceres. machæra enim Isponia diuisa est. Itaque vetuit Cæsar, illi exhiberi negocium, & agellos in quibus vicinalis via caussa rixæ ac litium fuerat, militi suo donauit.

Cùm quid grauius à turba delinquitur, duorum aut

trium pœna esse debet, qui obuij rapiuntur.

IX. Ex Ammiano Marcellino, lib. 15.

LEONTIVS Præfectus vrbi, Philoronium aurigam iusta aliqua de caussa rapi atque duci præceperat. Verùm plebs secuta, veluti si reum nocentem vi eximere conaretur, Præfectum lacessebat. Is maiestatis auctoritatísque suæ conseruandæ caussa missis apparitoribus, obuios quosque, & inter alios Petrum Valuomerem olim etiam in exercitu seditiosum militem, corripi iubet, ac continuo suspendi. alios certe in insulam relegat. ita diffusum vulgus euanuit.

Carnifex sub pœna capitis aliter supplicium exigere non debet, quam à iudicibus definitum est.

X. Ex eodem, lib. 28.

INIVSTI SVPPLICII accusatio fuit, vt ex Quintiliani declamatione 305. manifestum est. quo loco ita definit, Iniustum supplicium esse, quod non sit exactum secundum legem. Itaque qui occidere iussus est, si diu gladium supra ceruices tenuerit, nocentem sibiipsi manus afferre coëgerit, os damnato praecluserit ne saltem gemere posset, iniustum supplicium est. Ideóque scripsit Vlpianus lib. 9. de officio Proconsulis, nec Præsides habere ius liberam mortis facultatem concedendi: & si damnetur aliquis vt gladio in eum animaduertatur, animaduerti in eum oportere gladio, non securi vel telo, vel fusti, vel laqueo, aut veneno, aut quo alio modo. Nihil

enim,

enim, præsertim à priuato, in re tam seria ac miserabili addi aut adimi potest, quod non eo crudelius aut grauius habeatur: quia detrahere, sibi assumere est vim legis aut magistratus: addere, vltra id quod iam dictum est, alienæ etiam miseriæ & calamitatis nimis ferocem insultationem habet. Hinc adeo natum est hoc publicum iudicium. Claritas & Fluuiana adulteriorum stuprorumq; criminibus obnoxiæ, iudicante Maximino sub Valentiniano damnatæ sunt. Harum altera cùm duceretur, abripuit ei carnifex indumenta ac vestimenta omnia, vt ne quidem ei velamen vllum pudendarum partium relinqueretur, atque ita per medium populum nudam ad supplicium traxit. Id carnifex sua auctoritate, immaniter, insolenter, ac contra pudorem publicum fecisse depræhensus, ipse, de adultera exacto supplicio, viuus exustus est.

DE BONIS EORVM QVI ANTE SENTENTIAM, VEL MORTEM sibi consciuerunt, vel accusatorem corruperunt. Tit. 39.

Absterreri homines à malefactis, ea potius pœna qua se mortuos affici putant, quam ea qua viui afficiuntur.

I. Ex Aulo Gellio, lib. 15. cap. 10.

VIRGINES Milesiæ (qui aliquando morbi in animos hominum incidũt) quot tum ferè in ea ciuitate essent, repente sine vlla eui-

denti caussa, voluntatem ceperât obeundæ mortis, plurimæq́; iam suspendio vitam amiserant. In mortuas non videbat Milesiorum Senatus, quo iure animaduerteret: an bonis, an sepultura priuaret. non enim delicti conscientia, sed animi dolore & ægritudine manus sibi attulisse. Contrà, id frequentius accidere quàm e re & commodo Reip. diutius ferri atque dissimulari posset. igitur quod arte mederi non valeret, in posterum metu ac lege prohibendum. Quare Milesij decreuerunt, vt quæ virgines corporibus suspensis mortuæ depræhenderentur, hæ post hanc legem, cum eodem laqueo quo præuinctæ & alligatæ essent, nudæ tota via publica ad sepulturam efferrentur. Post quod decretum virgines voluntariam mortem non concupisse dicitur, pudore solo deterritas tam inhonesti funeris. Nam ne quidem omni funere Senatus eas priuare voluit atq; insepultas abijci, quæ morbo, non turpis alicuius flagitij conscientia sibi mortem attulissent: sed cogitatione funeris ignominiosi (cuius viuis nobis maxima cura est) vitam retinuit amittere volentibus. Quid enim? nam & à Diodoro narratur lib. 1. nihil tam in AEgypto Reges ad vitam iustam & honestam adduxisse, quam si secus facerent, metum atque formidinem denegatæ sepulturæ.

II. Ex C. Plinio Secundo, lib. 36. cap. 15.

DE cloacis, quàm opus esset in vrbe Roma omnium maximum & pene incredibile non est huius loci. Certe cùm eas Rex Tarquinius Priscus

Plebis manibus & opera faceret, essetque labor incertum an longior an periculosior, passim concita nece Quiritibus hoc tædium fugientibus: idem remedium inuenit Tarquinius, vt omnium ita defunctorum corpora crucibus figeret spectanda vnicuiq; simul & feris volucribúsque laceranda. Itaq; pudor iste proprius Romani nominis, quo sæpe res in bello perditę seruatæ sunt, viuos etiam ne sibi mortuis hæc ignominia contingeret, à scelere & iniuria propria cohibuit.

DE INTERDICTIS, ET RELEGATIS, ET DEPORTATIS. Tit. XL.

Legibus Atheniensium, exulem, interdictum, ope, consilio iuuare capitale fuit: neque vxori liberísve patrem comitari permittebatur.

I. Ex Plutarcho, in Themistocle.

THEMISTOCLE ab Atheniensibus in exilium misso vsq; ad quinquennium lege Ostracismi, interímque absens cùm proditionis accusatus esset: ad Admetum Molossorum Regem, postea vero ad Xerxem Regem Persarum aufugerat. Itaque Epicrates Acharniensis ob veterem amicitiam veritus ne quid in vrbe vxor liberíque Themistoclis mali paterentur, curauerat vt clam subducti conferrent sese ad Themistoclem. Hoc nomine coram Populo à Cimone maiestatis accusatus est. nam quæ ciui-

tas habuit siue proditionis indicia, siue amicitię pignora, ne quid exul aduersus Rempublicam suscipere audeat: ea non nisi cum participatione sceleris Epicratem Patriæ ademisse. Denique si Themistocles pro hoste iam habeatur, hoc quid aliud esse, quàm hostem ope, consilio, viribus adiuuare? si pro exule ac interdicto duntaxat, prohiberi legibus, de eo quem Respublica damnauerit, esse sollicitum. Ergo in eum capite animaduersum est.

Qui relegatus adhuc in Prouincia morari deprehenditur, duplicatò puniendus est. Si reis, denuo intra certum tempus agere permittatur, tempore elapso non audientur.

II. Ex Plinio Nepote, lib. 10. epistolarum.

QVIDAM à Iulio Basso Proconsule relegatus in perpetuum, nihilominus absque restitutione in Prouincia morári cùm depræhensus esset, ad Caium Plinium Proconsulem adductus est, vt ex eius contumacia, quæ cumulat pœnam, duplicatò in eum animaduerteretur. Atqui pro eo constabat, acta Bassi omnia rescissa esse, datumq; à Senatu ius omnibus de quibus ille constituisset, ex integro agendi. Sed quia biennium præscriptum erat, intra quod damnatis à Iulio Basso denuo duntaxat agere permitteretur, cui conditioni antea relegatus non paruisset: atque interrogatus in iudicio, negasset adijsse se Proconsulem, nec eum de innocentia sua docuisse: consultus Imperator pronuntiauit, reum videri

de se

de ſeipſo iudicaſſe, haud iniquam fuiſſe relegationem, de qua tanto interuallo ac legitimo tempore querelam non detuliſſet. quare cum morari in prouincia perſeuerauerit, placere hunc pœnæ ſuæ non reſtitui, quam eluſit contumacia: ſed vinctum mitti ad Præfectos Prætorio, qui diſpiciant vtrum damnari in metallum, an ſummo ſupplicio, ſecundum gradus qui in pœnis obſeruantur, affici debeat.

Nullo tempore quis reſtitutus eſſe intelligitur, niſi id non teſtibus, ſed ſcripto demonſtret. cum ijs tamen qui longo tempore, hoc eſt, per decennium, in Prouincia quaſi reſtituti morati ſunt, mitius agitur.

III. Ibidem.

CVM plerique eſſent in Nicea & Nicomedia qui antea damnati in opus aut in ludum, ſimiliáque hæc pœnarum genera, ſine certo & idoneo auctore reſtituti, publicorum ſeruorum munere & officio fungerentur: ad Plinium Proconſulem delati ſunt. Decreta proferebantur, quibus damnati eſſent: quibus vero liberati, nulla inſtrumenta, nulla ſcripto documenta afferebantur. damnatos igitur nec reſtitutos, in publicis officijs retinere, inhoneſtum atque inciuile eſſe. Contrà, erant qui teſtabantur reos iuſſu Proconſulum Legatorúmve dimiſſos. alioqui enim minime veriſimile eſſe, auſos id eos ſine reſtitutione. quare & factos publicos ſeruos, & publicorum ſeruorũ annua iam diuturno tempore accepiſſe, nunc eos ſenes pœnæ ſuæ redde-

re, nimis durum, nimis ſeuerum eſſe. Plinius tamen cùm teſtibus de hac re non crederet, quæ ſi vera eſſet, publicis actis & monumentis contineri debuit: ex Diui Traiani reſcripto pronunciauit: qui intra proximos decem annos damnati, nullo idoneo auctore liberati eſſent, hos pœnæ ſuæ reddi. qui ante annos decem, in ea miniſteria diſtribui, quæ non longè à pœna ſunt, veluti ad balneum, ad purgationes cloacarum, munitiones vicorum & viarum.

DE SENTENTIAM PASSIS, ET RESTITVTIS, TIT. XLI.

Damnatum extremo ſupplicio, nec cibo, nec potu iuuare licet, pietati tamen parcitur.

I. Ex Caio Plinio, lib. 7. naturalis hiſtoriæ, cap. 36.

QVI ita ad mortem condemnati ſunt, vt cum ſua pœna, hoc amplius, inedia moriantur: potu, cibo, vlláve alia re, vt quibus tecto, igni & aqua interdictum eſt, iuuari prohibentur. Neque enim humanitas aut miſericordia cenſenda eſt, quæ iuri, exemplo, iuſtitiæ & legibus obſtat. Itaque C. Quintio, M. Acilio Conſulibus, Romæ cùm mulier quædam ſupplicij cauſſa carcere includeretur, filia eius puerpera humilis & ignobilis aditum impetrauerat, modò ne quid cibi attuliſſet. itaque à ianitore diligẽter excuſſa, nihilominus quòd damnata diutius viueret, Magiſtratus admirari cœpit:

pit: & arguebatur Commentariensis culpa atque negligentia: donec filia tandem ipsa deprǽhensa est matrem suis vberibus alere. Hanc custos ad Quæstorem adducit, factum accusat. Verùm tanto miraculo fuit hæc diuina pietas, qua puerpera facinus suum excusabat, vt Pietati matris salus condonata, ambæ perpetuis alimentis donatæ sint: locus ipse Deæ Pietati consecratus.

Restitutus esse intelligitur is, ad quem sæpe rescriptum est à Principibus: quia famoso non solent literas dare.

II. Ex C. Plinio Nepote, lib. 10. epistolarum.

CAIVS Plinius Nepos Proconsul in Bithynia, cum citaret Iudices, conuentum inchoaturus: Flauius Archippus vocationem petere cœpit vt Philosophus. Sed fuerunt qui dicerent, non modo liberandum eum iudicandi necessitate, verum omnino etiam tollendum de iudicum numero, pœnæque suæ reddendum, quã fractis vinculis euasisset. Nam recitata est sententia Velij Pauli Proconsulis, qua probaretur Archippum damnatum esse in metallum ob falsi crimen. Ille contrà, nihil proferebat, quo nominatim restitutum se doceret: sed pro restitutione allegabat, libellum à se Domitiano datum, cuius rei capax non fuisset, nisi sui status integer esset: ac vicissim epistolas Domitiani ad honorem suum pertinentes proferebat: item & decretum Drusensium quo statuæ honor ei concessus esset. Addebat his etiam Diui Neruæ edi-

ctum

ctum & epiſtolam, quibus confirmaſſet beneficia à Domitiano data. denique & Traiani Imperatoris literas ad ſe perſcriptas honorificè. Hęc omnia certe ſtatui ſuo ſubueniſſe: neq; ſe tantis honoribus affici vnquam potuiſſe, qui ne maximis quidem ciuibus ſæpe conceduntur, niſi pro reſtituto haberetur. Sed & rurſus ex aduerſo dicebatur, Domitianum ignoraſſe, Archippus quo in ſtatu eſſet: ideóq;, quod alias non feciſſet, tam multa ad honorem eius ſcripſiſſe, ergo obreptitia & ſubreptitia eſſe hæc omnia, quibus carere neque frui debeat. deniq; ſi dominus ad eum quem ſeruum ſuum eſſe dicit, vt ad Decurionem vel principalem ſcripſerit, non ideo ſeruum liberum eſſe. quare igitur ſi Domitianus ad Archippum reſcripſerit, ideo reſtitutum eum intelligi oportet? Proconſul cùm Traianum antea conſuluiſſet, pronunciauit Archippum reſtitutum videri ideóque immunem iudicandi.

DE APPELLATIONIBVS. TIT. XLII.

Aliquid de ſummo iure remittere, ad eum pertinet qui ex appellatione cognoſcit.

I. Ex Dinarcho, contra Demoſthenem.

INTER eos qui adhibita, & eos qui ſemota appellatione cognoſcunt, quibus inferior aut ſuperior eſt in iudicãdo poteſtas, hoc intereſt: quòd legem illi vti ſcripta eſt, ſequuntur: hi, æquitatis & humanitatis ratione, à ſtricto ac ſummo iure ſæpe deflectunt: minorumq; magiſtratuum

tuum ſententias reformant, non quòd non aliquando recte & ordine iudicarint, ſed quia vel æquitas vel vtilitas ipſa aliud poſtulat: vt inter alia de Polyeucto Cythantide à Dinarcho refertur contra Demoſthenem. Lex erat, vt, qui ciuium Athenienſium Megara ſe ad exules contuliſſent, quibus nullum cum ciuibus commercium eſſe placuerat, ijs capitale eſſet: Eò Polyeuctus fatebatur ſe profectum, vt Nicoclem, cui mater ſua nupta eſſet, viſeret, conſolaretur. quare à Senatu Areopagitico iudicatus erat. Sed Populus æqui & boni, humanioríſque iuris rationem habuit, eúmque abſoluit, quem iudicabat miſeratione ductum ac pietate potius Megara veniſſe, quàm dolo malo, conſilijq; alicuius cum exulibus aduerſus Rempublicam capiendi cauſſa.

Interdum etiam à Principe appellatur. Porro iudicia quæ ſola auditione fiunt, minus auctoritatis habent.

II. Ex Valerio Maximo, lib. 6. cap. 2.

ETSI à Principe, ijſue qui ſummam poteſtatem obtinent, appellari non poſsit, fuit tamen quæ cùm à Philippo Rege temulento iniquè condemnata eſſet, auſa eſt à Philippo ad Philippum ipſum magis ſobrium appellare. Atque ſane crapulam excuſsiſſe dicitur oſcitanti, cauſáque diligentius inſpecta, Philippum æquiorem tuliſſe ſententiam. Quàm ſi id nobis abſque fraude ſæpiſsime liceret, alia aliter iudicari videremus, ſi vel ijdem iudices altera actione cognoſcerent,

de quo

de quo isto primò, quo vtimur, tumultuario, incogitato, præcipiti & quasi inconsulto iudicio pronunciarunt! Nam vt satis per se immatura, neque adeo bene digesta & concocta sunt hæc iudicia, quæ videlicet palam ex sóla Aduocatorum auditione, non ex instrumentis & actis proferuntur: interdum Aduocatus vel minus instructus accessit ad dicendum, vel alter altero eloquentior & argutior est: hic narrationi, ille contentioni confutationíve aptior: ipsi interdum Iudices, aut eorum magna pars aliud agunt, vel obdormiunt: nonnunquam etiam (quod periculosius est) Prætor ipse qui cognitioni præest, difficilior aut morosior est, audiendíque impatiens. Atqui præstat vel ad tædium vsque dicentem Aduocatum audire patienter, quàm non benè cognitam & perspectam rem siue litem iniquè transigere. Patientem enim, facilem, quietum & omnia cum grauitate & seueritate religiose inquirentem se is præbeat oportet, qui scit se postremò iudicaturum, neque suam ab alio sententiam formatum iri.

Idem ab eodem non appellatur.

III. Ex Xiphilino, in Galba.

CAPITO, cùm reus ab eo ius dicente prouocasset, statim in sellam excelsiorem transilierat, atque ita edixerat, Age dic caussam apud Cæsarem. eúmque causa denuo cognita damnauerat. Huius superbiæ, insolétiæ atque iniquitatis accusatus apud Galbam Imperatorem, pœnas luit.

postremò

poſtremò à minore magiſtratu perſonam Cæſaris, ſummæq; poteſtatis nomen & prærogatiuam vſurpari, non leue eſt crimen.

DE APPELLATIONIBVS RECIPIENDIS VEL NON, Tit. XLIII.

Vbi quid mature facto opus eſt pro vtilitate ac neceſſitate Reipublicæ, appellationes non recipiuntur.

I. Ex Valerio Maximo, lib. 6. cap. 3.

M. CVRIVS Conſul, cùm delectum ſubitum educere coactus eſſet, & iuniorum nemo reſpondiſſet: coniectis in ſortem omnibus Tribubus, Polliæ quæ proxima exierat, primum nomen vrna extractũ citari iuſsit. eo non reſpondente, bona haſtæ ſubiecit. Id illi vt nunciatum eſt, accurrit ad Conſulum Tribunal, collegiúmque Tribunorum appellauit. At M. Curius Conſul, præfatus non opus eſſe eo ciue, qui Reipublicæ parêre nollet, appellationem non recepit. bona eius & ipſum vendidit: non pœnæ feſtinatione, ſed præueniendi periculi cauſſa: quandò res tumultúſque belli, moram ac dilationem non reciperet, dum interim de excuſatione aut immunitate cognoſceretur. Et certe illo tum iure vtebantur, vt qui ad delectum non reſpondiſſent, tanquam proditores libertatis in ſeruitutem redigerentur. Sed (vt ab Arrio ſcriptum eſt) mutato ſtatu militiæ, à capitis pœna receſſum eſt. quia plerumque voluntario milite numeri

meri supplerentur. nunc nos etiam Galli, non alio milite vtimur, imò mercenario plerumque.

DE CAPTIVIS, ET DE POSTLIMINIO, ET DE REDEMTIS ab hostibus, Tit. 44.

Obsides si aufugerint, certe restituendi sunt, quia aduersus ius gentium deliquerunt.

II. Ex Liuio, lib. 2. deca. 1. & Plinio, de viris illustribus.

PORSENA Rex Hetruscorum, Cœliam virginem nobilem inter obsides acceperat: eaque deceptis custodibus noctu Porsenæ castris egressa, equum quem sors dederat, arripuerat, & Tyberim ad suos traiecerat. Hæc a Rege per Legatos repetita, quia pignore pacis ademto fœdus violatum esse videretur, remissa est.

Si fides frangatur ab ijs qui obsides dederunt, obsides pœnas luere.

III. Ex Dionysio Halicarnasseo, lib. 6.

OBSIDES pro captiuis habentur. quare neque testari possunt, nisi eis permittatur: & bona eorum fere publicantur. ac si fides frangatur ab ijs qui dedere, puniuntur: vt merito quasi pœnæ destinati ac dediti sub conditione, dici posint. Exemplo fuere trecenti obsides à Voscis P. Seruilio dati, vt eos Romam quasi pignora fœderis adduceret. Hos enim trecentos, postquam Vosci bellum integrárunt rupto fœdere, sine iusta caussa ac non

ac non lacessiti: Consul Appius Claudius in forum adduxit: atque spectante Populo & approbante, virgis cæsos securi percuti iussit.

Obsidum iurisdictio & animaduersio, est eorum quibus dati sunt, non qui dedere.

IIII. Ex Tito Liuio, lib. 5. deca. 3.

PHILEAS Tarentinus, cùm iam diu Romæ per speciem legationis esset, aditum sibi ad obsides Tarentinos inuenit. Custodiebantur in atrio Libertatis, minore cura: quia nec ipsis, nec ciuitati eorum, fallere Romanos expediebat. Hos crebris colloquijs sollicitatos, corruptis AEdituis, cùm primis tenebris custodia eduxisset, ipse comes occulti itineris factus, profugit. Luce prima, vulgata per vrbem fuga, missi qui sequerentur, compræhensos omnes retraxerunt. Deductos in Comitio, virgisque cæsos approbante Populo, de saxo Tarpeio deijci placuit.

DE RE MILITARI, TIT. 46.

Ius prius in legibus quàm in armis esse oportere.

I. Ex Plutarcho, in Arato.

DIVINISSIME Ennius, dum etiam tunc vi omnia geri conqueritur:

Pellitur e medio sapientia, vi geritur res.
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur:
Haud doctis dictis certantes, sed maledictis:
Miscent inter se inimicitias agitantes.

Non ex iure manu consertum, sed mage ferrô.
Rem repetunt, regnumq́ petunt: vadunt solida vi.

Non sic maiores Græci & Latini. nam quæ sunt etiam belli iura sanctißimè ac religiosißimè obseruabant: videlicet vti res prius per Fæciales & oratores bonos repeterent: Verbenarium clarigatum mitterent res raptas clare repetitum: deniq; ante omnia vicinos populos, iudices controuersiarum suarum admitterent, quàm ferro & igni rem agerent. Huius tantæ moderationis exemplum est in Achæis. Hi cùm initam societatem cum Argiuis, vltro ac temere bello lacessentes, violassent: in ius vocati coram MANTINIENSIBVS, forensem concertationem non recusarunt. Igitur quanquam id à se, Argiuos ab Aristippi tyrannide liberandi caussa, communiq; studio totius Græciæ libertatis, factum esse dicerent duce & suasore Arato: tamen rupta fœdera, pacémque fractam, quæ tum inita erat cùm iam essent Argiui sub Regibus, negare non poterant. Ergo Achæos grandi pecunia multari placuit. Non expenderunt eam inuiti, armáque legibus cedere æquo animo tulerunt.

II. Ex Diogene Laërtio, in Pittaco.

DISCEPTARVNT etiam Athenienses cum Mitylenæis, de possesione agri, Periandro iudice atque arbitro controuersiæ.

Poëtarum auctoritas valet etiam in iudicijs. Ex similitudine legum & morum origo & cognatio præsumitur.

III. Ex

III. Ex Plutarcho, ibidem, & Diogene Laërtio, in Solone: & ex Strabone, lib. 9.

IDEM legitur de Atheniensibus & Megarensibus: inter quos sum̃a cùm esset de Salamine insula contentio, tandem pro Atheniensibus, Solone: pro Megarensibus, Herea causam dicentibus coram Critolaide, Amomphoreto, Hypsechida, Anaxilate, & Cleomene Lacedæmonijs sumtis arbitris, insulam Atheniensium esse pronunciatũ est, postquam id Solon ita esse persuasit & Homeri versibus, & hac potissimum ratione, quòd qui insulam habitabant, in sepeliendis suis, ritum Atheniensium non Megarensium sequerentur, vt sepulchra ad Orientem posita, corpora ad Orientem solem conuersa, insculptaq́ familiarum nomina. itaque videri ab his deductam coloniam, quorum adhuc legibus ac moribus vteretur.

Postremo cùm ius sit etiam in armis, id nisi auspicatò geri non licuisse.

IIII. Ex Cicerone, lib. 2. de diuinatione: & Valerio Maximo, lib. 4.

P. CLAVDIVS, Lucius Iunius Consules, neglectis auspicijs (quorum ideo fuit obseruantissima Romanorum antiquitas; quòd genus omne Reip. constanti religione erga Deos augeri atque retineri, vt si qua alia re, maximè sibi persuaderent) nauigauerant, & classem tempestate amiserant. Hoc nomine P. Claudius, Populi iudicio damnatus est: alter sibi ipse mortem consciuit: non quòd infœliciter pugnassent, sed quia cõtra

auſpicia: eóque Reip. patriæque ſuæ ritus ac veteres ceremonias repudiare, religionem, cui parendum fuit, negligere viderentur.

V. Ex Appiano, lib. 2. bellorum ciuilium.

IDEM A. Gabino accidiſſe fertur, qui poſtremis quoque temporibus Pompeio Magno ſolo Conſule, ob neglecta auſpicia, & quòd aduerſus quàm libri Sibyllini ſuaderent, cum exercitu in AEgyptum profectus eſſet, damnatus eſt.

Bellorum ſua quoque iura, ſuas quoq; leges eſſe: præcipuam hanc, vt occiſi à ſuis ſepeliantur.

VI. Ex Valerio Maximo, lib. 9. cap. 8.

ATHENIENSES decem Imperatores ſuos, & quidem à pulcherrima victoria redeuntes, capitali iudicio condemnarũt, quòd militum corpora, licet maris ſæuitia interpellante, ſepulturæ non tradidiſſent. id enim nullo modo nec piè negligi ac prætermitti poſſe, quod eſſet in more totius Græciæ, ſolatio parentum, viuorúmque æmulationi.

Hanc alteram, vt fœdera ſeruentur. ſed an etiam fraudulenta?

VII. Ex libro qui inſcribitur Ioſue, cap. 9. & ex Ioſepho, lib. 5. antiquitatum.

GABAONITAE veriti potentiam atque exercitum Iudæorum, quos ſciebant ad ſuam Cananæorumq; omnium regionem occupandam, acceſsiſſe: miſsis legatis ad Ioſue ducem alióſque principes, quaſi e longiſsimis terris ad ſocieta-

tem &

tem & amicitiam conciliandam aduenissent, moti celebritate nominis Ebreorum, modò ipsi suis legibus relinquerentur: id à Principibus Iudæorum adhibito iureiurando obtinuerât, societásque ac fœdus à Populo confirmatũ est. Sed cum triduo post, fraus ac fallacia apparuisset, quam vocati in ius Gabaonitæ necessitate tuebantur: visum est tamen, iusiurandum seruari oportere, ita vt nihilominus Gabaonitæ, non liberorum sed tanquam seruorum loco essent. Itaque certo labori veluti pœnæ inter Ebræos addicti sunt: eam fere conditionem nacti, quam & Ilotæ quondam apud Lacedæmonios.

Qui nomina dare & militare possunt, vel non. seruis vtique olim non licuisse.

VIII. Ex Dione Nicæo, lib. 48.

SEMPER graue crimen habitum est, dare se militem, cui non liceret: quod augebatur (vt in cæteris delictis) dignitate, gradu, specie militiæ. Itaque serui apud Romanos, quemadmodum nullius alterius ciuilis iuris fuere participes: ita maximè sunt ab omni militia prohibiti: adeo vt & qui status controuersiam paterẽtur, quamuis reuera liberi essent, tamen per id tempus nomen eis militiæ dare non liceret. Quod si penuria hominum aliquando factum est, quemadmodum Lacedæmonijs ad Messeniam, Romanis bello Punico accidit, vt ad supplementum seruis vterentur: priùs manumitti placuit, quam milites fieri contra leges. Igitur & tum, cùm Anto-

nius, Octauius & Lepidus Rempublicam obtinebant, de seruo qui inter milites ac numeros depræhensus est, ita supplicium sumi placuit: de rupe Capitolina deijci, manumissione tamen prius intercedente, quò magis cum dignitate aliqua statutum esse videretur.

Ab ijs quæ armorum occasione gesta, transacta sunt, rebus postea pacatis facile receditur.

IX. Ex Appiano, lib. 5. bellorum ciuilium: & Paulo Orosio, lib. 6. cap. 20.

ICTO antea fœdere cum Antonio, Octauio, Lepido, ac Sexto Pompeio, conuenerat vti omnes serui qui vocati ad libertatem, à dominis aufugerant, atque in exercitu Sexti Pompeij militassent, hi manerent in libertate. nec non istud fœdus ratum habuerat Senatus, eósque seruos nominatim liberos esse decreuerat. Nihilominus tamen Augustus victo Pompeio alijsque omnibus Imperij æmulis, generaliter edixit, vt per omnes Prouincias simul ad vnum diem fugitiui ij sic manumissi, compræhenderentur, vinctíque Romam remitterentur. Itaque adductos triginta millia seruos dominis suis restituit. quòd si nulli essent qui hos sibi iure vindicarent, suspendi iussit. Neque nocere quòd à Senatu manumissi viderentur: quia id non ius, sed vis & iniuria sit, vel acclamatione Populi, vel discessione Senatus seruum alienum inuito domino manumitti, maximè qui nulla re benè gesta præmio dignus sit: imò vero qui pœnam mereatur, & quia fugitiuus,

tiuus, & quia contra veterem diſciplinam, nomen militiæ dederit.

Dignitate aut gradu, ſeruus qui ſuam conditionem cælauit, libertatem non acquirit.

X. Ex Xiphilino, in Domitiano.

DOMITIANVS Imperator Claudium Pacatum, etſi Centurio fuerat, domino reddidit, quòd eum ſeruum eſſe conſtaret.

Ad pœnam ſufficere, ſi ſeruus ſponte nomen ſuum dederit, licet in numeros nondum relatus ſit.

XI. Ex Plinio Secundo, lib. 10. epiſtolarum.

CVM inter tyrones Sẽpronius Cæcilianus duos ſeruos inueniſſet: re Caio Plinio Procõſuli nunciata, ideo Plinius ſupplicium diſtulit, quòd ij nondum ſacramento militari in numeros & ordines diſtributi eſſent. itaque non videri militaſſe, nec aduerſus diſciplinam offendiſſe. Ergo conſultus ab eo Imperator reſcripſit, his verbis: Traianus Plinio. Secundum mandata mea fecit Sempronius Cæcilianus, mittendo ad te eos de quibus cognoſci oportebat, an capitale ſupplicium meruiſſe videãtur. Refert autem voluntarij ſe obtulerint, an lecti ſint, vel etiam vicarij dati. ſi lecti ſunt, inquiſitor peccauit: ſi vicarij dati, penes eos culpa eſt, qui dederunt: ſi ipſi non incerti ſuæ conditionis, ſeſe obtulerunt, animaduertendum in eos erit. neque enim multum intereſt, quòd nondum per numeros diſtributi

ſunt.

„ sunt. Ille enim dies quo primùm probati sunt ab
„ his veritatem originis suæ exegit.

De disciplina militari. hæc prima & potissima in eo fuit, vt ne quis nisi iussu Imperatoris manum cum hoste consereret.

XII. Ex Valerio Maximo, lib. 2. cap. 2. & Plinio, de viris illustribus. Eutropio, lib. 2.

LVCIVS Papyrius Cursor Dictator, cùm aduersus imperium eius Q. Fabius Rutilianus magister Equitum, exercitum in aciem aduersus Samnites deduxisset; quanquam fusis Samnitibus in castra redierat, tamen neque virtute eius, neque successu, neque nobilitate motus, virgas expediri, eúmque nudari iussit. frustráque Rutilianus cùm in vrbem aufugisset, Senatus, Tribunorúmque auxilium implorauit. Supplicem Tribuni non tuebantur. Sed re ad Populum perducta, & patris & Populi precibus, qui pro Dictaturæ imperio cogi non poterat, Papyrius cessit: hoc tamen testatus antea, non pœnã se Fabio, sed Populo Romano & Tribunorum potestati & auctoritati concedere. Ea certe militaris disciplina est, vt qui rem à Duce prohibitam fecerit, aut mandata non seruauerit, capite puniatur, etiam si res bene cesserit. quod ideo maioribus illis primariisque viris diligentissime obseruandum esse visum est, quia sola obedientia contineatur omnis exercitus: neque quis euentus, sed quod fuerit consilium, inspici oporteat. igitur quasi plus sit in imperio, quàm in victoria, immode-

ratæ

ratæ fortitudinis plerumque pœna exacta est.

XIII. Ex Valerio Maximo, lib. 9. cap. 3. Paulo Orosio, lib. 3. cap. 9.

NAM & duriora exempla suppetunt de Posthumio Tiburto, & Manlio Torquato, quorũ vterque, quod filij sponte, non iussu patris atque Imperatoris ad dimicandum cum hoste licet prouocante & insultante descenderant, licet eo fuso, filios securi percuti iussit.

In re militari nefas est vllo modo ab imperio recedere, nedum rei melius gerendæ occasione: quia disciplina dissoluitur, si se miles suo Imperatore prudentiorem existimet.

XIIII. Ex Aulo Gellio, lib. 1. cap. 13.

P. CRASSVS Mutianus, is qui traditur quinque habuisse rerum bonarum maxima & præcipua: quod esset ditissimus, quòd nobilissimus, quòd eloquentissimus, quòd iurisc õsultissimus, quòd Pontifex maximus: cùm in Cõsulatu obtineret Asiam Prouinciam, & circumsedere oppugnaréque Leucas oppidum pararet, opúsque esset firma ac procera trabe, qua arietem faceret, quo muros eius oppidi quateret: scripsit ad magistrum ἀρχιτέκτονα molis Atheniensium sociorum amicorúmque Populi Romani, vt ex malis duobus, quos apud eos vidisset, vter maior esset, eum curaret ad se perferendum. Tum magister architectus cùm resciuisset, quam ob rem Mutianus malum desiderasset: non, vti iussus

ſus erat, maiorem, ſed quem eſſe magis idoneum aptiorémque faciendo arieti, faciliorémq́ portatu exiſtimabat, minorem miſit. Craſſus eum vocari iuſsit: & cùm interrogaſſet, cur non quem iuſſerat, miſiſſet: cauſsis rationibusq́ quas dictitabat ſpretis, veſtimenta detrahi iuſsit, virgíſque multum cecîdit, corrumpi atque diſſolui officium omne Imperatoris ratus, ſi quis ad id quod facere iuſſus eſt, non obſequio debito, ſed conſilio non conſiderato reſpondeat.

Non licet commilitoni ex commeatu redire abſque commilitone.

XV. Ex Annæo Seneca, lib. 1. de ira.

DISCIPLINA militaris hoc Cnei Piſonis iudicium ſi non excuſare poterit, nihil crudelius, nihil vſquam inhumanius inueniri poteſt. Quidam ex commeatu ſine commilitone redierat. Cùm, præterquàm quòd id fieri vetitum eſſet, eum interfeciſſe quem non exhibebat, apud Cn. Piſonem inſimularetur: roganti aliquod tempus ad conquirendum, non dedit. Itaque damnatus extra vallum ductus eſt. Sed ecce, dum ceruicem porrigeret, ſubito apparuit ille commilito, qui occiſus videbatur. ideóque Centurio ſupplicio præpoſitus, iuſſerat ſpiculatorem gladium condere: nec non ſumma cum gratulatione damnatum ad Piſonem reduxerat. Verùm ipſe tribunal aſcendit: ſtatimq́ & hunc rurſus duci iubet, quia cauſſa damnationis cõmilitoni fuiſſet: & Centurionem, quia iuſſus occidere, Imperatori non paruiſſet.

De mi-

De militaribus delictis. Inter hæc quoque est libido atque impudicitia. Licet vim vi repellere.

XVI. Ex Plutarcho, in Alexandro Magno.

POSTQVAM vrbs Thebanorum ab Alexandro capta est, dum multa hostiliter à militibus ibi committuntur, Timoclea soror Theagenis, qui cum Philippo rege patre Alexãdri fortissimè pugnando ad Cherroñesum ceciderat, primaria atq; antiquæ virtutis & pudicitiæ fœmina, direptionem omnium bonorum, atq; suarum etiam ædium ruinam ac vastationem æquo & forti animo tulit: amissam vi pudicitiam non æquè tulit. Itaq; à violentiore Tribuno interrogata, num quid amplius auri vel argenti in occulto retineret: habere se respondit, atque prodituram, si semotis arbitris secum vna venire vellet. Eunt ambo, & puteum ostendit, quò se affirmat paulò antequam vrbem occuparent, omnem mundum, ornatum, & quicquid preciosi possideret, deiecisse. In eo cùm miles pronus & prædæ cupidus inspiceret, retro stans Timoclea, raptorem suum pellit in profundum, atque lapidibus obruit. Ob id rectà ad Alexandrum ducitur, trahitur. eam homicidij accusant. Si quid in se durius sit experta, odio hostili, licentia militari, more belli, atque iure victoriæ euenisse. Contra, se Timoclea dolore, & ea quæ maxima in muliere optima esse potest, indignatione & iracundia tuebatur. nihil fœminæ salui esse, amissa pudicitia. Ergo Magnus Alexander pro pudicitia pronunciauit, iuréque illum cæsum videri. vim re-

ctè

ctè passum esse, qui vim & violentiam attulerit. Simile facinus & æquè memorabile ac illud de Timoclea, narrant Valerius Maximus lib. 6. capite 1. & Lucius Florus, in bello Gallogræco, de Orgiagontis Reguli vxore. nam & ea à Centurione violata, pudicitiam suam viriliter vlta est.

XVII. Ibidem.

IMPVDICI nec apud Ducem nec apud milites vllius momenti esse possunt. quare vetus illa militaris disciplina in hoc etiam fuit, vt seuerè in eos animaduerteret. Damon & Timotheus Macedones, vxorem commilitonis stuprauerãt. iussu Alexandri Magni Parmenio quæstione habita, rem extremo supplicio vindicauit.

In ijs quæ sunt contra naturam, non minus delinquitur, si ex vtriusque consilio & animo delinquitur.

XVIII. Ex Valerio Maximo, lib. 6. cap. 1.

CAIVS Fescennius Triumvir, C. Cornelium fortissimæ militię stipendia emeritum, virtutísque nomine quater honore Primipili ab Imperatoribus donatum: quòd cum ingenuo adolescentulo stupri commercium habuisset, publicis vinculis onerauit. à quo appellati Tribuni, cùm de stupro nihil negaret, sed sponsionem se facere paratum esse diceret, SI NON ADOLESCENS ILLE PALAM ET APERTE CORPORE QVAESTVM FACTITASSET: intercessionem suam interponere noluerunt. Itaque

Cornelius in carcere mori coactus est. Rectissime placuit, nulla ex caussa hoc masculosum nefas excusari posse: quia quod natura, legibus & moribus sit prohibitum, nequedum in volentem committi oporteat.

XIX. Ibidem.

M. LECTORIO Mergo Tribuno militari Cominus Tribunus plebis diem ad Populum dixit, quòd Cornicularium suum stupri caussa appellasset. Is iudicium non sustinuit: & sibi mortem attulit.

XX. Ibidem.

CAIVS Marius Imperator Clusium sororis suæ filium Tribunum militum, à Cælio Plocio manipulario milite iure cæsum pronunciauit, quia eum de stupro compellare ausus erat.

XXI. Ex Appiano, lib. 1. bellorum ciuilium.

QVID de Sertorio, qui ob vnius militis lasciuiam luxuriamq; nimis infamem atq; importunam (erat inimica mulier) attamen vniuersam cohortem, quia istius argumento necesse esset & deteriores alios continere, vltore gladio deleuit?

XXII. Ex Plutarcho, in Galba.

OVINIVS, corrupta Caluisij Sabini vxore, & in habitu viri vsque ad Prætorium deducta: non iure aut caussa, sed Iulij Cæsaris morte, certam & debitam pœnam, cui in vinculis seruabatur, effugit.

Quali

Qualitas rei facit, vt idem crimen nunc paganum, nunc militare videatur: itaque sit vel Iudicis, vel Tribuni cognitio. Porro in iudicijs tum optimè agitur, cùm Princeps in iure dando, sinit omnia more patrio & via ordinaria, agi, transigi.

XXIII. Ex Plinio Nepote, lib. 6. epistol.

GALITTA nupta Tribuno militum, & suam & mariti dignitatem Centurionis amore maculauerat. maritus Legato Consulari, ille Cæsari scripserat. Traianus excussis probationibus, Centurionem exauctorauit, & relegauit. Maritus admonitus vt peragerer accusationem, peregit inuitus, nempe vitandæ ignominiæ caussa. Itaque vxor damnata, pœnis legis Iuliæ relicta est. Sed ne Imperator omnes eiusmodi caussas reuocare ad se velle videretur, nomē Centurionis, & commemorationem disciplinæ militaris, sententiæ adijci voluit.

Imprudentia nonnunquā dolo comparatur: tempúsque esse quo crimini vertitur, dicere, Non putabam.

XXIIII. Ex Appiano, in Mithridatico.

INVICEM nauali prælio pugnantibus Rhodijs atque Mithridate: huic ex insula Chio naues auxiliariæ aduenerant. Is cùm in ipso certamine huc illúcque suos exhortandi caussa circumiret, ex Chio nauis ei sic temerè occurrit, Prætoriámque nauem in qua vehebatur, ita rostris impulit, vt eam grauiter vulneraret ac conturbaret. Siue casu, siue consultò hoc admissum est, id tūc

certè Mithridates sapientissimè dissimulauit. At finito bello, quia nihil per imprudentiam, aut cum ista excusatione, Non putabam, à milite, nauta, alióve erga Ducem aut Imperatorẽ suum committi debet : imò inprimis hunc obseruare, idque vnum ante omnia intueri conuenit, manus cum hoste,an cum ciue sociόve conserat: exercitorem nauis atque magistrum supplicio affecit, nec non se infensum perpetuò præbuit ijs omnibus qui insulam habitabant : quasi id profectò à quouis nauigandi perito euitari potuisset, si non aliquod prodendi, nocendíque consilium latuisset.

Eius, quod patriam suam tutando quis hostiliter fecit, nulla pœna est.

XXV. Ex Diodoro Siculo.lib.11.

THEMISTOCLES dum profugus viueret cum Xerxe Persarum Rege, à Mandane Regis sorore filiaq; Darij qui Magos deleuerat, cuius duo filij in prælio ad Salaminem duce Themistocle obierant, accusatus est. Petebat, ne Xerxes orbitatem suam despiceret : ne nunc inultos filios suos sineret, quando sæuissimum hostem à quo interfecti essent, in manu sua & potestate haberet. Cùm multitudine concitata Themistocles deposceretur, Xerxes principibus Persarum iudicium reliquit. quod illi re cognita iudicassent, id se fieri permissurum. Ita sedato tumultu, dies longior instruendæ atque ordinandæ accusationi præstituta est. quo interuallo cùm Themistocles

cles

cles linguam Perſicam didiciſſet, ita pro ſe dixit apud Satrapas, vt quod hoſtiliter fecerat, tutando patriam, atque propellendo iniuriam, iure belli, iure naturæ feciſſe videretur. itaque omnium ſententijs abſolutus eſt.

XXVI. Ex Xiphilino, in Seuero.

CAPTO Byzantio, cùm Priſcus artifex ob innumeras ſummi ingenij machinas, quas ibi conſtruxerat Seuerianæ oppugnationi infeſtiſsimas, Imperatori delatus eſſet: tamen quòd id cuſtodiendi municipij ſui cauſſa feciſſe ſe diceret, denique propter eius artem eximiam, qua vix Archimedi concedebat, abſolutus eſt.

De deſertoribus & transfugis. denique in omni delicto animum atque conſilium delinquentis inſpici oportere.

XXVII. Ex Plutarcho, in Artoxerxe.

ETSI quæ delinquuntur, atrocitatem ex loco, tempore, cauſſa, perſona, qualitate & quantitate recipiunt, & ideo ſunt, exempli gratia, quæ in pagano aut nullam aut leuiorem pœnam irrogant, in milite vero grauiorem: tamen horum vnumquodque animo, conſilio, & delinquendi propoſito diſcernitur. Hoc adeò ſapientiſsimè Artoxerxem in cauſſa Medi Arbacetis transfugæ atque deſertoris militis iudicaſſe memoratur. Nam in eo bello, quod Cyrus minor frater aduerſus eum grauiſsimum ſuſceperat: Arbaces prius, dum præualere Cyrum viribus exiſtimaret, ab Artoxerxe Rege ad Cyrum defecerat: rurſuſ-

rursúsq; Cyri accepto interitu, ad Regẽ se conuerterat. Accusatus, pœna desertionis, videlicet capite, puniendus esse videbatur. Sed cùm Rex ipse cognosceret, religiosissimè iudicauit, hanc variã & incertam (quæ plerisq; in bellis ciuilibus accidit) partium contentionẽ & mutabile studium, magis e pusillanimitate, mollitie & ignauia, dubioq; discernentis animo nasci, quàm prodere & machinari quid mala mente & dolo malo cupientis. Iussit igitur Arbacem notari duntaxat, humerísque nudam meretriculam (quæ summa apud Persas ignominia fuit) in via publicè tota die ferre atque traducere.

Signacula ferre, seditiosum est: porrò militum seditionem ita optime comprimi, si hanc, vnum aut alterum puniendo, Magistratus attamen ignorare se dissimulauerit.

XXVIII. Ex Xenophonte, lib. 2. rerum Græcarum.

MILITES qui cum Eteonico duce Lacedæmoniorum in Chio relicti erant, cùm penuria cœpissent laborare, inierant tacita consilia, Chios, qui socij ac fœderati erant, cum bonis ac facultatibus omnibus occupandi. Quibus hæc coniuratio placeret, vt sese inuicem agnoscerent, singulos arundinẽ ferre manu aut pileo, conuenerat. Eteonicus huius rei certior factus, sapientissimè iudicauit, non aperta vi agendum esse: quia magna esset frequentia coniuratorum, & sumtis armis periculum erat ne Chij e socijs a-

cerrimi hostes euaderent. Itaque hanc rationem secutus est. Quindecim assumtis militibus per vrbem ambulãdo, qui primus ei arundinem habens obuius factus est, hunc protinus obtruncari iussit atque sciscitantibus quam ob causam interfectus esset nihil aliud respõderi, quàm quod gestasset arundinem. & ita factum est, vt reliqui factiosi arundinem continuò proijcerent. Sed & Eteonicus conuocatis Chijs, ac perpetuò militũ dissimulata cõiuratione, pecunias imperauit, quæ militibus, nequid noui molirẽtur, distribuerẽtur. Illi quamprimũ paruere. & ita cõsultissimè vnius supplicio, magnæ seditioni occursum est.

Si tota legio aut tota cohors defecerit iussu Tribuni, ad hunc, non ad milites, noxam pertinere.

XXIX. Ex Tito Liuio, decade 1. lib. 1. & Paulo Orosio, lib. 2. cap. 4.

ICTO fœdere sub Tullo Hostilio Rege, inter Romanos & Albanos: Fidenates, Veientibus socijs consilij assumtis, sub pacto transitionis inter eos inito, & Metium Suffetium ducem Albanorum, à Romanis desciuerant. Tullus, Metio exercitúque eius ab Alba accito, suos direxerat, aduersus Veientem, Albanos contra legionem Fidenatium collocauerat. Verùm ex composito Metius pugnam deseruit, sensim ad montes succedens, eo consilio, vt fortunam belli experiretur, ac sequeretur: quà fortuna rem daret, ea inclinaret vires. Tullus sua virtute atque sapientia nihilominus parta victoria, dum, vt nec suis

igno-

ignorantibus ſe deſeri, auerteretur à certamine animus, & hoſtibus circumueniri ſe à tergo ratis terror ac fuga inijceretur: id Albanos ſuò iuſſu & imperio facere clamitat: concione aduocata, milites quidem nihil peccaſſe pronunciat: etenim Ducem ſecutos eſſe, & Imperatori ſuo paruiſſe. At Metium ductorem huius itineris, huius belli machinatorem, ruptorem Albani Romaníque fœderis, eo ſupplicio multatus eſt, vt qui paulo antè animum inter Fidenatem Romanámq; rem ancipitem geſſerat, ita corpus ſuum paſsim diſtrahendum daret, duplicíſque animi noxam pœna diuiſi corporis expenderet. Itaque duabus admotis quadrigis in currus earum diſtentus & alligatus Suffetius, in diuerſum iter concitatis equis, laceratur, atq; diſcerpitur. Crudeliſsimum ſane ſupplicium, ideóque à Romanis ſemel vſurpatum: ab alijs, & à nobis ſæpius atque adeo nuper, cùm ne hoc quidem immaniſsimo cruciatu, delictorum atrocitas, immanitas, impietas vllo modo attingi poſsit.

Alijs pugnantibus exitum ſpectare, maior proditio atque deſertio eſt.

XXX. Ex Herodiano, lib. 3.

IN illo etiam prælio, quod apud Lugdunum, magnam tum etiam vrbem atque opulentam, inter Seuerum & Albinum ſumma contentione pugnatum eſt: Lætus dux exercitus Seueriani fuit. is euentum pugnæ expectaſſe dicitur, cunctatus de induſtria, ac retento milite, vt ſibimet

imperium vindicaret: itaque non prius in prælium pedem protulisse, quàm ei Seuerum cecidisse falsò allatum esset. Hoc merito nomine, rebus omnibus ex sententia compositis, Seuerus Lætum, vt proditorem ac perfidum, capite condemnauit.

Vbi delinquitur à corpore & vniuersitate, nulla aptior pœna est, quàm nota aliqua aut infamia, quæ omnes æquè comprehendit.

XXXI. Ex Strabone, lib. 5. & ex Aulo Gellio, lib. 10. cap. 3.

NON in singulos modò, verùm etiã in vniuersos sæpe animaduertitur: nec priuati solùm, quin & ciuitas, vrbs, oppidum capite minuitur, plectitur. cuius rei inter alia multa hoc vnum est exemplum. Cùm Annibal Pœnus, cum exercitu in Italia esset, aliquótque pugnas Populus Romanus aduersas pugnauisset: primi totius Italiæ, Brutij, ad Annibalem desciuerant. Id Romani ægrè passi, postquã Annibal Italia decessit, Pœniq; superati sunt: Brutios ignominiæ caussa non milites scribi, nec pro socijs haberi, sed Magistratibus in prouincias euntibus parêre, & pra ministrare seruorum vice decreuerunt. Idem & aduersus Picentos & Lucanios obseruatum est, viatorumq; & tabellariorum vice habiti sunt.

Quam pœnam mereatur, qui militiam detrectat.

XXXII. Ex Valerio Maximo, lib. 6. cap. 3. & Ammiano Marcellino, lib. 15.

CAIVS

CAIVS Vatienus, digitos ſiniſtræ manus, ne bello Italico militaret, abſciderat. Hunc Senatus omnium bonorum publicatione, perpetuíſque vinculis puniẽdum eſſe grauiſsimè cenſuit. Traiani quoque temporibus, is qui delectu per bellum indicto, filium debilitaſſe dicebatur, vt inhabilis militiæ eſſet, deportatus eſt. Sed & Caligatum qui metu hoſtium languorem ſimulauit, in pari cauſſa proditionis eſſe reſponſum eſt. Quid hoc enim aliud eſt, quàm prodere? ſin ex timiditate proficiſcitur: adhuc propter exẽplum puniri debuit, ne ſit hęc ſua delinquentibus omnibus, doli, culpæ, militiæve ſuæ paratiſsima latebra. Id veteres Galli nunquam apud ſuos accidiſſe gloriabantur: illosq́; ioculariter Murcos appellabant.

Delictum graue eſt, ordines deſerere.

XXXIII. Ex Xenophonte, lib. 3. rerum Græcarum.

SVB Lyſandro claſsis Lacedæmoniorum Præfecto, Dercyllides à Pharnabazo accuſatus, quòd ordines non ſeruaſſet: ignominiæ cauſſa ſtare iuſſus eſt ſcutum præ ſe ferens. hęc enim non ſeruati ordinis pœna eſt.

Si Tribunus militem non petulantiæ cauſſa pulſauerit, impunè ferre. neque Tribunatũ recuſari abſq; fraude, ſi legitimè defertur. Deniq; ita rem militarem optime conſtitui, ſi reductis militibus vnuſquiſq; adminiſtrationis ſuæ rationem reddat.

XXXIIII. Ex Xenophonte, lib. 5. de Cyri minoris expeditione.

POST communem omnium Græcorum in Asiam cum Cyro minore factam expeditionem, eorumq; reditum in patriam, placuit inprimis exercitum lustrari: deinde iudicia constitui de iniurijs omnibus, quæ à Cyri interitu ad illum vsque diem commissæ essent à Ducibus, Tribunis seu Imperatoribus, aut erga milites, aut in eo quod quisque malè administrasset. Centurionibus res cognoscenda permissa est. Itaque Philesius & Xanticles Repetundarum damnati sunt, quòd ex pecunia quam seruandam acceperant, minas viginti suppilassent. quare alterum tantum rependerunt. Sophenætus quòd Dux omnium suffragio in demortui locum renunciatus, munus hoc recusasset, decem minis multatus est. Nam vtrumque, aut spernere sibi collatum beneficium, aut operam suam & industriam ciuibus suis nolle accommodare, superbum atque inuidiosum esse. Porro & Xenophon accusatus est, quòd nonnullos milites ipse sua manu, neque iussu exercitus, pulsasset, cecidisset. nam alicui certe imperauerat, vt agmen anteiret, ac saucium militem iumento aueheret. nam hostes insequi. Sed paulo post Xenophon adueniens in medio adhuc itinere hunc nactus erat terram fodientem, vt eò miserum illum ac vulneratum commilitonem suum abijceret, cuius rei nomine putâs eum defunctum sepelire, cùm anteà pietatem militis collaudasset, postea cer-

teim-

te indignatus eum verberauerat, vbi prope multis circumſtantibus atque acclamantibus, militem viuere, apparuit non mortuum, ſed viuum adhuc, neque ab ignorante ſepeliri. Ergo re cognita pronunciatum eſt, iure cæſum illum militem fuiſſe, leniúſque profecto quàm ipſe mereretur. Sed & cùm nemo amplius Xenophontem accuſare, liberè confeſſus eſt & ſe multos alios pulſauiſſe: videlicet quos cerneret aut ſe ignauiæ dederet, aut ordines deſerere, aut manum ſine iuſſu conſerere. Quòd ſi dum illis bene conſuleret, fortaſſe fuit in puniendo ſeuerior: non recuſare, quin ijs det eaſdem pœnas, quas liberis parentes, pædagogi diſcipulis. Et medicos vtilitatis cauſſa grauiter ægrotos ſecare, vrere. In ſumma tempeſtate, magiſtrum ijs qui in prora ſunt, gubernatorem ijs qui in puppi ſedent, ſi quid vel in leuiſsimis rebus ad nutum minus reſpicientes offenderint, acerbiſsimè iraſci atque maledicere. Ergo ad portum naui appulſa, licere nautis aduerſus eum iniuriarum agere? Nunc id cùm ad ſuffragia ventum eſt accuſari, quod admiſſum antea in conſpectu armatorum omnium militum, nemo, vt non iure factum aduerſus inermem plerumque Imperatorem, vindicauit. Itaque Xenophontem laudari potius quàm accuſari placuit.

Neminem delatum imperium ſuſcipere oportere, niſi legibus à Principe aut à Senatu deferatur.

XXXV. Ex Valerio Maximo, lib. 2. cap. 2.

RHEGYVM oppidum milites Romani iniquo bello occupauerant, mortuóque duce Bubelio, M. Cæsium scribam eius, soli, sua sponte atque inconsulto Senatu, Imperatorem elegerant. Senatus istius flagitij nomine, Cæsium in carcerem duci, ac M. Furio Flacco Tribuno plebis frustra denunciante: ne in ciues Romanos aduersus morem maiorũ animaduerteret: nihilominus eum, ac quosdam etiam milites virgis cæsos securi percuti cẽsuit: quin & lugeri & sepeliri vetuit, vt antea dictum est. Multum enim in eo Cæsium deliquisse, qui nec à Senatu aut à Populo, sed à seditiosis & turbulentis militibus imperium acceperit: quos si nulla ratione compescere, aut in officio retinere posset, vt in se potius sæuirent, quàm quid aduersus Remp. agerent, permittere oportuit. Vtrumque indignissimum esse, & milites sibijpsis Imperatorem dicere: & scribam, exercitus Populi Romani ducere. Quid enim? cùm in summis Reipublicæ temporibus, etsi L. Martius Tribunus militum reliquias duorum exercituum, Publij & Cnei Scipionum dispersas mira virtute collegisset, earúmque suffragijs Dux creatus esset, Senatui de rebus à se gestis scribens ita incepisset, L. MARTIVS PROPRAETOR: eum Patribus conscriptis hac honoris vsurpatione vti non placuit, quia Duces à Populo, non a militibus vnquam antea creari consueuissent.

Socios non diripiendos esse.

XXXVI. Ex Xenophonte, lib. 3. rerum Græcarum.

Thim-

THIMBRON dux Lacedæmoniorum, præsidio missus ciuitatibus Ioniæ aduersus Tissaphernem, cùm domum rediſſet, accuſatus à socijs, quòd exercitui amicos diripiendos tradidisset, damnatus exulauit.

Male pugnaſſe, quando in accuſationem deduci posſit: item ſuis ciuibus opem non tuliſſe.

XXXVII. Ex Dionysio Halicarnaſſ. lib. 9.

CVM ad Cremeram vnica & sola gens Fabiorum pugnaret aduersus Etruscos, horũ omnium cædis auctor fuiſſe T. Menenius Consul à Tribunis Q. Considio & Tito Genutio ad Populum accuſatus eſt. Eum enim cum exercitu, triginta ferè ſtadijs ab illo oppido duntaxat abfuiſſe, vt facilimè auxilium Fabijs afferre potuiſſet, tantámque tam excellentium virorum ac ciuium ſtragem atque interitum in ſummo Reipublicæ tempore prohibere. Præterea & ipſum Menenium cum Etruſcis infœliciter ſtatim poſtea pugnaſſe, magis quidem ignorantia atque imperitia ſua & ſocordia, quàm ex infortunio & inopinato rerum euentu. Memoriæ patris ſui Menenij Agrippæ, qui ſeductam Plebem in Auentinum, cum Patribus ad concordiam reduxerat, facilè conceſſum eſt, ne ideo capitis in eum anquireretur: ſed pecunia certe multatus eſt, duobus videlicet aſsium millibus, quod tum temporis multæ genus erat maximum.

Graue eſt cauſam dicere ob cruentam victoriam.

XXXVIII. Eodem: & ex Tito Liuio, dec. 1. lib. 2.

SPVRIVS Seruilius & Aulus Verginius Consules pugnauerant aduersus Etruscos; parta quidem, sed facto illius cruentissima victoria. Itaque Seruilio Lucius Seditius & Titus Statius Tribuni plebis diem ad Populum dixerunt. Eum magis temerè, quàm prudenter ad vallum hostium accessisse. Dolo, an imperitia imprudentiáve exercitũ in periculum deduxerit, perinde esse. porro quę crassior sit ignorantia, quàm legiones Populi Romani in manifestum ac non necessarium periculum adducere? Si medico imperitia crimini vertitur, quanto magis Imperatori? at in ambobus capitalis inscitia est. Pro Seruio dicebatur, victis hostib⁹ eum accusari nihil aliud esse, quàm quòd eos vicerit, accusari. id si nisi cum plurium interitu acciderit, militum salutis prædem erga Deos, Imperatores habere neminem: neque Imperia hoc pacto, hac lege & conditione deferri, accipi, vt omnes hostes superentur, nulli militum amittãtur. Res magnas magnis semper emi periculis. Sæpe minoribus copijs aduersus maiores inita prælia. Multos præterea victos cum pudore & calamitate redijsse, quorum nemo infortunij pœnas dederit. satis enim iustam pœnam esse, non laudari, nec præmio affici. Iam res non ex euentu, sed ex consilio metiendas. Præterita repræhendere, facile & cuiusuis hominis: res vero pulchras aggredi, difficile esse & paucorum hominum. Alios signa proiecisse in confertos hostes, vt segnibus & timidis militibus necessariò constaret animus, acriúsque ideo pugna-

rent, ne signa deseruisse viderentur. alios, pontes à tergo positos destruxisse, vt omni quàm in armis, salutis adempta expectatione, audacia cresceret. Magna detrimenta Reipublicæ afferri, si de fortuna Imperatores, vt de crimine postulabuntur. nihil ausuros eos amplius, ac summas plerumque occasiones amissuros. Omnem isto modo vim Imperij dissolui. igitur omnibus Populi suffragijs absolutus est: neq; reum vlla Tribus condemnauit.

Certe vitio suo malè pugnasse, crimen est.

XXXIX. Ex Valerio Maximo, lib. 4. cap. 2. Orosio, lib. 4. cap. 9.

MALE per infortunium pugnasse, raro apud Romanos crimini datum est. Laus enim etiam victo Imperatori ac Duci redditur, si & prudentia & industria & fortitudo muneribus suis functa est: sicut vel Medico, vel Oratori, vbi omni arte sua vsi sunt. Quanquam aliter Carthaginensium legibus. nam re malè gesta, Dux omnino cruci affigebatur. & Asdrubal quòd male aduersus Cæcilium Metellum pugnasset, absens capitis damnatus est. Sed & illud vulgare est de Himilicone duce, quo pacto victus primo Punico bello, pœnam hanc solertissimè effugerit. Sed culpa sua male pugnasse, sæpissimè sua pœna & multa est animaduersum. Caius Cotta Publium Aurelium sanguine sibi coniunctum, quem obsidioni Liparitanæ ad auspicia repetenda Messanam transiturus præfecerat: virgis

cæsum,

cæsum, militiæ munere inter pedites fungi coëgit, quòd eius culpa ager incensus, & castra penè capta essent.

Et fraudulenti imperij nomine Dux accusatur.

XL. Ex Dionysio Halicar. lib. 10. Plinio, lib. 2. cap. 2.

LVCIVS Sicinius Dentatus, Senatui Patribúsque semper infestissimus fuit, tamen cùm bellum ab Aequis graue immineret, Romulium & Veturium Consules educentes exercitum, cum octingentis, qui omnes alioqui per ætatem militia vacare possent, secutus est. Ibi Romulius per inuidiam, neq; tam quòd speraret hostium castra excelso atque tutissimo loco posita inuadi posse, quàm quòd Sicinium factiosum atque inuisum Patribus mori cupiebat: eum cum sua cohorte duntaxat iubet eo tramite ascendere, quo nusquam AEqui falli potuissent. Sicinius qui iniquitate imperij hoc agi videret, vt cum suis simul ad certissimum exitium mitteretur: testatus alios anteà milites, Consuli paruit. At res ita fortunate cessit, vt solus sua virtute Romanis victoriam attulerit. Ideóque Sicinius factus Tribunus plebis, cùm Romulio: Lucius Halienus Aedilis plebis, Caio Veturio diem ad Populum dixissent: visum est graue, suis ipsius ciuibus atque militibus à Duce parari insidias. ibi vindictam odiúmque exerceri cum summo periculo totius exercitus, vbi summa concordia mutuóque parendi & imperandi officio maximè opus

mè opus est. Pecunia tamen, non capite lis ęstimata est: quia constabat, eis priuatim cum Sicinio nullas fuisse inimicitias. prætere iussus atque imperium Consulum, optimè & e Repub. cesserat: vt aliter etiam mens eorum accipi atq; interpretari posset. quod in caussa Sicinij fecissent, consilio fecisse, non dolo malo. Deniq; in bello, omnia imperia eò sæpe clariora, quò cum maiore periculo coniuncta sunt. Sed aliquid ea liuoris odijve habere permixtum, indignum esse visum est Populo Romano: indignum item Senatui. itaque nec ab eo Consules triumphū impetrarunt.

Pacem turpiter inire, crimen est.

XLI. Ex Valerio Maximo, lib. 6. cap. 3.

MARCVM Claudium Senatus Corsis, quia turpem cum ijs pacem inierat, dedidit. eundem ab hostibus non acceptum, in publica custodia necari iussit.

Quo minus præda æque diuidatur, aut ex Imperatoris arbitrio, nihil dolo malo committi oportere.

XLII. Ex Plinio, de viris illustribus.

MARCVS Curius Dentatus, cùm interuersæ pecuniæ argueretur, cadum ligneum quo vti ad sacrificia consueuerat, in medium protulit, iurauitq; se nihil amplius de præda hostili in domum suam conuertisse. Si iureiurando Curij actio decisa fuerit, aut alijs etiam rationibus, non constat. Sed proculdubio refert nostri temporis militibus, Equitibus scire, se tantùm ab illa

veteri abesse disciplina, quantum mehercule distat à vitio virtus.

Præda quo modo sit diuidenda, & inter quos.

XLIII. Ex lib. 1. Regum, cap. 30. & ex Iosepho, lib. 6.

VICTIS à Dauide Rege Amalecitis, de præda contentio fuit inter eos milites qui prælio certauerant, cum ijs qui præ cæteris fessi longo itinere, iussi erant in castris subsistere. Nolebant qui certamini adfuerant & qui Dauidem secuti erant, quorum vi, viribus, ac virtute hostes fusi fugatíque essent, alijs quicquam vt otiosis, & qui ad victoriam nihil contulissent, prædæ distribui. Nam iniquum esse, quod sanguine suo quæsijssent, huius fieri participes, qui intra castra securi quieuissent. At hi contrà, etsi fatigati quidem, tamen non sua voluntate, sed iussu & imperio Dauidis in castris remansisse. Præterea nõ minore præmio dignos esse, qui interim dum alij certant, totius exercitus sarcinulas, impedimenta, commeatus in castris custodiunt, obseruant, atque ipsa adeo castra, perfugium victis, victoribus tutum ac iucundum solatium. Rex decreuit prædam æquè diuidi, atque inposterum semper apud Iudæos ita obseruatum est.

De iurisdictione militari: & de caligatis iudicijs.

XLIIII. Ex Dione Nicæo, lib. 48.

NIHIL mirum est, milites totósque exercitus inter Duces suos & imperatores iudicasse ac cog-

nitionem suscepisse: cùm ius dicendi imperatoris, quod ad Senatum Populúmque Romanum pertinebat, postremò sibi vindicarint. Cuius rei est exemplum, quòd cùm absente Marco Antonio & in Aegypto commorante, Fuluia Marci, & Lucius Antonius frater, aduersus Octauium iurgia pleraque cierent, quæ ad arma vsque & nouos tumultus ventura esse videbantur, idque omnino committerent aduersus eas pactiones, quę simul cum M. Antonio, Octauio, Lepido conuenerant: horúmque iurgiorum nomine, iudicium Senatus Lucius & Fuluia subire noluissent: ipsi milites ac veterani omnes tædio bellorum ciuilium, Romam quasi comitiorum caussa profecti, caussæ cognitionem susceperunt. Nihil detrectante Octauio militare atq; caligatum iudicium, absentes Lucium & Fuluiam citari iussit exercitus. Hos, quia adesse recusarunt, iniuriarum damnari placuit. ac nisi pactis stare vellent, (quæ iussere milites in æde Vestæ obsignari) eis iure ac lege bellum indici hostesq; iudicari.

DE DECVRIONIBVS ET FILIIS EORVM, TIT. XLVII.

Sufficit ingenuum natum esse, vt quis Decurio esse poßit.

I. Ex Iulio Paulo, lib. 1. decretorum.

CVM quis probaretur in seruitute patris sui natus, sed matre quidem libera: ciues eum quo minus decurio fieret, prohibuerant. Itaque

re de-

re delata ad Seuerum Imperatorem, licet id propterea dicerent municipes se fecisse, quò spurios arcendo à muneribus & honoribus, parentes legitimas sequi nuptias, continentésque esse, hac qua vnusquisq; est erga suos pietate & sollicitudine, cogerentur: præterea, & quòd minus sordidum id ordini futurum esse existimassent: Nihilominus quia filio innocenti, patris delictū pœnæ esse: eiúsque dignitatem impediri, qui nihil admisit, durius quodammodo atq; inhumanius est: pronunciauit, Qui sit ex libera muliere procreatus, hunc, si re & vita honesta est, non prohiberi quin in sua ciuitate Decurio fiat. Nam & onus cum dignitate coniunctum esse: vt si per huius priuationem, quasi pœna aliqua plectitur: in illo certè ob immunitatem, præmio beneficióque affici videatur, est enim immunitas, priuilegium, non pœna. Denique non semper quid tam decorum & honestum, quàm quid vtile sit, considerandum.

DE MVNERIBVS ET HONORIBVS, TIT. XLVIII.

Aduersus eos qui munera patrimonialia detrectant, quod fuerit Atheniensium institutum.

I. Ex Isocrate, in oratione *περὶ ἀντιδόσεως*.

ATHENIS trecenti ciues opulētissimi, & qui oneri ferendo essent, deligebātur, qui Trierachi, ab instruendis triremibus pro Patriæ defen-

defensione dicebantur. Ideo verò opulentissimi: quia patrimoniale esset hoc munus, suisq́ sumtibus Trierarchis naues præparare necesse fuit. Attamen si quis erat, qui diceret se propter facultatum mediocritatem, imparem oneri esse: ita excusabatur, si alium ex reliquis ciuibus, se opulentiorem esse indicaret. huic enim incumbebat, aut munus omnino subire, aut si se contrà in minoribus facultatibus esse contenderet, quam ille sit qui vt assiduus atque idoneus electus erat: fortunas suas omnes cum illius opibus commutare. ita enim fore, ne falsa inopiæ occasione, quisquam debita Patriæ munera prodere ac deserere audeat. Hæc actio περὶ τῆς ἀντιδόσεως appellabatur. Igitur cùm ea Lysimachus aduersus Isocratem in iudicio contendisset, Isocratis Trierarchiæ munus esse Iudices pronuntiarunt.

Duos ex vna familia viuo vtroque in Senatu esse non licere.

II. Ex Iulio Cæsare, Commentariorum lib. 7.

APVD Heduos cùm singularis magistratus antiquitus creari, atque Regiam potestatem annum obtinere consueuisset: attamen duo magistratum gerebant, & se vterque dicebat, legibus creatum esse. Horum alter erat Conuictolitanes florens & illustris adolescens, alter Cotus antiquissima familia natus, summæ potentiæ, & magnæ cognationis: cuius frater Vadetiacus, proximo anno eundem magistratum gessisset. Itaq

propter hoc dissidium ciuitas omnis erat in armas, diuisúsque & Senatus & Populus, & eorum cuiusque clientelæ. Ergo quia legibus Heduorum, ijs qui summum magistratum obtinerent, excedere ex finibus non liceret: ne quid de iure aut de legibus eorum diminuisse videretur, & quòd magni faciunt omnes Prouinciales atque municipes, sibi suas seruari consuetudines ac prærogatiuas: Iulius Cæsar eò ipse profectus est rem iure ac legibus terminaturus. Cùm itaque omnis prope ciuitas conuenisset, atque Cæsar didicisset, paucis clam conuocatis, alio loco, alio tempore atque oportuerit, fratrem à fratre renunciatum esse, cùm leges duos ex vna familia viuo vtroque non solum magistratus creari vetarent, sed etiam in Senatu esse prohiberent (vt item nostræ leges, sed perpetuo vanæ) Cotum imperium deponere coëgit: Conuictolitanem qui per Sacerdotes more ciuitatis, intermissis magistratibus creatus esset, potestatē obtinere iussit.

Præmia virtutis, non nisi dignissimis, atque rarò concedenda.

III. Ex Aeschine, contra Ctesiphontem.

HONORES, præmia, coronas, præconia, passim vnicuiq; aut multis profuse decernere, periculosum esse, atq; statum Reipublicæ corrumpere, vetere somnes sapientissimi iudicarunt: quia his potissimum rationibus sublata virtutis æmulatione, nihil amplius est, cur boni, meliores: meliores, optimi esse velint, dum nō pro magna

gratia

gratia est, quod æquè probis, æquè improbis publicè conceditur, imò certe hoc improbis, fiduciam & arrogantiam: probis desperationem & indignationem parit. Præterea nihil ad iuniorum eruditionem deterius inueniri potest. quales enim laudari præmijsque affici audient, tales omni studio euadent, neque quicquam proficient in contrarium pia patrum instituta & dogmata. Itaque leges fuere Athenis, vbi, quando, quam ob causam, & a quibus corona præconióve quis donandus esset. Has leges cùm Thrasybulus Stiriensis e Phyle rediens violasset: ab Archino Cæleo, Violatarum legum accusatus & peractus est, quanquam recentibus eius beneficijs, quibus exules reduxerat. Existimabant enim Athenienses se denuo expelli ab eo à quo reducti essent, si aliquid ei legibus contrarium decernere permitteretur impunè. Atqui apud nos ex consuetudine magis, quàm meritò ac consultò nunc honores tribui cernimus: neq; ob id quod hic aut ille præ ceteris emineat virtute ac disciplina militari: sed quia tribuendis honoribus dicatus est dies. itaque sinere hunc abire sine honore dando, esset veluti diem perdere.

Neminem honorandum, priusquam administrationis rationem reddiderit. Qui sint obnoxij reddendis rationibus: certe & qui nihil acceperit, hoc ipsum profiteri debet. Decretum niti vera ratione oportere. Qui sint magistratus, vel non.

IIII. Ibidem, & ex Demosthene, pro corona,

ex Plutarcho, Libanio, aliјſque autoribus.

DEMOSTHENES Athenis curator datus muris reficiendis, eos cùm pecunia ſua refeciſſet, nullis officij relatis rationibus, Cteſiphon ſcitum Populi fecerat, vt corona aurea donaretur: eáque donatio fieret in theatro, Populo conuocato, ac præſente omni Græcia, ſub hoc titulo, EA CORONA DONARI DEMOSTHENEM VIRTVTIS ERGO BENEVOLENTIAEQVE, QVAM ERGA POPVLVM ATHENIENSEM HABERET. Aeſchines Cteſiphontem ideo Violatarum legum accuſauit, quòd contra leges rationem tuliſſet, quibus cauebatur, ne quiſquam Populiſcitum faceret, vt quis corona donaretur in magiſtratu, priuſquam adminiſtrati officij rationes retuliſſet. quod adeo ſanctè obſeruari placuit, vt ei qui rationes non reddiderit, neque peregrè proficiſci, neque facultates ſuas conſecrare, neque donaria Dijs offerre, nec legare, nec in alienam familiam tranſire, & alium honorem in Republica ſubire (quod etiam ab Antonino Imperatore reſcriptum eſt, Tit. de Debitoribus ciuitatum) liceat. Item, quòd contra eam legem fecerit, quæ iubet eos qui corona donantur, in concione donari, non in theatro, non in conſpectu totius Græciæ. Denique quòd falſa in decreto adſcripſerit (quod etiam lex vetat) nam falſum eſſe quod de virtute Demoſthenis adſcripſerit: quoniam nec vir bonus eſſet, nec bene meritus de Republica.

Demoſthenes pro Cteſiphonte, aut adeò pro

se sub persona Ctesiphontis, respondebat: Se non fuisse in Magistratu: quia exactio atque instructio murorum, non in officio & magistratu posita est: verùm in nudo ministerio & curatione duntaxat. Eos magistratus appellari, quos Sexuiri in Thesei templo sortitò distribuunt: quibúsque Populus suffragio suo in comitijs imperia, equitatus decernit. Præterea vt hoc, Muros reficere, magistratus esse videretur: tamen se de suo muros refecisse, nec quicquam de publico accepisse: ergo non fuisse obnoxium reddendis rationibus. Nam expensi tabulas, rationes & inquisitores: donationem autem, gratiarum actionem atque laudationem postulare. Atqui ob liberalitatem in Rempublicam, & plures alios coronatos esse, Nausiclem, Diotimum, Charideum, Neoptolemum. Cæterum quod de concione ac theatro affertur ab aduersario: aliam legem esse, quæ ibi coronam promulgari iubet, vbi Populus voluerit, iusserit. certè vt in theatro & ludis solennibus donaretur, imperasse. De sua virtute ac benemeritis erga Rempublicam, habere se testem ac iudicem vniuersum Populum Atheniensem. Etsi replicabat AEschines, nihilominus fuisse Demosthenem reddendis rationibus obnoxium, quanquam pecuniam publicam non tractasset: nam & Sacerdotes & Præcones, & triremium Præfectos iuberi rationes reddere, licet pecuniam publicam non tractent. Præterea lege ipsa nominatim contineri de ijs qui nihil ex publico vel sumpserunt, vel insumpserunt, vt

hec ipsum inscribere ac profiteri teneantur, se nec sumsisse quicquam e publico, nec insumsisse. Denique, quod a populo concedi solet, vt corona in theatro proclametur, tum fieri, cùm ab alijs ciuitatibus, socijs, aut fœderatis, ciui Atheniensi corona præmio datur: non cùm à Populo ipso. tunc enim designatum esse locum vbi id fieri debeat. Attamen reus dimissus est Ctesiphon, vrbéque vt calumniator pulsus est accusator, quia verum erat hanc eum accusationem suscepisse non tam puniendi Ctesiphontis, quàm Demosthenis insectandi & vlciscendi causa, à quo ipse antea malè obitæ legationis damnatus esset.

Ius triumphi, solo Imperatori aut Duci competere, non etiam Prætori, Tribuno aut militi, cuius virtus ad victoriam potissimum valuit. Iudicem interrogationibus maxime ad veritatem accedere.

V. Ex Valerio Maximo, lib. 2. cap. 3.

LVCTATIVS Consul & Quintus Valerius Prætor, circa Siciliam, insignem Pœnorum classem deleuerant: quo nomine Luctatio Consuli triumphum Senatus decreuit. Cùm autem Valerius sibi eum quoque decerni postularet, negauit id fieri oportere Luctatius, ne in honore triumphi minor potestas maiori æquaretur, Prætor Consuli: pertinaciúsque progressa contentione, Valerius sponsione Luctatium prouocauit, NON SE PETITVRVM TRIVMPHVM, NISI SVO DVCTV PVNICA CLASSIS

ESSET OPPRESSA, nec dubitauit restipulari Luctatius. Itaque iudex inter eos conuenit Attilius Calatinus: apud quem Valerius egit in hunc modum: Consulē ea pugna in lectica claudum iacuisse: se verò omnibus functum Imperatorijs muneribus. Tunc Calatinus, priusquam Luctatius dicere inchoaret, Quæro (inquit) Valeri abs te: Si, dimicandum necne esset, contrarijs inter vos sententijs dissedissetis: vtrū, quod Consul, an quod Prætor imperasset, maius fuerit momentum habiturum? Respondit Valerius, Non facere se controuersiam, quin priores partes Consulis essent futuræ. Age deinde, inquit Calatinus, si diuersa auspicia accepissetis, cuius magis auspicio staretur? Item respondit Valerius, Consulis. Iam mehercule, inquit, cùm de imperio & auspicio inter vos discrepationem susceperim, & tu vtroque aduersarium tuum superiorem fuisse fatearis, nihil est quod vlterius dubitem. Itaque Luctati, quamuis adhuc tacueris, secundum te litem do. Equidem Valerius dignum præmium virtute sua petere videbatur, sed non legitimum. Semper enim amplissimus honor, qualis est Triumphus, ei debetur summo Imperatori, cuius mens & consilium, vel si in lectica iaceat, aut sola vincit, aut vincitur. Primam victoriæ causam in occasione esse, cōmodissimoq; tempore aut pugnæ incipiendæ, aut cohibendæ: quæ omnia sint penes Consulem aut Imperatorem, non penes Prætorem aut Tribunum. Alia sanè præmia fortium virorum esse, quæ per gra-

dus, ad deterioris vſque militiæ militem & ſunditorem, tribuuntur: ſed quæ ipſius ſunt Imperatoris aut Conſulis, nunquam niſi (vt Dion Nicæus ait lib. 48.) ex ſententia eius qui ſummam imperij obtineret. Nam & hoc mali exempli eſt, ne, quos dicto audientes eſſe neceſſe eſt, dum alienam gloriam ad ſe trahere cupiunt, aliud per ſe atque iniuſsi moliantur.

Triumphum mereri, qui hoſtes vicerit.

VI. Ex Tito Liuio, deca. 4. lib. 8. & ex Plinio, de viris illuſtribus.

CNEO Manlio Volſoni Proconſuli de Antiocho & Gallogræcis triumphum à Senatu poſtulanti: decem Legati qui cum eo miſsi fuerant ad ordinandam Scipionis Aſiatici prouinciam, contradixerunt. Legatos ſeſe Cneo Manlio datos pacis cum Antiocho faciendæ cauſſa, fœderiſque & legum ferendarum. At Cneum Manlium ſumma ope contendiſſe, vt eam pacem conturbaret, & Antiochum, ſi ſui poteſtatem feciſſet, inſidijs exciperet. Gallogræcis bellum intuliſſe neque ex Senatus ſententia, neque Populi iuſſu: cum antea (quod moris & religionis erat) nec Legati miſsi, nec res repetitæ, nec amandati qui bellum indicerent. Ab infinitis alijs populis ſtipem ac mercedem accepiſſe, vt exercitum ab eorum finibus abduceret, quò nullo iuſſu, nullo iure belli adduxerat. Nec quidem prælium ipſum cũ Gallogræcis, æquo loco, & tempore ſuo geſtum. Quod vicerit, magna fortuna Populi Romani

factum

factum esse. etenim ad eius terribile nomen, atque recentem Annibalis, Philippi, Antiochi ruinam, consternatos & attonitos hostes, cito aufugisse. Nam qui se hostes vicisse dicat, eundem latrunculos Thracas, cùm in eos incidisset, ferre ac sustinere non potuisse. Certe de his hostibus triumphum postulari non debere, quos nec Senatus, nec Populus dedisset: quibus ipsis nedum ad præsidium aliquod, bellum nunciatum non esset. Et si iacturam religionis fieri placeat, tolli fœcialia iura, nullos esse Fœciales: at certe ab ijs triumphum impetrari non posse, quibus auctoribus bellum gestum non fuerit. Manlius respondit Tribunos plebis suæ petitioni non aduersari, quibus, non Legatis, intercedendi ius sit. Legatos dispensandæ cohonestandæque victoriæ caussa Imperatoribus datos à maioribus, non vt eis pro aduersarijs vterentur. Negari non posse cum centum millibus ferocissimorum hostium sæpius se collatis signis decertasse: plus quàm quadraginta millia hominum cepisse aut occidisse.. Reuera à Senatu se non postulasse, vt Gallis qui in Asia essent, bellum inferret, quia ab ijs quibus successisset Imperatoribus (hi L. & P. Scipiones erant) eos hostes accepisset, non fecisset. Quinimo vbi Senatus cum Antiocho bellum decreuit, & Populus iussit: simul & decreuisse ac iussisse cum ijs qui inter eius præsidia fuissent. Cæterum in exercitu Antiochi, Gallorum legiones fuisse. Pace facta cum Antiocho, alijsque omnibus qui cum eo fecissent, reliquos mansisse Gal

los: quos postea quam indomitos atque implacabiles vidit, vi atque armis censuit esse coërcendos. Quod de ratione gesti belli obijcitur, iniquum esse calumniæ subijci, quæ Dij prospero euentu comprobarunt. Ad Thermopylas æquóne loco M. Attilium cum Rege Antiocho pugnasse? Num Philippum iuga montium tenentẽ, T. Quintium deiecisse? Cæcam inuidiam esse, nihil quicquam aliud scire, quàm detrectare virtutes, corrumpere honores, ac præmia fortium virorum. Facere ac præstare non potuisse, ne alicubi notis sibi latebris delitescerent latrones Thraces, nec vt non quid sarcinarum repeterẽt. Placuit cùm sine exemplo esse diceretur, vt Imperator qui perduellibus deuictis, confecta Prouincia exercitum reportasset, sine curru & laurea priuatus inhonoratúsque Vrbem iniret: triumphum Cn. Manlio decerni.

DE IVRE IMMVNITATIS.

Tit. 33.

Cessant omnes immunitates, vbi non extra patriã bellum geritur, sed ex patria ipsa arcendus est hostis.

I. Ex Tito Liuio, lib. 7. deca. 3.

CVm Pœnus esset in Italia, minúsq; iuuentutis haberent Romani duces, vnde scriberent milites: colonos maritimos milites dare, ac subuenire communi periculo, cogebant. His, quia sacrosanctam vacationem habere se allegabant, dies certa edicta est, vt quo quisque iure vacationem haberet, ad Senatum deferret.

Ea

Ea die venerunt Hostiensis, Alsicasis, Antias, Auxuras, Minturnensis, Sinuessanus, & à supero mari Senensis. At cùm vnusquisque Populus vacationes suas recitaret, quas ideo quidem sacrosanctas esse nuncupatas apparebat, quòd maritimis incursionibus, oræque Italiæ perpetuò intentas colonias; nefas esset aliò euocare, alijsque muneribus onerare: aut ita certe fidem eis Populo Romano fallere licere, quo modo antiqua sua priuilegia violasset: nullius tamen, cùm in Italia hostis esset, præter Antiatis Hostiensisq; vacationem obseruari placuit: earumq; coloniarũ iuniores omnia dare iureiurando adacti sunt.

In summa Populi penuria, & quandiu durat necessitas, etiam violari iura priuilegiáque Sacerdotum.

II. Ex eodem, lib.3.decade 4.

PENSIONEM pecuniæ collatæ in bellum Macedonicum, priuatis solui placuerat. etenim satius esse, quanquam in summa ærarij penuria fidem publicam vnicuique ciui Reipublicæ mutuanti & opitulanti conseruari, quàm hostem vincere. Igitur Quinto Fabio Labeoni, & Lucio Aurelio Quæstoribus Vrbanis visum est, ab omnibus Sacerdotibus hanc pecuniam exigi commodius esse, quòd stipendium nullum hoc toto ac tanto bello contulissent: quàm à cæteris quorum iam pars maxima oneri ferendo esse desijsset. Sic magna cum Curionibus, Flaminibus, Auguribus, Salijs, Fœcialibus, Pontificibus alijsq;

hoc

hoc genus hominibus, contentio atque altercatio fuit: dum hi antiqua sua & sacrosancta priuilegia atque immunitates vel à Numa ipso, primísque Consulibus identidem repeterent: Quæstores ex aduerso, necessitatem eos iuberent accusare, cæterum aut conferre, aut multam pati. Ergo tribunos appellarunt. Pronunciatum est, Sacerdotes nequicquam Tribunos appellasse, omniúmque annorum per quos non dederant, ab ijs stipendium exactum est.

Augures à iudicandi munere vacationẽ non habuisse.

III. Ex Cicerone, in Bruto.

CVM de vacatione Augurum in Senatu ageretur, iudicijs ne operam darent, Q. AElius Tubero contra P. Africani auunculi sui testimonium iudicauit, vacationes Augures, quo minus iudicijs operam darent, non habere. Non enm Augures eiusmodi sacerdotium nactos esse, vt nunquam ab eo discedere sine religione non posśint.

DE LEGATIONIBVS. TIT. 34.

Legatum ab eo ad quem missus est, munera accipere, neque Regis sui dignitatem, locum, auctoritatem, conseruare, capitale esse.

I. Ex Demosthene, Philippica 3. Plutarcho in Pelopida: & ex Valerio Maximo, lib. 6. cap. 3.

AD Regem Persarum Artoxerxem legatus venit Timagoras, missus ab Atheniensibus. Hic, cùm alij Lacedæmoniorum atque Thebanorum

norum legati, à Regijs muneribus abstinuissent: solus inter officium salutationis, Regi more gentis adulatus, ad auaritiam vsque, & infamem cupiditatem, auro, argento, vasis argenteis, lectis, supellectile, alijsque plurimis bonis onustus plenúsque abierat. Accusatum, Populus Atheniensium extremo supplicio condemnauit. Puras enim manus & abstinentes Legatum habere oportere: qui, vt mulier quæ à non marito accipit, turpis quæstus atque impudicitiæ: sic proditionis maléque obitæ legationis notam ac suspicionem non euitat, dum alterius apud se, quàm Reipublicæ suæ, patitur amicitiæ fideíque pignora collocari. Nunquam esse in auaritia & cupiditate fidem atque constantiam. Si qui sint qui munera inuiti aceperint, hos ea priusquam legationẽ referrent, in ærarium detulisse. Postremò ita humiliter & abiectè Regi Persarum blandiri & adulari, id fuisse, maiestatem Atheniensium minuere, vrbísque decus veluti Persicæ dominationi summittere.

II. Ex Athenæo, lib. 6. cap. 6.

IDEM de Euagora narratur. præterea & Demadem decem talentis multauisse, quòd Alexandrum in legatione pro Deo habuisset. At in eo genere grauiùs omnibus deliquit Epicrates, quẽ ideo tamen nemo accusauit.

Qui legatos violauerit, hunc dedendum esse hostibus, præterea licere vim vi repellere.

III. Ex Dionysio Halicarnasseo, lib. 2.

Cùm

CVM Laurentum legati Romam venissent expostulatum de Tatij Regis amicorum & familiarium latrocinijs, abigeatu, furtis, omníque iniuriarum genere, etsi dedendos noxios esse Romulus existimabat: gratia tamen & potentia Tatij factum est, vt nullo æquo iure impetrato discederent. Iidem in quos expostulatũ aduenissent, eos abeuntes trucidarunt. ideóque missa tum à Laurentibus altera legatione, cùm noxios ijs Romulus dedidisset, hos persecutus Tatius vi reduxerat, ac nonnullos sibi repugnantes occiderat. Cuius facti indignatione, cũ paulo post Rex ipse Tacitus à Laurentibus per insidias necatus esset, Romulus & de Romanis qui Laurentum legatos violassent, & de Laurentibus qui in Tatium conspirassent, ipse in iudicio amplissime cognoscens, tandem ita pronunciauit, Placere Romanis, qui Ius gentium violassent, aqua & igni interdici: Laurentes, quia violenta violẽtis viti essent, eámque iustissimam & ante omnia naturæ conuenientem facti excusationem afferre videbantur, crimine absolui. En quanti est summum Regem ac Principem, à quo ius, iustitia, auxiliúmque expectari debeat, hanc subditis suis denegare velle?

IIII. Ex Tito Liuio, decade 4. lib. 8. ex epitome Liuiana, lib. 15. & ex Valerio Maximo, lib. 6. cap. 6.

SI quis legatum hostium pulsasset, contra Ius gentium id commissum esse, semper existimatũ est:

est: quia sancti habentur Legati, ideo quòd conueniens & vtile est hominibus, non immortales esse inimicitias: quare inuiolabiles esse oportere, per quos de amicitia & fœdere tractaretur. Itaq; eum qui legatum pulsasset, dedi hostibus quorum erant legati, sicque publicè eis satisfieri, vtilius esse, plerumque responsum & iudicatum est, quàm alioqui iusti belli occasionem læsæ ciuitati concedere. Non alia ratione Corinthum dirutam, neque institutum à Romanis Illyricum bellum. Igitur M. AEmilio Lepido, L. Flaminio Coss. L. Minutius Myrtillus, & L. Manlius, quòd legatos Carthaginenses pulsasse dicebantur: iussu Q. Terentij Prætoris vrbis per Fœciales traditi sunt legatis, & Carthaginem aduecti. Cùm etiam legatos ab vrbe Apollonia Romam missos, Q. Fabius, Cn. Apronius AEdiles orta contentione pulsauissent: eos Senatus continuo per Fœciales legatis dedidit, quæstoremq; decreuit cum his Brundusium proficisci, ne quã in itinere à cognatis deditorum iniuriam acciperent.

Legatum præuaricari, & priuatim dissuadere id ad quod persuadendum missus est, atrocem pœnam meretur.

IIII. Ex Plutarcho, in Lucullo.

METRODORVS Mithridati Regi (qui tandẽ à Lucullo & Pompeio Magno deuictus est) adeo charus & familiaris fuit, vt Regis parentem eum appellarent. Hunc Mithridates ad Tigranem regem Armeniæ delegauerat in bello quod aduersus

sus Romanos suscipiebat, cum eo fœdus ac societatem ineundi caussa. Tigrani periculosum videbatur, tam potentes hostes prælio lacessere: imò verò tutius atque vtilius esse, his amicis quam inimicis vti frui. & ea de re consulebat ipsum Metrodorum. At ille respondit, se vt legatum, suadere: vt Metrodorum, dissuadere. Huius rei nomine longo post tempore delatus ab ipso Tigrane Rege, capite pœnas luit: quanquam id fecisse se diceret, non odio Mithridatis, sed quò Tigranis auxilio destitutus, bellum illud omitteret, quod vel iunctis ijs socijsque graue, periculosum ac postremo exitiosum futurum esse præuidebat.

DE ADMINISTRATIONE RERVM AD CIVITATES PERTInentium, Tit. 35.

Legatum transferre non permittitur, si non sit illicitum. præterea Principē optimum, iudicium suum legibus Senatuique summittere.

I. Ex Suetonio Tranquillo, in Tyberio. cap. 31.

QVidam Reipublicæ Trebianorum pecuniam in opus noui theatri legauerat. hanc Trebiani ab Imperatore Tyberio postulaban: vt ad viæ munitionem sibi transferre permitteret, satis operum ciuitatē habere. itaque commodius esse pecuniam quæ in opera noua legata sit, in tutelam & refectionem eorum operum quæ sunt, conuertere, quàm ad nouum inchoandum

choandum opus, erogare. Verùm ex aduerſo, teſtabatur hæres pecuniam ſe condicturum, ni Trebiani parerent teſtatoris voluntati. Etenim quod ad certam ſpeciem ciuitatis relinquitur, in alios vſus conſumi non licere: ſed toties ſequendam eſſe defuncti voluntatem (quæ ſemper potiſsima eſſe debet) cùm in id quod liceat celebrari, neque ſit in ciuitate fieri prohibitum, pecunia relicta eſt. nihil hic quod non liceat, legato contineri. Cenſebat quidem Imperator id Trebianis cōcedendum: vincente tamen conſilio & auctoritate Senatus, pronunciatum eſt, Ratam videri teſtatoris voluntatem eſſe oportere.

Quæ ad voluptatem & laſciuiam magis, quàm ad ornatum Reipublicæ relinquūtur, admitti non debent: imo ſi admiſſa fuerint, tolli oportet.

II. Ex Caio Plinio Nepote, lib. 4. epiſt.

GYMNICVS ἀγών apud Viennenſes ex cuiuſdam teſtamento celebrabatur. hunc Trebonius Rufinus in Duumuiratu tollendum abolendúmque curauerat. Cùm negaretur ex auctoritate publica feciſſe, eúmque reſtitui hæredes poſtulaſſent: egit ipſe cauſam ſuam apud Traianum Imperatorem, C. Plinio Nepote in conſilium aſſumto. Dicebat, eas potiſsimum liberalitates priuatorum hominum, eſſe omni Reipublicæ valde ſuſpectas, quæ ciuitati nullum ornatum, nullam vtilitatem: plebi ſolam duntaxat voluptatem atque delectationem afferant:

qualia sunt, venationes, spectacula, aliáque huiusmodi certamina. His apprimè muneribus abduci, trahi, compelli ciuium animos. quam vim atque auctoritatem qui sibi parare cupit, necesse est eum aliquid magnificentius sentire de se. Præterea accidisse (quod perpetuò solet) vt hoc nudo & impudico certamine, propter ocium & voluptatem, mores Viennensium inficerentur. Placuit agona tolli.

DE DECRETIS AB ORDINE FACIENDIS, TIT. 36.

Decreta Decurionum post viginti annorum spatium impugnare non licet.

I. Ex Plinio Nepote, lib. 10. epistolarum.

IVLIO Pisoni Commune Amisenorũ publicè atque ante viginti annos, cum omnium decreto, quadragintamillia de publico dederat. Actor municipum à Pisone apud C. Plinium Nepotem pecuniam condicebat. etenim largitiones de publico fieri, siue prædia, siue ædes, aut certa quantitas præstetur, mandatis prohiberi: nihílque valere huiusmodi decreta, vt ambitiosa. Piso contrà, plurima se in Rempublicam beneficia contulisse, ac propè facultates vniuersas eò erogasse proponebat. addebat etiam temporis spatium: & postulabat, ne id quod pro multis suis beneficijs, & longo iam interuallo accepisset, cum euersione reliquæ suæ dignitatis restituere cogeretur. Si largitiones omnes, nulla temporis

poris prærogatiua, retractari atque in irritum vindicari placeat, fore, vt multorum securitas subuertatur, nihilq; certo & optimo iure quisq; possideat. Hîc, non tam largitionem fuisse, quàm salarium, quàm remunerationem: quæ certe à Republica ex iusta caussa constitui possunt.

Ex rescripto Traiani Imperatoris pronunciauit; Quæ ante viginti annos acta & transacta essent, ea vti sunt, omitti oportere.

DE OPERIBVS PVBLICIS, TIT. XXXVII.

Opus publicum à quibus priuatis nomē habet, sine eorum voluntate mutari aut corrumpi non posse.

I. Ex Plutarcho, in Catone Vticensi.

MARCVS Porcius Cato cùm Censor esset, Basilicam Portiā ædificauerat. In ea tandem sedebant Tribuni plebis eos audituri, à quibus auxilium suum peteretur. Sed quia tribunali columna aliqua officiebat, hanc ideo tollere parabant, aut aliò transferre, ni ad Populum Cato Vticensis interdicto certauisset. Nam id familiare, suum ac gentilitium opus esse (vt Andium portus AErodius, noster est) hinc se inuito nihil cuiquam tollere, immutare, transferre licere. Etenim si licebit, fore vt inposterum reuocentur similes ciuium in Rempubl. liberalitates ac munificentiæ. Præterea, facilimè Tribunorum sedem alibi reperiri & collocari posse: at non ita columnam adimi, sine reliqui operis vel

ruinæ metu, vel deformitate: cuius tamen in Vrbe vitandæ caussâ Decemuiri adeo tigni vindicatione sublata, aliĳsque modis olim prospexerant. Quod si sacrosancti sint Tribuni plebis multúmque pro potestate sua poſsint, hac in id quod publicum, sanctum & inuiolabile sit, abuti non debere. nam Basilicam Porciam vti nunc est vt ita sit, totius etiam Populi referre maximè: cùm id quod postulant Tribuni, sua intersit modò. Igitur Populus columnam à Tribunis separari vetuit, noluit.

DE EXTRAORDINARIIS COGNITIONIBVS, ET SI IVDEX litem suam fecisse dicetur, Tit. 38.

Professoribus, Philosophis, Poëtis nihil tractandum in publico, quod animos in deteriorem sententiam poſsit trahere.

I. Ex Herodoto, lib. 6. & ex Plutarcho in Politicis, & Ammiano Marcellino, lib. 28.

PHRYNICHVS poëta post Mileti oppidi expugnationem, Atheniensibus hinc sumto argumento comœdiam exhibuit. Cùm fleuisset Populus mirum in modum facti recordatione: dies dicta est Phrynicho poëtæ. Huic Iudices, quòd insolenter præteritas miserias ac calamitates scenicis fabulis annumerasset, luctúmque publicum in animos audientium memoriamq́ue

reuo-

reuocasset tum, cùm etiam hilarioribus rebus potius occupandi essent: frustra scenæ libertatem & antiquam licentiam proponenti, nihilq; à se dolo malo factum: litem nihilominus mille drachmis æstimarunt: censitumq; ne ea vnquam denuo Populo daretur spectanda comœdia.

II. Ex Valerio Maximo, lib. 8. cap. 9.

HEGESIAS Cyrenaicus philosophus tantum valebat eloquentia, vt cùm sæpius mala huius caducæ ac miserrimæ vitæ, vel docendo vel declamando repræsentaret; miseranda imagine audientium inserta pectoribus, multis voluntariæ mortis appetendæ cupiditatem ingeneraret. Id ei sine fraude fuit, quòd ab eo dolus malus abesse videretur. tamen Ptolemæus Rex AEgyptiorum, ne posthac Hegesias de hac re publicè dissereret, prohibuit.

Operæ ludicræ ludicra merces.

III. Ex Plutarcho, in Demetrio.

IN AEgypto quidam fuit adolescens Thomidis meretriculæ amore miserè deperditus: quæ cùm adeo grandem pecuniam posceret, vt ea se potiturum magna cum animi anxietate & ægritudine desperaret: accidit tandem vt ex nimio & assiduo desiderio, id ei somnium atque nocturna cogitatio præstiterit, quod tamdiu frustra efflagitabat. eóque insomnio factum est, quasi rebus ipsis & factis expleta libidine, vt desineret meretriculam sollicitare ac persequi. Verùm hæc

quidem non turpiter, cùm esset meretrix, sed insolenter, adolescentem in ius vocat: postulat mercedem imaginarij huius ac simulati concubitus. Nam perinde esse, aut secum, aut sui contemplatione, amoris & concupitæ voluptatis fructum habuerit. Ille contrà, rem nouam ac inauditam esse. Itaque Bocchoris noui iudicij arbiter, iussit adolescentem, in ius tantam pecuniam repræsentare, quantam ab eo meretricula petierat. Paruit, attulit: Hanc tum ea præsente, versari, dinumerari, appendi, sed ab adolescente retineri iussit, vt se imaginariæ voluptati ficta & imaginaria solutione satisfaceret: necnon esset illusio illusioni merces.

Apud Athenienses actio fuit, Legum male latarum. & nunquam ea lex valere potest, quæ aduersus Scholarum libertatem lata est.

IIII. Ex Diogene Laërtio, lib. 5. in Theophrasto.

SOPHOCLES Amphiclidæ filius, legẽ Athenis promulgauerat, ne quis Philosophus scholæ præficeretur, nisi id Senatus Populúsque decreuisset: qui secus fecisset, vt ei capitale esset. Itaque & Theophrastus & Philosophi reliqui vrbe secesserunt. Sed à Philone dies ob id Sophocli cùm, sequenti anno quo abierat Præfectura, dictus esset. Athenienses lege abrogata Sophoclem quinque talentis multauerunt, & vt Philosophis redire ac scholam regere liceret, decreuerunt.

Finis libri Secundi.

NOMINA MAGISTRATVVM, REGVM, *Imperatorum, Populorum, Senatuum, item eorum inter quos lis iudiciumq́ fuisse his libris continetur.*

A.

C.

Epar-

Hege-

Liuia

Minu-

Per-

Strabo

E Tullia-

ne qui-

teste

Lapi-

Male-

Numos

Peta-

causas

INDEX TITVLORVM LIB. I.

& id

INDEX TITVLORVM LIB. II.

De Pœn

IMPRESSVM FRANcofurti ad Mœnum, per Petrum Fabricium, impensis Sigismundi Feyrabendi.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm